

# COMMENTARIA
IN
# SATYRAS
## AVLI PERSII FLACCI.


*Per R.P. S.T Mag.*

FR. HENRICVM SCALESIVM

A Pim. Ord. Pr.

elaborata.

*Pars tertia.*




NEAPOLI 1690.

Apud Carolum Porsile
Regium Typograph.

*Superiorum Lic.*







# IN SATYRAM QVINTAM COMMENTARIVM.





N hac omnium huius poetæ elegantiſſima Satyra, Perſius primo pulcherrimo prœmio ſui præceptoris Cornuti philoſophi Stoici laudes, virtutem, ſapientiam, & erga ſe celebrat charitatem, vnde factum eſt, vt ſe illi ad mortem vſque addictum futurum promittat; id quod factis exſoluit, vt in eius vita narrauimus, ei teſtamento mandans Bibliothecam ſuam omnem, & nonnulla argenti pondera. Deinde vniuerſos exhortatur, vt eidem Cornuto ſe tradant inſtituendos, ſi vitio-

rum miseriam effugere, honestatisque beatitudinem assequi velint. Demum, occasione procrastinationis eorum, qui inuitati fuerant, disputat de seruitute, & vera libertate, ostendens, iuxta Stoicorum placitum, vitiosos omnes fœdam seruire seruitutem, solum vero sapientem posse dici liberum. Ait ergo.



# SATYRÆ PRIMÆ
## TEXTVS PRIMVS.

V*atibus hic mos est, centum sibi poscere voces*
C*entum ora, & linguas optare in carmine centum,*
*Fabula, seu mæsto ponatur hianda Tragœdo,*
*Vulnera seu Parthi, ducētis ab inguine ferrū.*
*Quorsū hæc? aut quātas robusti carminis offas*
*Ingeris, vt par sit centeno gutture niti?*
*Grande locuturi, nebulas Helicone legunto,*
*Si quibus aut Prognes, aut si quibus olla Thyestę*
*Feruebit, sæpe insulso cœnanda Glyconi.*
*Tu neq; anhelāti coquitur dum massa camino,*
*Folle premis vētos, nec clauso murmure raucus*
*Nescio quid tecum graue cornicaris ineptè,*
*Nec scloppo tumidas intendis rumpere buccas.*
*Verba togę sequeris, iunctura callidus acri,*
*Ore teris modico, pallentes radere mores*
*Doctus, & ingenuo culpam defigere ludo.*
*Hinc trahe quæ dicas, mēsasq; relinq; Mycenis*
*Cum capite & pedibus, plebeiaq; prādia noris.*
*Non equidē hoc studeo, bullatis vt mihi nugis*
*Pagina turgescat, dare pondus idonea fumo.*
*Secreti loquimur, tibi nunc hortante Camœna*
*Excutienda damus præcordia, quantaq; nostræ*
*Pars tua sit, Cornute, animę; Tibi dulcis amice*
*Ostendisse iuuat, pulsa dignoscere cautus*
*Quid solidum crepet, & pictæ tectoria linguæ.*
*Hinc ego centenas ausim deposcere voces,*

*Vt quantum mihi te sinuoso in pectore fixi*
*Voce traham pura, totumq; hoc verba resignẽt,*
*Quod latet arcana non enarrabile fibra.*
*Quũ primũ pauido custos mihi purpura cessit,*
*Bullaq; succinctis Laribus donata pependit,*
*Quum blan i comites, totaq; impune Suburra*
*Permisit sparsisse oculos iam candidus vmbo:*
*Quumq; iter ambiguũ est, & vitæ nescius error*
*Deducit trepidas ramosa in compita mentes,*
*Me tibi supposui; teneros tu suscipis annos*
*Socratico Cornute sinu. Tunc fallere sollers*
*Apposita intortos ostendit regula mores,*
*Et premitur ratione animus, vinciq; laborat*
*Artificemq; tuo ducit sub pollice vultum.*
*Tecum etenim longos memini consumere soles,*
*Et tecum primas epulis decerpere noctes.*
*Vnũ opus, & requiẽ pariter disponimus ambo,*
*Atque verecunda laxamus seria mensa.*
*Non equidem hoc dubites, amborũ fœdere certo*
*Consentire dies, & ab vno sidere duci,*
*Nostra vel æquali suspendit tempora libra*
*Parca tenax veri, seu nata fidelibus hora*
*Diuidit in geminos concordia fata duorum,*
*Saturnumq; grauẽ nostro Ioue frangimus vna.*
*Nescio, quid certè est, quod me tibi temperat astrum.*



IN

# SATYRÆ PRIMÆ TEXTVM PRIMVM

## Commentarium.





Xorditur asserendo, morem fuisse poetarum, maximè Tragœdorum, & heroicorum, apud Græcos pariter, & Latinos, precari sibi ab Apolline, & Musis, centum ora, & linguas, quibus condignè referre possent res magnas, quas narrare intendebant. Verum posita hac protasi, propositioneque, dum expectaretur ea, quæ naturaliter sequi debebat, apodosis, siue redditio, qua vel diceret se, ex sollemni more, idem facere velle, vel excusaret, si ab aliorum recederet consuetudine, fingitur eius sermo interruptus à Cornuto eius præceptore, mirante ad quem finem sibi precaretur tot vocum, linguarumque præsidia, quando ipse nec heroica scriberet, nec Tragœdias, quas decent ampullosa, & sexquipedalia verba, sententiæque emphaticæ: sed potius satyras, in quibus verba debent esse communia, & sententiæ humiliores. Ideoque monet, quatenus memor argumēti assumpti, ver-

bis vtatur proportionatis, & sententijs conuenientibus, omissis altioribus, proprijs Tragœdorum, & heroicorum.

*VATES*, si Varronem audiamus 6. LL. dictus est à versibus viendis, idest vinciendis, & ligandis: Si Isidorum lib.7. cap.12. à vi mentis: sed melius dicetur à phates, seu à fando, & loquendo, est enim fatidicus. & Diuinus, siue propheta, antiquitus apud Hebręos dictus Videas, vnde legimus 1 Regũ 9. *Olim in Israel sic loquebatur vnusquisque vadens consulere Deum, Venite eamus ad Videntem qui enim Propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns*. Et hoc nõ ideo, quod hic tantummodo, & vtcumque loqueretur, sed quod futura, & alijs naturaliter incognita, nunciaret. Sic Plautus Milite glorioso Actu 3. scena 3.

*Bonus Vates poteras esse, quom quæ sunt futura videas*

Et Virg. 6. Æneid. versu 65.

*Tuque ò sanctissima Vates*
*Pręscia venturi, da, non indebita posco,*
*Regna meis fatis, Latio considere Teucros.*

Sic Cic. 1. de Diuinat. *Multa à vaticinantibus sępe prædicta sunt, neque solum verbis. sed etiam versibus, quos olim Fauni, Vatesque canebant: Similiter Martius, & Publicius Vates cecinisse dicuntur: quo ex genere Apollinis operta prolata sunt, credo etiam anhelitus quosdam fuiße terrarum, quibus inflatæ mentes, Oracula funderent: atque hæc quidem Vatum ratio est: nec dissimilis sane somniorum, nam quę vigilantibus accidunt Vatibus, eadem nobis dormientibus*. Quandoque tamen Vates est poeta, & in hoc sensu vera

erit

erit Varronis ethymologia, qua Vates est à viere, id est ligare; propriũ est enim poetarum, versuum ligare pedes: inde pro poetis, Vates nominauit. Ouid. 1 de Arte dicens.

*Vsus opus mouet hoc, Vati parete perito,*
*Vera canam.*

Et idem lib. 2.

*Pauperibus Vates ego sũ, quia pauper amaui.*

Necnon idem Ouidius eiusdem Operis de arte amandi lib. 3. ait:

*Carmina qui facimus, mittamus carmina tãtũ*
*Nam chorus ante alios aptus amare sumus*
*Nos facimus placitæ laudę prçconia formę*
*Nomen habet Nemesis, Cinthya nomen habet,*
*Vesper, & Eoæ nouere Lycorida terræ,*
*Et multi, quæ sit nostra Corinna rogant*
*Adde quod insidiæ sacris à Vatibus absunt,*
*Et facit ad mores, ars quoque nostra bonos,*
*Nec nos ambitio, nec nos amor vrget habendi*
*Contempto colitur lectus, & vmbra foro,*
*Sed facilè hęremus, validoque perurimur ęstu,*
*Et nimium certa scimus amare fide,*
*Scilicet ingenium placida mollitur ab arte,*
*Et studio mores conuenienter eunt*
*Vatibus Aonijs faciles estote puellæ:*
*Numen inest illis, Pieridesque fauent.*

Sic Colum. de RR. lib. 1. cap. 1. *Magna porro, & Græcorum turba est, de rusticis rebus præcipiens, cuius princeps celeberrimus Vates, non minimum professioni nostræ contulit, Hesiodus Bæotius.* At Cicero pro fatidico, siue Diuino posuit 2. de legibus dicens: *Discunto ignari à publicis sacerdotibus: eorum autem duo genera sunto, vnum quod præsit cæremonijs, & sacris:* al-

*alterum, quod interpretetur fatidicorum, & Vatum effata incognita.* Nunc autem Vatis nomen sumitur pro poeta, hic enim Apollinem, Musas, & alia inuocabat Numina, ab eis, præsidia sibi poscendo, suis quasi viribus non confidens, nam ita extenuatione suarum virium, beneuolentiam captat, iuxta illud Quintiliani lib. 10. cap. 1. Beneuolum auditorem inuocatio Dearum, quas præsidere Vatibus creditum est, fac t. Morem autem istum optādi sibi plures linguas, & ora, introduxisse ferunt omnium primum Homerum, qui tamen intra decem sese continuit. Secutus Virgilius numerum extendit ad centum, dicens 2. Geor. versu 42.

*Non ego cuncta meis amplecti versibus opto*
*Non, mihi si linguæ centum sint, oraq; centum,*
*Ferrea vox.*

Et eisdem ferè verbis ait 6 Æneid. v. 625.

*Non mihi si linguę centum sint, oraq; centum*
*Ferrea vox, omnes scelerum comprēdere formas*
*Omnia pœnarum percurrere nomina possem.*

Sic & Ouidius de sororibus Meleagri ait 8. Metam.

*Non mihi si centum Deus ora sonantia linguis*
*Ingeniumque capax, totumq; Helicona dedisset*
*Tristia prosequerer miserarum dicta sororum.*

Et sic passim alij tam Epici, quam Tragici, Græci pariter, & Latini,

*FABVLA, seu mæsto ponatur hiāda Tragædo.* *Fabula* à fari deducitur, vt à mendicari, mendicabulum, eoq; nomine significatur id, quod pene in omnū est ore. Sic Horat. l. 1. epist. 13.

*Si te fortè meæ grauis vret sarcina chartæ*

*Abij-*

*Abijcito potius, quam quo perferre iuberis*
*Clitellas ferus impingas, Asinæque paternum*
*Cognomen vertas in risum, & fabula fias.*

Sic Tibull. lib. 1. eleg. 4.

*Parce puer quæso, ne turbis fabula fiam,*
*Quum mea ridebunt vana magisteria.*

Et Plinius lib. 14. cap. 6. *Nec ignoro multa prætermissa, plerosque existimaturos, quando suũ cuique placet, & quocumq; eatur, fabula eadem reperitur* Sic Seneca Tragicus in Choro Act. 2 Hippolyti:

*Omnes per populos fabula distulit*
*Phædræ, quem Bromio prætulerit soror.*

Et Senec. 3. de benefic. cap. 23. *Quum obsideretur Adrumentum, & iam ad summam desperationem ventum esset, duos seruos ad hostem transfugisse, & operæ pretium fecisse. Deinde Vrbe capta, passim discurrente victore, illos per nota itinera ad domum in qua seruierant, præcucurrisse, & dominam suam ante egisse: & quærentibus quænam esset, Dominam, & quidem crudelissimam ad supplicium ab ipsis duci, professos esse. Eductam deinde extra muros, summa cura celasse, donec hostilis ira consideret. Deinde vt satiatus miles, cito ad Romanos mores redijt, illos quoque ad suos redijsse, & Dominam sibi ipsos dedisse. Manumisit vtrumque è vestigio illa, nec indignata est ab his se vitam accepisse, in quos vitæ necisque potestatem habuisset. Potuit sibi hoc, vel magis gratulari, aliter enim seruata, munus notæ, & vulgaris clementiæ habuisset; sic seruata, nobilis fabula, & exemplum duarum Vrbium fuit.* Dicitur ergo fabula à fando, siue loquendo, & populi sermo, rumor, aut fama passim di-

diuulgata, siue vero nitantur, siue falso. Sumitur etiam pro obiecto, seu materia, de qua fit sermo, & ita infra versu 152.

*Cinis, & manes, & fabula fies.*

Sic Tibullus lib. 2 eleg. 3.

*Fabula nunc ille est, sed cui sua cura puella est*
*Fabula sit mauult, quam sine amore Deus.*

Sic Terent. Hecyræ Actu 4 scena 3.

*Nos iam fabulę*
*Sumus Pamphile, senes, atque anus.*

Aliquando fabula est ipsa narratio rerum, siue verarum, siue verosimilium, siue etiam impossibilium, ad eruditionem morum, vel oblectationem audientium confictarum, cuiusmodi sunt, quas finxit Æsopus, qui propterea Fabulator fuit cognominatus. Sic Cicero de Natura Deorum: *Poetarum ista sunt, nos autem philosophi esse volumus, rerum auctores, non fabularum.* Et lib. 2. eiusdem operis de natura Deorum: *Ratione, & quidem physica magna fluxit multitudo Deorum, qui inducti specie humana, fabulas poetis suppeditauerunt, hominum autem vitam superstitione omni referserunt: atq; hic locus à Zenone tractatus, post à Chrysippo pluribus verbis explicatus est: nam vetus hęc opinio Græciam oppleuit, scilicet exsectum Cælum à filio Saturno: vinctum autem Saturnum ipsum à filio Ioue, physica ratio non inelegans inclusa in impias fabulas.* Et idem Cicero 3. de Natura Deorum: *Iam uero quid uos illa delectat explicatio fabularum, & enodatio nominum, exsectum à filio Cælum, uinctum itidem à filio Saturnum.* Idemque importat fabellæ nomen. Sic Cicero 3. de Nat. Deorum: *Nonne maius illud credere, quod*

*quod probari potest, animos præclarorum hominum, quales isti Tyndaridæ fuerunt, diuinos esse & æternos, quam eos, qui semel cremati essent, equitare, & in acie pugnare potuisse? Aut si hoc fieri potuisse dicis, doceas oportet quomodo: nec fabellas aniles proferas.* Et idem Cicero 2. de Diuinat. *Contemne cotem Accij Neuij, nihil debet esse in philosophia commentitijs fabellis loci.* Talis est fabula de alligatione Promethei ad radicem montis Caucasi, & vulture illius iecus depascente. Vel de aquila Titij interiora lacerante. Vel de Tantalo fugientia sequente flumina, & poma: Vel de proiectione lapidum facta à Deucalione, & Pyrrha. Vel de satione dentium draconis per Cadmum, & eorumdem in homines germinatione. Vel de alijs mille. Sed celebriores fabulę erant, quę in scenis repræsentabantur, quęue speciali vocabulo Tragœdiæ, vel Comœdiæ dicebantur. Et istæ quoque diuersę erant, aliæ scilicet Togatæ, in quibus personæ inducebantur togis ornatæ: & quia toga erat vestis propria Romanorum, in his repræsentabantur personę, & accidentia Romanorum. Aliæ verò Palliatæ, quibus personæ repræsentabantur pallijs indutæ: pallijs autem vtebantur Græci: ideo Palliatis repræsentabantur personæ, & facta Græcorum. Quædam etiam dicebantur, & erant Prætextatæ, in quibus personæ procedebant indutæ Prætextis; & quia præter pueros nobiles, nemo Prætextam induebat, nisi Dij, Heroes, Reges, Sacerdotes, aut supremi magistratus, talium personarum acta, & mores, ijs repræsentabantur. Quædam Tabernariæ, in quibus

re-

repreſentabantur perſonæ humiliores, vt trapezitę mercatores,& alij,ſoliti verſari per tabernas,& in eis ſuas exponere merces. Quædã Atellanæ, ſic dictæ ab Atellis Campaniæ oppido,vbi exhiberi cœperunt,quę proximè ſatyris, vel priſcæ accedebant comœdiæ,nam iocis ſalibuſq; aliorum mores, vitamque carpebant:& vlterius verbis, ſententijs,& obſcęnis motibus erant liberiores. Quædam deniq; erant Planipediæ, in quibus viliſſimæ inducebantur perſonæ, & ferè ex vulgi fæce, non indutæ cothurnis,vt in Prętextatis, neque ſoccis,vt in Tabernarijs,& Atellanis,ſed planis omnino pedibus, ideo dictæ Planipediæ. De talibus ergo fabulis in ſcena repreſentatis, nunc loquitur: Et quum eam dicat hiandam mœſto Tragœdo, innuit eſſe ſpecialiter intelligendum de Prætextatis, vt amplius explicabitur.

*HIANDA*. Gerundiuum eſt à verbo Hio, quod (ſicut Hiaſco, & Hiato,) ſignificat aperio: & propriè importat oris apertionem, vel aperto ore ſpiritum emitto. Transfertur ad alia,vt ad Nuces, de quibus loquens Cato de RR. cap.17. ait: *Vbi primum incipiunt hiaſcere, tunc legi oportet*. Flores etiam quum aperiuntur, hiare,vel hiaſcere dicti. Sic Propertius lib.4. eleg 2.

*Nec flos ullus hiat pratis, quin ille decenter*
*Impoſitus fronti langueat ante meæ.*

Sed frequentius dicitur de animalibus, & eorum oris apertione. Sic Plinius lib.8. cap.25. Crocodilum *ſaturum cibo piſcium, & ſemper excrelento ore in littore ſonno datum, parua auis,*

quę

*quæ Trochilos ibi uocatur, Rex auium in Italia, inuitat ad hiandum pabuli sui gratia, os primùm eius assultim repurgans, mox dentes, & intus fauces quoque, ad hanc scabendi dulcedinem, quam maximè biantes: in qua uolupiate, somno pressum, conspicatus ichneumon, per easdem fauces, ut telum aliquod immissus, erodit aluum.* Et idem Plinius loquens de Perdicum solertia ait lib.10. cap.33. *Si contra mares steterint fœminæ, aura ab his flante, prægnantes fiunt: hiantes autem, exerta lingua per id tempus æstuant, concipiuntque superuolantium afflatu, sæpe uoce tantum audita masculi.* Præterea vt diximus Instit. Orat. lib.2. cap.3 hiatus est vitium orationis, quod tamen laudatur in magnifico charactere, vt diximus eiusdem operis lib. 3. Tract.4.cap.1 & propterea non mirum si laudetur in Epicis, vel Tragicis, aut alij magnificentiam affectantibus. Hic tamen hiatus est emphasis, & vehementia pronunciationis, cõgue niens argumento Tragico. Nisi malis fabulam hiandam mœsto Tragœdo, esse, edendam, publicandam, & repræsentandam per scenæ aperitionem, vt quamuis hiare sit proprium oris animalis, metaphoricè, vt extenditur ad terram, apud Ouid. Epist.3.

*Deuorer ante, precor, subito telluris hiatu,*

ita & ad chasma, seu scenæ aperitionem.

*MOESTO Tragædo.* Tragœdus iuxta quosdã est à τραχύς aspero, quia duras, & asperas res repræsentat, nempe cædes, & mortes heroum, indeque denominatus mœstus, idest tristis, & luctuosus. Hinc laudatur Polus ille, de quo Gellius lib.7. cap. 5. [ Histrio in terra

Græ-

Græciæ fuit, fama celebri, qui gestus, & vocis claritudine, & venustate, cæteris antistabat. Nomen fuisse aiunt Polum, Tragœdias poetarum nobilium scitè, atq; asseueratè actitauit. Is Polus vnicè amatum filium, mortè amisit: eum luctum, quoniam satis visus est eluxisse, rediјt ad quæstum artis. In eo tempore Athenis Electram Sophoclis acturus, gestare vrnā, quasi cum Oreit.s ossibus debebat: ita compositum fabulæ argumentum est, vt veluti fratris reliquias ferens Electra, comploret, commiseretaturque interitum eius, qui per vim extinctus existimatur. Igitur Polus lugubri habitu Electræ indutus, ossa atque vrnam è sepulchro tulit filij, &, quasi Orestis, amplexus, oppleuit omnia, non simulachris, neque imitamentis, sed luctu, atque lamentis veris, & spirantibus, itaque quum agi fabula videretur, dolor actitatus est.] Alij deriuant à τράγος hircus, & ᾠδὴ cantus, quia præmium vincentis in Tragœdia, erat hircus, quem victor Baccho immolabat. Sic Horat. ad Pisones:

*Carmine, qui Tragico uilem certauit ob hircū.*

Et Virg. idem voluit Eclog. 3. v. 21. dicens:

*An mihi cantando uictus non redderet ille,*
*Quē mea carminibus meruißet fistula caprū?*
*Si nescis, meus ille caper fuit, & mihi Damon*
*Ipse fatebatur, sed reddere posse negabat.*

Vt enim ait Commentator illius loci, Varus Tragœdiarum scriptor, vxorem habuit litteratissimam, in quam Virgilius adulterium admisit, eique pretij loco Tragœdiam concessit, quam illa marito tradidit, veluti à se compositam; Varus eamdem, vt suam, edidit: & hoc

Vir-

Virgilius allegoricè narrat verbis citatis. Alij dictam putãt a τρύγες, quasi τρυγῳδίας idest a fæce fæculenta, nam ante personarum vsum a Thespide inuentarum, scenici fęcibus ora linibant, vt docet Horatius Pisonibus dicens:

*Ignotum Tragicę genus inueniße Camœna*
*Dicitur, & plaustris uexiße poemata Thespis,*
*Quę canerent, agerentq; peruncti fæcibus ora.*
*Post hunc personę, pallęq; repertor honestę*
*Eschilus, & modicis instrauit pulpita tignis.*

Dicitur autem Tragœdus tam fabulæ repertor, qui eam composuit in scena recitandam, quam recitator, siue actor, dictus etiam Pantomimus: quanquam Pantomimus propriè sit qui, etiam absque verbis, personas representat, & per actuum, & motuum hypocrisim, siue imitationem, conceptus mentis dat intelligere; Tragœdus vero qui, licet non adeo valeret hypocrisi, verbis nihilominus exprimebat sensus, & affectus personis conuenientes. Differt autem Tragœdus a Comędo, duabus maximè notis, prima quod hic, viles tantum, vulgaresque inducat personas: ille, heroas, Reges, & etiam Deos. Altera quod in Comœdijs a turbulentis initijs, in lętum procedatur terminum: Tragędiæ contra tristi claudãtur exitu, vt clarorum virorũ funeribus. Hinc Plautus Amphitruonem suam, in qua loquentes introducit Amphitruonem, & Alcumenam, & etiam Iouem, atque Mercurium, eamque lęto terminat exitu, nec Comœdiam, nec Tragœdiam, sed Tragicomœdiam dicit, sic enim ait:

*Argumentum huius eloquar Tragœdiæ.*
*Quid contraxistis frontem? quia Tragœdiam*
*Dixi*

*Dixi futuram hanc? Deus sum, commutauero*
*Eamdem hanc si uoltis, faciam ex Tragœdia*
*Comœdia ut sit, omnibus ijsdem uersibus.*
*Vtrum sic, an non uoltis? sed ego stultior*
*Quasi nesciam uos uelle, qui Diuos siem,*
*Teneo quid animi uestri super hac re siet.*
*Faciam, ut commixta sit Tragicomœdia,*
*Nam me perpetuo facere, ut sit Comœdia*
*Reges quo ueniunt, & Di, non par arbitror,*
*Quid igitur? quando hic seruos quoque partes habet,*
*Faciam hanc proinde, ut dixi Tragicomœdiam.*

Duo igitur erant propria Tragœdiarum, vnū quod in eis cothurnatæ inducebantur personæ, vt Heroes, Reges, & similes: alterum quod luctuoso clauderentur exodio. Ratione primi, actores sesquipedalibus vtebantur verbis, & hiulca compositione, nam ista magnificentiam grauitatemque orationi conciliant. Ratione secundi, actores mœstitiam simulabant, indeq; hic dicta est fabula hianda mœsto Tragœdo. Aristoteles autem in poetica c.11. ait: [Quoniam Tragœdiæ pulcherrimę compositio, non quidem simplex esse debet, sed implexa, eademq; terribilium, miserabiliumue imitatrix, id quod profecto imitationis huiusce propriū est. Primum quidem satis apparet minimè decere, bonos, & æquos viros ex felicibus infelices factos, in scenam offerre, vt quod terrifici miserandiue nihil habeat, sed scelesti. Parique ratione ab aduersa fortuna ad secundam prouectos prauos effingere; hoc enim omnium à Tragœdia maximè alienum, quod rerum, quæ requiruntur expers omninò sit, humanitatis

dico,

dico, nedum terrifici, atque miserabilis. Sed nec omnino improbos ex secunda fortuna in aduersam lapsos: quandoquidem talis compositio (quæ alioqui humanitatem præ se ferre potest) miserandi, aut terrifici planè nihil habet: vt enim immerentis misericordiam excitat, ita terror a simili incutitur, &c. ]

*VVLNERA, seu Parthi ducentis ab inguine ferrum.* Parthi à Parthia regione Orientis latissima, de qua Plinius lib 6. cap. 15. *Adiabenis connectuntur Cadurchi quondam dicti, nunc Cordueni, profluente Tigri. His Pratitę, Paredoni appellati, qui tenent Caspias portas; jis à latere altero occurrunt deserta Parthię, & Cithenj iuga: mox eiusdem Parthię amęnissimus situs, qui uocatur Choata: duę Vrbes ibi Parthorum appositę quondã Medis, Calliope, & alia in rupe Issatis quondam Ipsius uero Parthiæ caput Hecatonpylos, abest à portis cētum trigintatribus passuum millibus: ita Parthorum quoque Regna foribus discluduntur.* Terminatur autem Parthia ab Occasu quidem Media, ab Ortu, Ariana, ab Aquilone Hircania, & à Meridie Caramania, quo in spatio duodeuiginti regna comprehēdebātur. Genti origo Scythica fuit, quę inde pulsa, coactaque nouas ad incolendum quærere sedes, in has deuenit regiones, quas armata occupauit, possedit que manu; & quia Scythica lingua, exules, parthi dicuntur, inde ipsi, Parthi, quasi exules, pulsi, & extorres, dici voluerunt. Et deinceps tali claruerunt præliandi peritia, atque ferocia, vt etiam Romanorum florente Rep. & Imperio, quando nationes cęteræ, qua vi, qua spontè illi subdebātur,

tur, soli iugum detrectauerint, Crassumque ingenti legionariorum stipatũ exercitu, ignominiosè necauerint, illi usque fuderint legiones, & M. Antonium Triumuirum anhelantem ad gloriam vindicatæ cædis Crassi, ad eãdem ferè deduxerint sortem, multo sanè cum dedecore è suis finibus expulerunt. Corbulonem etiam, insignem militiæ Ducem, sub Imperio Neronis, licet non deleuerint, illi tamen numquam cesserunt, nec eum præualere siuerunt. Quamuis Romani, vt erant tam auri, quã gloriȩ appetentissimi, Imperatorum suorum existimationem in immensum extollentes, Neronis per Corbulonem victorias inaniter cecinerint. Erat autem Parthorum mos ex equis pugnare, & fugam simulantes, auersis arcubus insequentes hostes confodere. Hic Ouid. 1. de Arte.

*Tergaque Parthorum, Romanaq; pectora dicã,*
*Telaque ab auerso quæ iacit hostis, equo*
*Quid fugis ut uineas? Quid uicto Parthe relinquis.*
*Parthe, malũ iã nunc Mars tuus omen habet.*

Valebant ergo Parthi plurimum sagittis, quibus etiam aduersus insequentes vtebantur, illos certis transfigentes vulneribus: nec eos, recedentes, sinebant securos, quinimmo ex improuiso eos adorientes, illos necabant, vulnerabant, aut capiebant, saltem quousque eos è suis finibus expulissent. Quod vero hic dicitur: *Vulnera Parthi*, intelligi potest tam actiuè, quam passiuè, seu de vulneribus illatis, & acceptis à Parthis: & data opera Persius vtitur amphibolia, ne Romanorum incurreret odium.

odium. Credendum etiam plerosque tunc fuisse qui, vt Neroni adularentur, Parthica, tam metro, quam soluta scriberent oratione, quiue præmitterent Apollinis, & Musarum inuocationem, poscerentque sibi centum ora, & linguas, & de his nunc intelligit.

*DVCENTIS*, dictum per apheresin, pro educentis, siue extrahentis, vel extraducentis. In quo etiam sensu Virgilius 10 Ænei v. 744. ait;

*eduxit corpore telum.*

Nec tantum educitur, quod erat penitus infixum, vt telum è corpore, vel planta è solo, si inde euellatur, sed etiam quum, quod repositũ fuerat, promitur, vt vtensilia è penu, vel pecunia è loculis, indeque passim dicimus gladium è vagina educi. Cõposita enim è verbo Duco, vt seduco, induco, adduco, abduco, deduco, & alia, non important ex sua natura aliquid intimum, & ita nec istud educo nunc positum ad significandam prolationem sagittæ.

*AB inguine ferrum.* Quid sit inguen, dictum est ad illud satyræ 4 versu 37.

*Inguinibus quare detonsus curculio extat.*

Mirum autem, quæ comminiscantur interpretes, de Parthis educentibus ferrum ab inguine; nam Ioannes Bond, Thomas Farnabius, Franciscus Stellutus, & quidam alij antiquiores volunt, his verbis significari leoninam Parthorum ferociam, qua tela extraherent è suis transfixis, nedum corporibus, sed etiam inguinibus, eaque in hostes retorquerent. Sed præterquamquod Parthorum hostes, Romani, aduersus illos non eminus sagittis, sed cominus contis, & gladijs dimicabant, quis nescit in-

inguinum vulnera, ob locorum cauitatem, esse læthalia, statimque necare. Vnde Statius 8. Thebaid. versu 582.

*Iamdudum uideo, magnū cupis improbe læthi*
*Nomen ait simul audacem non ense, nec hasta*
*Dignatus, leuiter digitis imbelle solutis*
*Abiecit iaculum, latebras tamen inguinis aliè*
*Missile, ceu totis intortum uiribus, hausit*
*Præterit haud dubiū fati, & spoliare superbit*
*Oenides: neq; enim has Martis, aut tibi bellica*
*Pallas*
*Exuuias figemus ait.*

At Casaubonus, horum verborum interpretationem, nec hilo adfert meliorem, vult enim his verbis significari morem sagittandi ab inguine; nam quum ex Eustathio, & alijs nouissemus ait, tres vulgatos sagittandi modos, qui sunt à mamma, ab auricula dextera, & ab humero, quartum hic innuit Persius, eumque tribuit Parthis, nimirum ab inguine, quem Propertius tribuit etiam Gallis, dicens: *Illi uirgatis iacu'antis ab inguine braccis*. Verum, puto, nihil minus voluisse Persium hic, quam tradere sagittandi modum, qui certè idem erat apud omnes, certum & singularem petentes hostem: nimirum ab humero, & auricula dextera; ita enim, sinistro oculo clauso, dextero sagitta in hostem, vel scopum dirigebatur. Et hic dicebatur mos sagittandi ab humero, vel capite, vel ab aure dextera, nam omnia hæc vnum & idem significant. Illud vero de sagittatione à mamma, intelligendum per metalepsim antecedentis, quia mamma, seu nixu pectoris intendebatur arcus, vt telum reciperet,

quod

quod deinde in hostem displodere debebant. Si quando vero in multos, & confertos hostes sagittæ mittendæ forent, vndecumque mitti poterant, à dextris, & sinistris, & tam ante, quam retro, vt Parthi faciebant, non enim oportebat oculo telum in hostem dirigere, quum hic multus, & confertus erat. Vnde nusquam poterit probare Casaubonus fuisse morem sagittandi ab inguine, nec Propertius id dixit. Sic enim hic ait lib. 4. eleg. 11.

*Claudius à Rheno traiectos arcuit hostes*
*Belligerans, uasti parma relata Ducis*
*Virdomari, genus hic Rheno iactabat ab ipso*
*Nobilis erectis fundere gesa rotis*
*Illi uirgatis iaculantis ab agmine braccis.*
*Torques ab incisa decidit unca gula.*

Non ergo ab inguine, sed agmine, idest suorũ commilitonum medio, sagittabat Virdomarus, quum illi amputatum fuit caput, & torques detracta. Positæ igitur interpretationes, non videntur ad mentem autoris, sed potius si dicamus, inguina posita per metonymiam subiecti adhærentis, nempe pro pharetra dependente è latere, & circa inguina, ex qua educebantur sagittæ, & arcu in hostem mittebantur, ad eum vulnerandum, vel necãdum, vt sit sensus, Poetas passim sibi a Dijs precari centum linguas, voces, & ora, tam quum in scena repræsentant Tragœdias Terei, vel Atrei, quam quum heroicum componunt poema de gestis Romanorum aduersus Parthos. Et quamuis vulnera Parthi possint intelligi actiuè, & passiuè, idest illata, & accepta a Parthis, magis tamen propendo, vt intellexerit de illatis a Par-

this,

this, quum meminerit telorum è pharetris eductorum, quibus Parthi vulnera inferebāt. Vsus autem amphibolia tum ne Romanis foret odio, tum ne videretur Neronem contemnere, sub cuius auspicijs Corbulo præclarissimus belli Dux bellum aduersus Parthos administrabat, magna quidē virtute, industria, ac vigilantia, sed, siue ab hostium peruicaciam, siue ob apparatus bellici, & commentuum inopiam, non multa prosperitate. Et hæc interpretatio est retinenda, maximè quum non dixerit iaculantis, sed *educentis ab inguine ferrum*.

*QVORSVM hæc? aut quantas robusti carminis offas ingeris, ut par sit centeno gutture niti?* Verba sunt Cornuti, admirantis principium loquendi Persij in hac satyra, & interrogantis, quo tenderet, seu ad quem finem ita loqueretur. Quorsum autem, vel Quorsus, idem est, ac Quouersus, seu versus quem locum, & aliquando sumitur indefinitè, vt, Nescio quorsū eamus; vel, Teneo quorsum euadere possis. Aliquando relatiuè, vt, Romam versus procedo, quorsum vos etiam iter instituistis. Sæpe interrogatiuè, vt dicendo, Quorsum tenditis? quibus loquendi formis significatur motus progressiuus, aut alius corporalis, qui fit cum loci mutatione. Sed nonnumquam sumitur metaphoricè, vt quum dico, Nescio quorsum tendas, tu, vel oratio tua: nam sentio me nescire, quid verbis velis, vel ad quod propositum fueris locutus. Et hoc modo, nempe metaphoricè intelligendum, quod nunc ait Cornutus.

*QVAN-*

*QVANTA robusti carminis offas.* Carmen robustum, est heroicum, idest illud, cuius materia sunt res heroicæ, vt heroum, Regum, vel clarorum virorum gesta, quam materiam decet altiloquentia: at carmen continens amatoria, vel humiliora, dicitur molle, & à Virgilio, deductum, sic enim ait eclog. 6. versu 3.

> *Cum canerem Reges, & prælia, Cynthius aurẽ*
> *Vellit, & admonuit pastorem Tytire, pingues*
> *Pascere oportet oues, deductum dicere carmen.*

Deductum inquit, ab illa altitudine versus heroici demissum, per roboris, & robustæ materiæ substractionem. Itaque carmen robustũ, est, quo cantantur res heroicæ.

*OFFA* est quodlibet carnis frustum: hinc pars carnis suillæ, cui adhæret cauda, offa penita dicitur, nam cauda est penis. Offa etiam est cibus compositus ex frustis panis inctinctis pingui iure, cum vetere caseo, pipere, & cinnamomo, ad inuicem mistis. Immo offa dicta quælibet massa cibaria, vnde Virgilius 6. Æn. versu 419. ait:

> *Cui Vates, horrere videns iam colla colubris*
> *Melle soporatam, & medicatis frugibus offam*
> *Objicit.*

Et Plinius lib. 9. cap. 48. ait: *Nec venena cessant dira, vt in lepore, qui in Indico mari, etiam tactu pestilens, uomitum, dissolutionemque stomachi protinus creat, in nostro offa informis, colore tantum lepori similis, in Indis & magnitudine, & pilo duriore tantum, nec uiuus ibi capitur.* Sic Cicero 1. de Diuinat. *Nostri quidem magistratus auspicijs utuntur coactis: necesse enim est, offa obiecta, cadere frustum ex pulli*

*ore, quum pascitur.* Et lib. 2. de Diuinat. *Quia quum pa[...]untur, necesse est aliquid ex ore cadere, terram pauire, terr[i]pauium primo, post terripudium, dictum est, hoc quidem iam tripudium. Quum igitur offa iam cecidit ex ore pulli, tum auspicanti tripudium solistimum nunciant. Ergo hoc auspicium Diuini quidquam habere potest, quod tam sit coactum, & expressum? quo antiquissimos augures non usos, argumento est, quod decretum Collegij vetus habemus, Omnem auem tripudium facere posse. Tum igitur esset auspicium, si modo ei esset liberum se ostendisse, tum auis illa uideri posset interpres, & satelles Iouis. Nunc uero inclusa in cauea, & fame enecta, si in offam pultis inuadit, etsi aliquid ex ore cecidit, hoc tu auspi[ci]um, aut hoc modo Romulum auspicari solitum putas.* Sic Varro RR. lib. 3. cap. 5. *Cibatui offas positas: eæ maximè glomerantur ex ficis & farre misto.* Et Columella lib. 12. c. 38. [Vinum myrtiten ad tormina, & ad alui proluuiem, & ad imbecillem stomachum, sic facito. Duo sunt genera myrti, quorum alterum est nigrum, alterum album. Nigri generis baccæ: quum sunt m[...] earum ex[...] in [...]

Tum exiguum musti sumitur, ex ea seria, quā medicaturi sumus, & tamquam farina consperg:tur quidquid contusum, & appensum est. Post hæc complures ex ea massulæ fiunt, & ita per latera seriæ in mustum demittuntur, ne altera offa super alia perueniat. Quum deinde bis mustum defe:buerit, & bis curatū est, rursus eodem modo, & tantumdem ponderis baccæ, sicut supra dixi, contunditur, nec iam vt prius, massulæ fiunt, sed in labello mustum de eadem seria sumitur, prædicto ponderi permiscetur, sic vt fit instar iuris crassi, quod, quum est permistum, in eamdem seriam confunditur, & rutabulo ligneo peragitatur: deinde post nonum diem, quam id factum est, vinum purgatur, & scopulis aridæ myrti, seria sustratur, operculumque superimponitur, ne quid eo decidat. Hoc facto, post septimum diem, rursus vinum purgatur, & in amphoras benè picatas, & benè olidas diffunditur. Sed curandum est, vt quum diffundis, liquidum, & sine fœce diffundas.] Off[illegible]itur est rerum quar[illegible] massa[illegible]ericis, maximè [illegible] h[illegible]etaphoricè [illegible] emphati-

[illegible]

Ingerere vero verba, vel sententias, est, nolentem etiam cogere ad audiendum, vt Ligurinus de quo Martialis lib. 3. epigram. 44. vel lib. 5. epigram. 90.

*Occurrit tibi nemo quod libenter,*
*Quod quocumque uenis fuga est, & ingens*
*Circa te Ligurine, solitudo,*
*Quid sit, scire cupis? nimis poeta es.*
*Hoc ualdè u tium periculosum est.*
*Non tigris, catulis citata raptis,*
*Non dipsas, medio perusta sole,*
*Non sic scorpius improbus timetur:*
*Nam tantos, rogo, quis ferat labores?*
*Et stanti legis, & legis sedenti,*
*Currenti legis, & legis cacanti.*
*In thermas fugio, sonas ad aurem,*
*Piscinam peto, non licet natare,*
*Ad cœnam propero, tenes euntem,*
*Ad cœnam uenio, fugas sedentem,*
*Lassus dormio, suscitas iacentem.*
*Vis quantum facias mali uidere?*
*Vir iustus, probus, innocens, timeris.*

Talis erat etiam Eumolpus ille, de quo ait Petronius in Satyrico: Dum lauor, ait, pene vapulaui, quia conatus sum circa solium sedentibus carmen recitare. Sic Plaut. Asinaria Actu 5. scena 2.

*Nunc uxorem me esse meministi tuam,*
*Modo quom dicta in me ingerebas, odium, non uxor eram.*

Et Horatius 1. sermonum satyra 5.

*Tum pueri nautis, pueris conuicia nautæ*
*Ingerere.*

Et Plautus Pseudolo Actu 1. scena 3.

*In-*

*Ingere mala multa,*

pro conuiciari, & maledicere. Sæpe ingerere, est cibum, vel potionem porrigere nauseanti, qui sponte accipere nolens, prece vel autoritate offerentis, inducitur ad sumendum. Et ita Persius perstans in metaphora de offis carminum, ait, eas ingerere, audiendasque exhibere etiam nolentibus, & quidem tót, ac tantas, vt ad eas absumendas, non minus quam ad eloquendas, centum requirantur guttura.

*GRANDE locuturi, nebulas Helicone legunto, si quibus aut Prognes, aut si quibus olla Thyestæ feruebit, sæpe insulso cœnanda Glyconi.* Verba sunt Cornuti quasi dicentis: Ista, ò Persi, tibi non conueniunt, nam tibi Satyras, idest res humiles scribenti, non conceditur dicere grandia, ideoque nec colligere nebulas ex monte Heliconis: hoc enim illis tantum permittitur, qui de Progne, aut cœna Thyestis scribunt, siquidem granditas, sublimitas, vel magnificentia, quæ est maxima orationis virtus, propria est Tragicorum, iuxta illud Ouidij 2. Tristium:

*Omne genus scripti grauitate Tragedia vincit.* Sed hanc sublimitatem, inepti quidam affectantes: nec debitis fulti præsidijs, in illud incidũt orationis vitium, quod in Instit. Orat. lib 3. Tract. 3 cap. 2. sufflatum, frigidumque appellauimus, ostentans quidem granditatis speciẽ, à re vero illius omninò remotum. Idque Cornutus nunc notans, ironicè, granditatem dicit, eorum qui nebulas Heliconis colligunt, quorum oratio, sapientiæ, sensuumque subsistentiam non habet, sed tantum verborum infla-

tionem, quasi ex nebulis. Nebula enim est vapor crassus, ex aquis vel humentibus locis eductus; ineptus in aquam, vel niuem concrescere, quamuis ob crassitiem, pinguedinemque grauescens, circa terram resideat, quousque à sole, vel vento dissipetur: ideoque à metheoristis appellatur nubes sterilis, & inter differentias alias, quibus à nube distinguitur, ea est, quod nubes proximè apta est concrescere in aquam, niuem, aut grandinem, nebula vero ad summum in rorem crassiorem. Et ista nebula, siue caligo, tunc est maximè sterilis, quum est residuum nubis in aquam resolutæ. In hoc tamen Persij loco, nebula sumitur metaphoricè pro Musis, & Apolline, quasi earum inuocatio sit, vt nebula, res inanis, & nihil profutura. Vel pro verbis inanibus, siue futilibus, à quorum vsu, denominantur aliqui Nebulones. Vel pro fabulosa narratione, quę, ad instar nebulæ, apparentiam quidem habet, nulla tamen prędita est subsistentia.

*NEBVLAS Helicone legunto*. De Helicone dictum ad illa verba proœmij: *Heliconidasque pallidamque Pirenem*. Legunto autem est imperatiuum ad similitudinem verbi lego, idem valens ac, fac colligant. Illis enim, qui res gestas Heroum, vel clarorum ducum dicere debent, nedum concessum, sed etiam præceptum est, nubes ex Heliconis colligere, alioquin frustra laborabunt assurgere in granditatem rebus proportionatam, nisi verbis vtantur sesquipedalibus, & soni vastioris: Tibi vero satyrarum, & rerum humilium scriptori, alia incedendum est via. Legunto autem est à verbo

bo lego, colligunto, siue hinc inde decerpũto. Sic Virg. Ecloga 3. versu 92.

*Qui legitis flores, & humi nascentia fraga,*
*Frigidus, ò pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.*

Sic Columella lib. 2. cap. 21. *Metendi genera complura. Multi falcibus verriculatis, atque ijs vel rostratis, vel denticulatis, medium culmen secant, multi mergis, alij pectinibus spicam ipsam legunt.* Hoc ergo modo leguntur, siue colliguntur nebulæ Heliconiacę, idest figuræ, verba, vel sententiæ sufflatæ, frigidæ, & ineptæ, à quibus oratio non veram granditatem, robur, & consistentiam, sed sufflationem, &, nebularum more, apparentiam tantum habet.

SI *quibus, aut Prognes.* Tereus Thraciæ Rex, Martis ex Bistonide Nympha filius, vxorem duxerat Prognem, Pandione Athenarũ Rege genitam, Philomelæ maiorem sororem, ex qua quum Ityn filium suscepisset, aduertés illam sororis visendæ desiderio contabescere, audiensque Philomelam incredibili, ferequè diuina præditam pulchritudine, eius potiundæ libidine, de Prognis voluntate, Athenas profectus, Philomelam à Pandione impetrauit, specie eam ad Prognem ducendi. Cum ea igitur ad sui vsque Regni fines incolumis venit, ibique ad quamdam domum solitariam, furtiuisque proportionatam libidinibus, cum Philomela diuertit, specie eam releuandi è lõgæ nauigationis nausea. Ibi Philomelæ aggressus expugnare pudicitiam, vbi precibus, blanditijs, promissis, minis etiam, & terroribus, vidit se nihil proficere, ad apertam vim

conuersus, Ili, omni nisu repugnanti, virginitatem abstulit, indigneque id ferenti, ne conqueri posset, factumque patri, aut sorori manifestare, linguam abscidit, & in eadem clausit domo, custodibus, grauissimis sub pœnis interdicens, ne illam alicui visendam darent, aut illi potestatem facerent, cuicumque scribendi. Quo facto, Dauliam Regni sui metropolim reuersus, Progni mentitus est, Philomelam noctu è naui in mare lapsam, submersamque fuisse. Philomela igitur, quum sibi non concederetur, nuncium, vel epistolam patri, vel sorori transmittere, linteolum petijt, cum acu, & filo: & vt in Mineruæ artibus ad miraculum erat edocta, omnem, linteolo illi insculpsit suã Tragœdiam, illudq; cõplicatum, clam Progni sorori transmisit: quę, re intellecta, licet maximo affecta dolore, prudenter tamen dissimulauit ad vsque Orgiorum, & sacrorum Bacchi sollemnitatem: quando, innumeris comitata Bacchantibus, thyrso armata, ad domum venit qua Philomela detinebatur, & in eã violenter irrumpens, sororem Bacchantis ritu ornauit, & ita, inde eductam, saluam dissimulatamque in Regiam Dauliæ introduxit: vbi, Orgijs iam absolutis, communicato cum sorore consilio, Ityn suum ex Tereo filium, necatum, patri epulandum apposuit; qui quum talibus, quasi suauissimis se ingurgitauisset epulis, vt illum certioraret quid comedisset, Itydis manus, & caput, integra seruata, eidem exhibuit, simulque declaratura, in cuius criminis vindictam id foret ausa, Philomelam adstare fecit, atque ita viro facinus exprobrauit.

uit. Hic vero doloris impatiens, dum stricto pugione vxorē insequitur eam interfecturus, illa territa, fenestra elabitur, Deorum miseratione in auem hirundinem conuersa, quæ vsque nunc pectus ostendit quasi sanguine fœdatum, indicium illius quo se, filium occidendo maculauerat, quod cecinit Ouidius dicens 2. de Arte:

*Altera dira parēs hæc est, quā cernis hirundo,*
*Aspice, signatum sanguine pectus habet.*

Referunt Pausanias in Bœoticis, & Plin. lib. 10 cap. 24. hirundines in Daulia, seu Bizia Tracię non nidificare, quasi Terei scelus horrētes. Innuit Virg. loquens de aluearibus 4. Georg. versu 13.

*Absint, & picti squalentia terga lacerti,*
*Pinguibus à stabulis, meropesq; alięq; volucres*
*Et manibus Progne pectus signata cruentis.*

Philomela autem, quæ lingua trūcata fuerat, barbarum Tyrannum fugiens, in lusciniam mutata, cantus suauitate, alitibus præstat omnibus. Sic Martial. lib. 14. epig. 75.

*Flet Philomela nefas incesti Tereos, & quæ*
*Muta puella fuit, garrula fertur auis.*

Itys etiam iam occisus, & in patris conditus viscera, in auem phasianum transformatus, conuenientem regijs epulis, saporis seruat suauitatem, inter altilium carnes maximè laudatus. Tereus denique, dum tantas suorum stupet metamorphoses, aliam in se experitur, mutatus in cassitam, seu galeritā, vel vpupam, quæ in signum cristæ, seu militaris galeri, siue Regij diadematis, plumas quasdā alijs longiores, & elatas, capite gestat. Hinc quidam ait:

tur, soli iugum detrectauerint, Crassumque ingenti legionariorum stipatū exercitu, ignominiosè necauerint, illi usque fuderint legiones, & M. Antonium Triumuirum anhelantem ad gloriam vindicatæ cædis Crassi, ad eādem ferè deduxerint sortem, multo sanè cum dedecore è suis finibus expulerunt. Corbulonem etiam, insignem militiæ Ducem, sub Imperio Neronis, licet non deleuerint, illi tamen numquam cesserunt, nec eum præualere siuerunt. Quamuis Romani, vt erant tam auri, quā gloriæ appetentissimi, Imperatorum suorum existimationem in immensum extollentes, Neronis per Corbulonem victorias inaniter cecinerint. Erat autem Parthorum mos ex equis pugnare, & fugam simulantes, auersis arcubus insequentes hostes confodere. Hic Ouid. 1. de Arte.

*Tergaque Parthorum, Romanaq; pectora dicā,*
*Telaque ab auerso quæ iacit hostis, equo*
*Quid fugis ut uincas? Quid uicto Parthe relinquis.*
*Parthe, malū iā nunc Mars tuus omen habet.*

Valebant ergo Parthi plurimum sagittis, quibus etiam aduersus insequentes vtebantur, illos certis transfigentes vulneribus: nec eos, recedentes, sinebant securos, quinimmo ex improuiso eos adorientes, illos necabant, vulnerabant, aut capiebant, saltem quousque eos è suis finibus expulissent. Quod vero hic dicitur: *Vulnera Parthi*, intelligi potest tam actiuè, quam passiuè, seu de vulneribus illatis, & acceptis à Parthis: & data opera Persius vtitur amphibolia, ne Romanorum incurreret odium.

odium. Credendum etiam plerosque tunc fuisse qui, vt Neroni adularentur, Parthica, tam metro, quam soluta scriberent oratione, quiue præmitterent Apollinis, & Musarum inuocationem, poscerentque sibi centum ora, & linguas, & de his nunc intelligit.

*DVCENTIS*, dictum per aphæresin, pro educentis, siue extrahentis, vel extraducentis. In quo etiam sensu Virgilius 10. Æneì v. 744. ait;

*eduxit corpore telum.*

Nec tantum educitur, quod erat penitus infixum, vt telum è corpore, vel planta è solo, si inde euellatur, sed etiam quum, quod repositũ fuerat, promitur, vt vtensilia è penu, vel pecunia è loculis, indeque passim dicimus gladium è vagina educi. Cõposita enim è verbo Duco, vt seduco, induco, adduco, abduco, deduco, & alia, non important ex sua natura aliquid intimum, & ita nec istud educo nunc positum ad significandam prolationem sagittæ.

*AB inguine ferrum.* Quid sit inguen, dictum est ad illud satyræ 4 versu 37.

*Inguinibus quare detonsus curculio extat.*

Mirum autem, quæ comminiscantur interpretes, de Parthis educentibus ferrum ab inguine: nam Ioannes Bond, Thomas Farnabius, Franciscus Stellutus, & quidam alij antiquiores volunt, his verbis significari leoninam Parthorum ferociam, qua tela extraherent è suis transfixis, nedum corporibus, sed etiam inguinibus, eaque in hostes retorquerent. Sed præterquamquod Parthorum hostes, Romani, aduersus illos non eminus sagittis, sed cominus contis, & gladijs dimicabant, quis nescit in-

inguinum vulnera, ob locorum cauitatem, esse læthalia, statimque necare. Vnde Statius 8. Thebaid. versu 582.

*Iamdudum uideo, magnū cupis improbe læthi*
*Nomen ait simul audacem non ense, nec hasta*
*Dignatus, leuiter digitis imbelle solutis*
*Abiecit iaculum, latebras tamen inguinis aliè*
*Missile, ceu totis intortum uiribus, hausit*
*Præterit haud dubiū fari, & spoliare superbit*
*Oenides: neq; enim has Martis, aut tibi bellica*
*Pallas*
*Exuuias figemus ait.*

Et Casaubonus, horum verborum interpretationem, nec hilo adfert meliorem, vult enim his verbis significari morem sagittandi ab inguine; nam quum ex Eustathio, & alijs nouissemus ait, tres vulgatos sagittandi modos, qui sunt à mamma, ab auricula dextera, & ab humero, quartum hic innuit Persius, eumque tribuit Parthis, nimirum ab inguine, quem Propertius tribuit etiam Gallis, dicens: *Illi uirgatis iacu'antis ab inguine braccis*. Verum, puto, nihil minus voluisse Persium hic, quam tradere sagittandi modum, qui certè idem erat apud omnes, certum & singularem petentes hostem: nimirum ab humero, & auricula dextera; ita enim, sinistro oculo clauso, dextero sagitta in hostem, vel scopum dirigebatur. Et hic dicebatur mos sagittandi ab humero, vel capite, vel ab aure dextera, nam omnia hæc vnum & idem significant. Illud vero de sagittatione à mamma, intelligendum per metalepsim antecedentis, quia mamma, seu nixu pectoris intendebatur arcus, vt telum reciperet, quod

quod deinde in hostem displodere debebant. Si quando vero in multos, & confertos hostes sagittæ mittendæ forent, vndecumque mitti poterant, à dextris, & sinistris, & tam ante, quam retro, vt Parthi faciebant, non enim oportebat oculo telum in hostem dirigere, quum hic multus, & confertus erat. Vnde nusquam poterit probare Casaubonus fuisse morem sagittandi ab inguine, nec Propertius id dixit. Sic enim hic ait lib. 4. eleg. 11.

*Claudius à Rheno traiectos arcuit hostes*
*Belligerans, vasti parma relata Ducis*
*Virdomari, genus hic Rheno iactabat ab ipso*
*Nobilis erectis fundere gesa rotis*
*Illi uirgatis iaculantis ab agmine braccis.*
*Torques ab incisa decidit unca gula.*

Non ergo ab inguine, sed agmine, idest suorũ commilitonum medio, sagittabat Virdomarus, quum illi amputatum fuit caput, & torques detracta. Positæ igitur interpretationes, non videntur ad mentem autoris, sed potius si dicamus, inguina posita per metonymiam subiecti adhęrentis, nempe pro pharetra dependente è latere, & circa inguina, ex qua educebantur sagittæ, & arcu in hostem mittebantur, ad eum vulnerandum, vel necãdum, vt sit sensus, Poetas passim sibi à Dijs precari centum linguas, voces, & ora, tam quum in scena repręsentant Tragœdias Terei, vel Atrei, quam quum heroicum componunt poema de gestis Romanorum aduersus Parthos. Et quamuis vulnera Parthi possint intelligi actiuè, & passiuè, idest illata, & accepta a Parthis, magis tamen propendo, vt intellexerit de illatis à Parthis,

this, quum meminerit telorum è pharetris eductorum, quibus Parthi vulnera inferebāt. Vsus autem amphibolia tum ne Romanis foret odio, tum ne videretur Neronem contemnere, sub cuius auspicijs Corbulo præclarissimus belli Dux bellum aduersus Parthos administrabat, magna quidē virtute, industria, ac vigilantia, sed, siue ab hostium peruicaciam, siue ob apparatus bellici, & commeatuum inopiam, non multa prosperitate. Et hæc interpretatio est retinenda, maximè quum non dixerit iaculantis, sed *educentis ab inguine ferrum*.

*QVORSVM hæc? aut quantas robusti carminis offas ingeris, ut par sit centeno gutture niti?* Verba sunt Cornuti, admirantis principium loquendi Persij in hac satyra, & interrogantis, quo tenderet, seu ad quem finem ita loqueretur. Quorsum autem, vel Quorsus, idem est, ac Quouersus, seu versus quem locum, & aliquando sumitur indefinitè, vt, Nescio quorsū eamus; vel, Teneo quorsum euadere possis. Aliquando relatiuè, vt, Romam versus procedo, quorsum vos etiam iter instituistis. Sæpe interrogatiuè, vt dicendo, Quorsum tenditis? quibus loquendi formis significatur motus progressiuus, aut alius corporalis, qui fit cum loci mutatione. Sed nonnumquam sumitur metaphoricè, vt quum dico, Nescio quorsum tendas, tu, vel oratio tua: nam sentio me nescire, quid verbis velis, vel ad quod propositum fueris locutus. Et hoc modo, nempe metaphoricè intelligendum, quod nunc ait Cornutus.

QVAN-

*QVANTA is robusti carmis is offas.* Carmen robustum, est heroicum, dest illud, cuius materia sunt res heroicæ, vt heroum, Regum, vel clarorum virorum gesta, quam materiam decet altiloquentia: et carmen continens amatoria, vel humilia, dicitur molle, & à Virgilio, deductum, sic enim ait eclog. 6. versu 3.

*Cùm canerem Reges, & prælia, Cynthius aurē*
*Vellit, & admonuit pastorem Tytire, pingues*
*Pascere oportet oues, deductum dicere carmen.*

Deductum inquit, ab illa altitudine versus heroici demissum, per roboris, & robustæ materiæ subtractionem. Itaque carmen robustū, est, quo cantantur res heroicæ.

*OFFA* est quodlibet carnis frustum: hinc pars carnis suillæ, cui adhæret cauda, offa penita dicitur, nam cauda est penis. Offa etiam est cibus compositus ex frustis panis inctinctis pingui iure, cum vetere caseo, pipere, & cinnamomo, ad inuicem mistis. Immo offa dicta quælibet massa cibaria, vnde Virgilius 6. Æn. versu 419. ait:

*Cui Vates, horrere videns iam colla colubris*
*Melle soporatam, & medicatis frugibus offam*
*Obijcit.*

Et Plinius lib. 9. cap. 48. ait: *Nec venena cessant dira, vt in lepore, qui in Indico mari, etiam tactu pestilens, uomitum, dissolutionemque stomachi protinus creat, in nostro offa informis, colore tantum lepori similis, in Indis & magnitudine, & pilo duriore tantum, nec uiuus ibi capitur.* Sic Cicero 1. de Diuinat. *Nostri quidem magistratus auspicijs utuntur coactis: necesse enim est, offa obiecta, cadere frustum ex pulli*

*ore*, *quum pascitur*. Et lib. 2. de Diuinat. *Quia quum pascuntur, necesse est aliquid ex ore cadere, terram pauire, terripauium primo, post terripudium, dictum est, hoc quidem iam tripudium. Quum igitur offa iam cecidit ex ore pulli, tum auspicanti tripudium solistimum nunciant. Ergo hoc auspicium Diuini quidquam habere potest, quod tam sit coactum, & expressum? quo antiquissimos augures non usos, argumento est, quod decretum Collegij vetus habemus, Omnem auem tripudium facere posse. Tum igitur esset auspicium, si modo ei esset liberum se ostendisse, tum auis illa uideri posset interpres, & satelles Iouis. Nunc uero inclusa in cauea, & fame enecta, si in offam pultis inuadit, etsi aliquid ex ore cecidit, hoc tu auspicium, aut hoc modo Romulum auspicari solitum putas.* Sic Varro RR. lib. 3. cap. 5. *Cibatui offas positas: eæ maximè glomerantur ex ficis & farre misto.* Et Columella lib. 12. c. 38. [Vinum myrtiten ad tormina, & ad alui proluuiem, & ad imbecillem stomachum, sic facito. Duo sunt genera myrti, quorum alterum est nigrum, alterum album. Nigri generis baccæ: quum sunt maturæ leguntur, & semina earum eximuntur, atque ipsæ sine seminibus in sole siccantur, & in fictili fidelia, sicco loco reponuntur: deinde per vindemiam, ex vetere arbusto, vel, si id non est, ex vetustissimis vineis, amineæ bene maturæ vuæ, sole calido leguntur, & ex his mustum adijcitur in seriam, & statim primo die, antequam id ferueat, baccæ myrti, quæ fuerant repositæ, diligenter cõteruntur, & totidem earum libræ contusarum appenduntur, quot amphoræ condiri debent.

Tum

Tum exiguum multi sumitur, ex ea feria, quã medicaturi sumus, & tamquam farina conspergitur quidquid contusum, & appensum est. Post hæc complures ex ea massulæ fiunt, & ita per latera feriæ in musium demittuntur, ne altera offa super alia perueniat. Quum deinde bis musium deferbuerit, & bis curatũ est, rursus eodem modo, & tantumdem ponderis baccæ, sicut supra dixi, contunditur, nec iam vt prius, massulæ fiunt, sed in labello mustum de eadem seria sumitur, prædicto ponderi permiscetur, sic vt sit instar iuris crassi, quod, quum est permistum, in eamdem seriam confunditur, & rutabulo ligneo peragitatur: deinde post nonum diem, quam id factum est, vinum purgatur, & scopulis aridæ myrti, seria suffriatur, operculumque superimponitur, ne quid eo decidat. Hoc facto, post septimum diem, rursus vinum purgatur, & in amphoras bene picatas, & bene olidas diffunditur. Sed curandum est, vt quum diffundis, liquidum, & sine fœce diffundas. ] Offa igitur est rerum quarumcumque massa, siue congeries, maximè esculentarum. At hic sumitur metaphoricè pro congerie verborum inflatorum, emphaticorum, & sesquipedalium.

*INGERIS* est intro fers, componitur enim ex particula in, denotante motum ad partes interiores, & verbo gero, ex cuius supino, gestum venit gestatio, quæ est baiulatio, vt gerere sit ferre, & ingerere, baiulare ad partes interiores. Sic Plautus Pseudolo Actu 1. sc. 2.

*Tu qui urnam habes, aquam ingere, face plenum ahenum sit cito.*

Ingerere vero verba, vel sententias, est, nolentem etiam cogere ad audiendum, vt Ligurinus de quo Martialis lib. 3. epigram. 44. vel lib. 5. epigram. 90.

*Occurris tibi nemo quod libenter,*
*Quod quocumque uenis fuga est, & ingens*
*Circa te, Ligurine, solitudo,*
*Quid sit, scire cupis? nimis poeta es.*
*Hoc ualdè uitium periculosum est.*
*Non tigris, catulis citata raptis,*
*Non dipsas, medio perusta sole,*
*Non sic scorpius improbus timetur:*
*Nam tantos, rogo, quis ferat labores?*
*Et stanti legis, & legis sedenti,*
*Currenti legis, & legis cacanti.*
*In thermas fugio, sonas ad aurem,*
*Piscinam peto, non licet natare,*
*Ad cœnam propero, tenes euntem,*
*Ad cœnam uenio, fugas sedentem,*
*Lassus dormio, suscitas iacentem.*
*Vis quantum facias mali uidere?*
*Vir iustus, probus, innocens, timeris.*

Talis erat etiam Eumolpus ille, de quo ait Petronius in Satyrico: Dum lauor, ait, pene vapulaui, quia conatus sum circa solium sedentibus carmen recitare. Sic Plaut. Asinaria Actu 5. scena 2.

*Nunc uxorem me esse meministi tuam,*
*Modo quom dicta in me ingerebas, odium, non uxor eram.*

Et Horatius 1. sermonum satyra 5.

*Tum pueri nautis, pueris conuicia nautæ*
*Ingerere.*

Et Plautus Pseudolo Actu 1. scena 3.

In-

*Ingere mala multa,*
pro conuiciari, & maledicere. Sæpe ingerere, est cibum, vel potionem porrigere nauseanti, qui sponte accipere nolens, prece vel autoritate offerentis, inducitur ad sumendum. Et ita Persius perstans in metaphora de offis carminum, ait, eas ingerere, audiendasque exhibere etiam nolentibus, & quidem tót, ac tantas, vt ad eas absumendas, non minus quam ad eloquendas, centum requirantur guttura.

*GRANDE locuturi, nebulas Helicone legunto, si quibus aut Prognes, aut si quibus olla Thyestæ feruebit, sæpe insulso cœnanda Glyconi.* Verba sunt Cornuti quasi dicentis: Ista, ò Persi, tibi non conueniunt, nam tibi Satyras, idest res humiles scribenti, non conceditur dicere grandia, ideoque nec colligere nebulas ex monte Heliconis: hoc enim illis tantum permittitur, qui de Progne, aut cœna Thyestis scribunt, siquidem granditas, sublimitas, vel magnificentia, quæ est maxima orationis virtus, propria est Tragicorum, iuxta illud Ouidij 2. Tristium:

*Omne genus scripti grauitate Tragædia vincit.*
Sed hanc sublimitatem, inepti quidam affectãtes: nec debitis fulti præsidijs, in illud incidũt orationis vitium, quod in Instit. Orat. lib 3. Tract. 3 cap. 2. sufflatum, frigidumque appellauimus, ostentans quidem granditatis speciẽ, à re vero illius omninò remotum. Idque Cornutus nunc notans, ironicè, granditatem dicit, eorum qui nebulas Heliconis colligunt, quorum oratio, sapientiæ, sensuumque subsistentiam non habet, sed tantum verborum infla-

tionem, quasi ex nebulis. Nebula enim est vapor crassus, ex aquis vel humentibus locis eductus; ineptus in aquam, vel niuem concrescere, quamuis ob crassitiem, pinguedinemque grauescens, circa terram resideat, quousque à sole, vel vento dissipetur; ideoque à metheoristis appellatur nubes sterilis, & inter differentias alias, quibus à nube distinguitur, ea est, quod nubes proximè apta est concrescere in aquam, niuem, aut grandinem, nebula vero ad summum in rorem crassiorem. Et ista nebula, siue caligo, tunc est maximè sterilis, quum est residuum nubis in aquam resolutæ. In hoc tamen Persij loco, nebula sumitur metaphoricè pro Musis, & Apolline, quasi earum inuocatio sit, vt nebula, res inanis, & nihil profutura. Vel pro verbis inanibus, siue futilibus, à quorum vsu, denominantur aliqui Nebulones. Vel pro fabulosa narratione, quę, ad instar nebulæ, apparentiam quidem habet, nulla tamen prędita est subsistentia.

*NEBVLAS Helicone legunto*. De Helicone dictum ad illa verba procemij: *Heliconidasque pallidamque Pirenem*. Legunto autem est imperatium ad similitudinem verbi lego, idem valens ac, fac colligant. Illis enim, qui res gestas Heroum, vel clarorum ducum dicere debent, nedum conceßum, sed etiam præceptum est, nubes ex Heliconis colligere, alioquin frustra laborabunt assurgere in granditatem rebus proportionatam, nisi verbis vtantur sesquipedalibus, & soni vastioris: Tibi vero satyrarum, & rerum humilium scriptori, alia incedendum est via. Legunto autem est à ver-

bo

bo lego, colligunto, siue hinc inde decerpũto. Sic Virg. Ecloga 3. versu 92.

*Qui legitis flores, & humi nascentia fraga,*
*Frigidus, ò pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.*

Sic Columella lib. 2. cap. 21. *Metendi genera complura. Multi falcibus verriculatis, atque ys vel rostratis, vel denticulatis, medium culmen secant, multi mergis, alij pectinibus spicam ipsam legunt.* Hoc ergo modo leguntur, siue colliguntur nebulæ Heliconiacę, ideſt figuræ, verba, vel ſententiæ ſufflatæ, frigidæ, & ineptæ, à quibus oratio non veram granditatem, robur, & conſiſtentiam, ſed ſufflationem, &, nebularum more, apparentiam tantum habet.

SI *quibus, aut Prognes.* Tereus Thraciæ Rex, Martis ex Biſtonide Nympha filius, vxorem duxerat Prognem, Pandione Athenarum Rege genitam, Philomelæ maiorem ſororem, ex qua quum Ityn filium ſuſcepiſſet, aduertés illam ſororis viſendæ deſiderio contabeſcere, audienſque Philomelam incredibili, fereque diuina præditam pulchritudine, eius potiundæ libidine, de Prognis voluntate, Athenas profectus, Philomelam à Pandione impetrauit, ſpecie eam ad Prognem ducendi. Cum ea igitur ad ſui vſque Regni fines incolumis venit, ibique ad quamdam domum ſolitariam, furtiuiſque proportionatam libidinibus, cum Philomela diuertit, ſpecie eam releuandi è lõgæ nauigationis nauſea. Ibi Philomelæ aggreſſus expugnare pudicitiam, vbi precibus, blanditijs, promiſſis, minis etiam, & terroribus, vidit ſe nihil proficere, ad apertam vim

conuersus, Illi, omni nisu repugnanti, virginitatem abstulit, indigneque id ferenti, ne conqueri posset, factumque patri, aut sorori manifestare, linguam abscidit, & in eadem clausit domo, custodibus, grauissimis sub pęnis interdicens, ne illam alicui visendam darent, aut illi potestatem facerent, cuicumque scribendi. Quo facto, Dauliam Regni sui metropolim reuersus, Progni mentitus est, Philomelam noctu è naui in mare lapsam, submersamque fuisse. Philomela igitur, quum sibi non concederetur, nuncium, vel epistolam patri, vel sorori transmittere, linteolum petijt, cum acu, & filo: & vt in Mineruæ artibus ad miraculum erat edocta, omnem, linteolo illi insculpsit suã Tragœdiam, illudq; cõplicatum, clam Progni sorori transmisit: quę, re intellecta, licet maximo affecta dolore, prudenter tamen dissimulauit ad vsque Orgiorum, & sacrorum Bacchi sollemnitatem: quando, innumeris comitata Bacchantibus, thyrso armata, ad domum venit qua Philomela detinebatur, & in eã violenter irrumpens, sororem Bacchantis ritu ornauit, & ita, inde eductam, saluam dissimulatamque in Regiam Dauliæ introduxit: vbi, Orgijs iam absolutis, communicato cum sorore consilio, Ityn suum ex Tereo filium, necatum, patri epulandum apposuit; qui quum talibus, quasi suauissimis se ingurgitauisset epulis, vt illum certiorarer quid comedisset, Itydis manus, & caput, integra seruata, eidem exhibuit, simulque declaratura, in cuius criminis vindictam id foret ausa, Philomelam adstare fecit, atque ita viro facinus exprobrauit.

uit. Hic vero doloris impatiens, dum stricto pugione vxorẽ insequitur eam interfecturus, illa territa, fenestra elabitur, Deorum miseratione in auem hirundinem conuersa, quæ vsque nunc pectus ostendit quasi sanguine fœdatum, indicium illius quo se, filium occidendo maculauerat, quod cecinit Ouidius dicens 2. de Arte:

*Altera dira parẽs hæc est, quã cernis hirundo,*
*Aspice, signatum sanguine pectus habet.*

Referunt Pausanias in Bœoticis, & Plin. lib. 10 cap. 24. hirundines in Daulia, seu Bizia Tracię non nidificare, quasi Terei scelus horrẽtes. Innuit Virg. loquens de aluearibus 4. Georg. versu 13.

*Absint, & picti squalentia terga lacerti,*
*Pinguibus à stabulis, meropesq; alięq; volucres*
*Et manibus Progne pectus signata cruentis.*

Philomela autem, quæ lingua trũcata fuerat, barbarum Tyrannum fugiens, in lusciniam mutata, cantus suauitate, alitibus præstat omnibus. Sic Martial. lib. 14. epig. 75.

*Flet Philomela nefas incesti Tereos, & quæ*
*Muta puella fuit, garrula fertur auis.*

Itys etiam iam occisus, & in patris conditus viscera, in auem phasianum transformatus, conuenientem regijs epulis, saporis seruat suauitatem, inter altilium carnes maximè laudatus. Tereus denique, dum tantas suorum stupet metamorphoses, aliam in se experitur, mutatus in cassitam, seu galeritã, vel vpupam, quæ in signum cristæ, seu militaris galeri, siue Regij diadematis, plumas quasdã alijs longiores, & elatas, capite gestat. Hinc quidam ait:

*Rex fueram, sic crista probat; sed sordida vita*
*Immundam è tanto culmine fecit auem.*

Scio Frãciscum Stellutum multos frustra trahere, etiam inuitos, ad dicendum Prognem in lusciniam, Philomelam in hirundinẽ esse conuersas: & in primis Virgilium iam relatum, qui tamen Prognes nomine luce clarius hirundinem intelligit, quæ aluearibus est infesta, non vero luscinia. Adfert pro se, & Propertium dicentem lib. 3. eleg. 8.

*Alcyonum posi is requiescant ora querelis*
*Increpet absumptum, nec sua mater Ityn:*

sed quum loquatur de die festiuo natalis amicæ, non debuit inde abigere suauissimum lusciniæ cantum, sed tantum hirundinum stridulam garrulitatem. Refert Ouidium Amorũ lib. 2. elegia 6. dicentem:

*Quid scelus Ismarij quereris Philomela Tyranni*
*Expleta est annis ista querela tuis*
*Alitis in raræ miserum diuertite funus*
*Magna, sed antiqui causa doloris Itys.*

Verum ex his verbis nequit colligi Philomelam fuisse Itydis matrem, quum sufficiat fuisse materteram. Idem Ouid. epist. 15. ait:

*Sola virum non vlta pie mæstissima mater*
*Concinit Ismarium Daulias ales Ityn.*

Sed hæc Progni optimè conueniunt, quæ Itydis mater, & Daulia dicta, quia eius Vrbis regina: nec obstat, quod dicatur cecinisse, nam etiam hirundinum stridor, cantus dicitur. Adducit Petronium dicentem in Satyrico:

*Dignus amore locus est, testis silnester i asdon,*
*Atque vrbana Prognes.*

Nam

Nam præterquamquod alia exemplaria habent, loco siluester Iasdon, siluestris hirundo, Ianus Dousa sic exponit locum: Iaidon, alias aedon: ἀηδόνα namque Græci luſciniam vocant; Progne, hirundo, à Progne Terei regis vxore, Philomelæ sorore, Deorum commiseratione in hirundinem commutata. Talia sunt quæ Stellutum mouerunt, vt pro eo tantum faciat, Seneca Tragicus, dicẽs Hercule Oëtæo Actu 1. ſcena 2.

*vel in Edonas*
*Tollite ſiluas, qualis natum*
*Daulias ales ſolet Iſmeria*
*Flere ſub vmbra, formam lachrymis*
*Aptate meis, resonetque malis*
*Aſpera Trachyn. Cyprias lachrymas*
*Myrrha tuetur; raptum coniux*
*Ceyca gemit; ſibi Tantalis eſt*
*Facta ſuperſtes: fugit vultus*
*Philomela ſuos, natumque ſonat*
*Flebilis Ityn.*

Sed non eſt ratio, vt ob vnius auctoris quantæcumque auctoritatis dictum, à communi recedamus ſententia, ſuffulta pluribus eiuſdem, ſi non maioris, grauitatis auctoribus. At Hyginus aliquantiſper diuersè fabulam narrat, libro fabularum fabula 45. his verbis: *Tereus Martis filius Trax, quum Prognem Pandionis filiam in coniugium haberet, Athenas ad Pandionem ſocerum venit rogatum, vt Philomelam alteram filiam ſibi in coniugium daret: Prognem ſuam diem obiſſe dicit. Pandion ei veniam dedit, Philomelamque, & cuſtodes cum ea miſit, quos Tereus in mare iecit, Philomelam-*

*quę inuitam in monte compresſit. Poſtquam autem in Thraciam rediȷt, Philomelam mandat ad Lynceum Regem, cuius vxor Læthuſa, quod Progn ę fuit familiaris, ſtatim pellicem ad eam deduxit. Progne cognita ſorore, & Terei impium facinus, pari conſilio machinari cœperunt regi talem gratiam referre. Interim Tereo oſtendebatur in prodigijs, Ity filio eius mortem à propinqua manu adeſſe: quo reſponſo audito, quum arbitraretur Driantem fratrem ſuum, filio ſuo mortem machinari, fratrem Driantem inſontem occidit. Progne autem filium Itym ex ſe, & Tereo natum, occidit, patrique in epulis appoſuit, & cum ſorore profugit. Tereus facinore cognito, fugientes quum inſequeretur, Deorum miſericordia factum eſt, vt Progne in hirundinem commutaretur, Philomela in luſciniã, Tereum accipitrem factum dicunt.*

*AVT ſi quibus olla* Thyeſtę *feruebit.* Thyeſte Pelopis filius, Tantali nepos, Atrei Mycenarum Regis frater, ex propria filia Pelopen, egregiæ formæ puerum ſuſceperat, quem mater ad turpitudinem occultandam, exponi iuſſerat, vt à feris deuoraretur. Verum puer à paſtore quodam inuentus, caprinoque lacte nutritus, Ægyſtus propterea dictus fuit. Qui quum adoleuiſſet, quo tempore Agamemnon Atrei filius, Troianum adminiſtrabat bellum, in Clytemneſtrę illius vxoris concubitum ruit, qua etiam adiuuante, Agamemnonam, Troia reuerſum, obtruncauit, idem patraturus in Oreſtem, niſi is fuga ſubtractus fuiſſet, qui deinde Pylade auxiliante, Ægyſto ſimul, & Clytemneſtræ intulit necem, vt innuit Virgil. 11. Æn. v. 267. dicens; *Ipſe*

*Ipse Mycenæus magnorum ductor Achiuum*
*Coniugis infandæ prima inter limina, dextra*
*Oppetijt, deuicta Asia, subsedit adulter.*

Sed hæc nihil ad ollam Thyestę, de qua nunc est sermo. Thyestes ergo mortales cum Atreo fratre, regnandi cupiditate, exercebat simultates, & vt occasionem aliquam haberet, infortunio illum mactandi, in Aeropis illius vxoris, amicitiam se insinuauit, & cum ea incesti etiam stupri habuit consuetudinem, exq; ea filium suscepit Plisthenem nomine, eaque adiuuante, aurei velleris arietem, fatali muro clausum, abduxerat, quem qui, è domo Tantali possidebat, M cenis debebat regnare. Inde ab Atreo profugus, extorris abdebatur. Verum Atreus vindictæ cupidus, simulata reconciliatione, & data veniæ fide, Regni etiam parte promissa, eum cum Plistene, alijsque duobus filijs, ad se traxit, qui non recordatus, in marmore scribere lęsum, promptus venit, conuiuioque exceptus apparatissimo, inter alias epulas, filiorum carnes nescius edit, ac eorumdem sanguinem vino mistum bibit. Peracto conuiuio, Atreus Thyesti fratri, filiorum manus, & capita, quasi bellaria visenda exhibuit, quam inhumanam barbariem ne, cernendo, inquinaretur sol, cursum inde deflexisse fingunt. Idque innuit Virg. dicens 1. Æn. v. 571.

*Nec obtusa adeo gestamus pectora Pœni*
*Nec tã auersus equos Tyria sol iũgit ab vrbe.*

Ad quam historiam respiciens Ouid. ait 15. Metam.

*Nos quoque pars mundi, quoniam non corpora solum*

*Verũ etiam volucres animę sumus, inq; ferinas*
*Possumus ire domus, pecudumque in pectora condi*
*Corpora, quę possint animas habuisse parẽtum,*
*Aut fratrũ, aut aliquo iunctorũ fœdere nobis,*
*Aut hominum certè, tuta esse, & honesta sinamus,*
*Neue Thyestæis cumulemus viscera mensis.*

De Atreo, ac Thyeste; sic Hyginus loco citato fabula 88. ait: [Atreus Pelopis, & Hippodamiæ filius, cupiens a Thyeste fratre suo iniurias exequi, in gratiam cum eo redijt, & in regnum suum eum reduxit, filiosque eius infantes, Tantalum, & Plistenem occidit, & epulis Thyesti apposuit, qui quum vesceretur, Atreus imperauit brachia, & ora puerorum adferri. Ob id scelus etiam Sol currum auertit. Thyestes, scelere nefario cognito, profugit ad Regem Thesprotum, vbi lacus Auernus dicitur esse. Inde Sycionem peruenit, vbi erat Pelopia filia Thyestis deposita: Ibi casu, nocte, quum Mineruæ sacrificant, interuenit, qui timens ne sacra contaminaret, in luco delituit: Pelopia quum choræas ducit, lapsa, vestem ex cruore pecudis inquinauit. Quæ dum ad flumen exit sanguinem abluere, tunicam maculatam deponit, capite obducto Thyestes è luco prosiliuit: & ea compressione gladium de vagina ei extraxit Pelopia, & rediens in templũ, sub acropodio Mineruæ abscondit. Postero die rogat Regem Thyestes, vt se in patriam Lidiam remitteret. Interim sterilitas Mycenis frugum, ac penuria oritur ob Atrei scelus: ibi responsum est, vt Thyestem in Regnum reduce-

ceret. Qui quum ad Thesprotum Regem isset, æstimans Thyestem ibi morari, Pelopiam aspexit, & rogat Thesprotum, vt sibi Pelopiam in coniugium daret, quod putaret eam Thesproti esse filiam. Thesprotus, ne qua suspicio esset, dat ei Pelopiam, quæ iam conceptum ex patre Thyeste, habebat Ægistum: quæ quum ad Atreum venisset, parit Ægistum, quem exposuit, at pastores capræ supposuerunt, quem Atreus iussit perquiri, & pro suo educari. Interim Atreus mittit Agamemnonem, & Menelaum filios ad quærendum Thyestem, qui Delphos petierunt sciscitatum. Casu Thyestes eo venerat ad sortes tollendas de vltione fratris: comprehensus ab eis, ad Atreum perducitur, quem Atreus in custodiam conijci iussit, Ægystumque vocat, æstimans suum filium esse, & mittit eum ad Thyestem interficiendum. Thyestes, quum vidisset Ægistum, & gladium, quem Ægistus gerebat, & cognouisset, quem in compressione perdiderat, interrogat Aegistum, vnde illum haberet: ille respondit, matrem sibi Pelopiam dedisse, quam iubet accersiri, cui respondit, se in compressione nocturna nescio cui eduxisse, & ex ea compressione Aegistum concepisse. Tunc Pelopia gladium arripuit, simulans se agnoscere, & in pectus sibi detrusit: quem Aegistus è pectore matris cruentum tenens, ad Atreum attulit. Ille æstimans Thyestem interfectum, lætabatur, quem Aegistus, in littore sacrificantem occidit, & cum patre Thyeste in Regnum auitum redit.] Huic fabulæ, quoad solis recessum, occasionem dedisse ferunt, quod quum primus

Atreus

Atreus per Astronomiam Mycenis solis defe-ctũ, siue Eclipsim, certo designatoq; die, futurũ prædixisset, eaque propter à Thyeste inuidẽte illius gloriȩ derideretur, vera cõprobata prædictione, Thyestes ex Vrbe recessit. Olla ergo Thyestis dicta, in qua filiorum illius carnes, Atrei iussu coctȩ fuerant, vt patri apponerentur comedendæ. Quȩ benè dicta est feruere, id enim conuenit aquæ, supposito igne bullienti, vt carnes in olla elixarentur.

*SAEPE insulso cœnanda Glyconi*, idest Tragœdia de Thyeste repetitis vicibus representanda à Glycone. Constat enim ex notis ad Terentium, Plautum, & alios, cum Comicos, tum Tragicos, fabulam semel placitam, repetitis vicibus exhibitam fuisse, vt qui primæ æditioni adesse non potuerant, illius eruditionis non essent expertes, & qui primȩ adfuerant, semel placitæ iterum fauerent. Insulsus autem propriè est non salsus, vel qui non est sale conditus; vnde rectè iuxta vocis proprietatem, ait Plautus Rudente Actu 2. sc. 6.

*Bonum est, quod habeas gratiam merito mihi,*
*Qui te ex insulso salsum feci opera mea;*

quia nimirum eius persuasionibus inductus, mari sese commiserat, ibique naufragium fecerat, & ita aquis maris madefactus, salitus, salsusque dici poterat. Et sicut sal pro sapientia metaphoricè ponitur, ita è conuerso insulsus est insipiens, stultus fatuus, & ineptus. Sic Terent. Eunucho Actu 5. scena 9.

*Fatuus est, insulsus, tardus, stertit noctesque, & dies.*

GLYCONES plures legi: vnius gladiatoris

me-

meminit Horat.lib.1. epist.1. *Nec quia desperes inuicti membra Glyconis*. Alterius meminerunt alij, medici frugis,& modesti,qui Augusti floruit temporibus. Sed neutri hic locus potest aptari. Ioannes Bond putat Glyconem istum fuisse Tragœdiarum scriptorem, sed ineptum, & insulsum,quia iocis salibusq; carebat;sed quia Thyestæ ollam,non scriptor, sed actor cœnare debebat, puto hic designari Pantomimum hoc nomine appellatum, & ad rem inueni Cornutum sic dicentem: *Glycon Tragedus populo mire placuit, & ideo à Nerone manumissus est, datis Virgilio Tragœdo domino eius, pro parte dimidia quam possidebat, sextertijs sexcentis millibus:quum adhuc viueret minax, staturæ longæ, corporis fusci,labro inferiori demisso, antequam suborNaretur deformis, iocari nesciens, propter quod insulsum Persius dixit.* Potuit etiam dici insulsus,quia vt ait Casaubonus absona,& insuaui agebat voce: vel quia quum non doleret ex corde,maximum Thyestis exhibiturus dolorem,quum filiorum detexit reliquias, frigidè rem agebat, & ita insulsè. Quum enim non haberet in se motum doloris, frustra hunc in alios excitare conabatur,iuxta illud; Vt moueas alios,prius moueare tu.

*TV neque anhelanti coquitur dum massa camino folle premis ventos, nec clauso murmure raucus nescio quid tecũ graue cornicaris ineptè, nec scloppo tumidas intendis rumpere buccas.* Anhelare ab halo,Halo autem si sit nomen, significat aream, siue circulum, vel coronam, circa solem,vel lunam,aut aliquam stellarum.

Sic

Sic Seneca naturalium quæstionum lib. 1. c. 2. ait: *Memoriæ proditum est, quo die D. Augustus Vrbem ex Apollonia reuersus intrauit, circa solem visum coloris varij circulum, qualis esse in arcu solet, hunc Græci Halo, vocant, nos dicere coronā aptissimè possumus.* Sed Halo verbū, quod à Græco καλῶ laxo, siue remitto: vel ab ἄω addito l, spiro, deriuetur, propriè est respiro, seu laxo, & remitto spiritum: hinc anhelare erit vix, & ægrè spirare, vt accidit animalibus quū, ex aliqua causa, multiplicatis spiritibus, eorumque arctatis meatibus, crebris quasi singultibus spirare, & respirare coguntur, vt quasi strangularentur. Verum hic sumitur metaphoricè, pro vehementer desiderare, vt accipit Cicero oratione 20. dicens: *Tandem aliquando Quirites L. Catilinam furentem audacia, scelus anhelantem, pestem patriæ nefariè molientem, Vobis atque huic Vrbi ferrum flammamque minitantem, ex Vrbe, vel eiecimus, vel emisimus.* Tale vehemens Crispini desiderium describit Horat. dicens 1. serm. sat. 4.

*Crispinus minimo me prouocat; Accipe si vis*
*Accipe iā tabulas: detur nobis locus, & hora,*
*Custodes: videamus vter plus scribere possit.*
*Di benè fecerunt, inopis me, quodque pusilli*
*Finxerunt animi, raro, et per pauca loquentis;*
*At tu conclusas hircinis follibus, auras*
*Vsque laborantes dum ferrum molliat ignis.*

Is namque anhelare videbatur, multa breuissimo tempore scribendo, & quasi follis spiritum per vices emittere. Idem voluit Iuuenalis de eloquētiæ affectatore dicens sat. 7. v. 111

*Tunc immensa caui spirant mendacia folles.*

CO-

*COQVITVR*. Coqui propriè dicitur cibus, quum esui redditur aptus: idque plerumque fit calore ignis, vt in carnibus, vel piscibus. Aliquando per solis calorem, vt in pomis maturescentibus. Transfertur verbum, & ad alia, nam dicimus aliquem coquere dolos, fraudes, vindictam, vel facinus clanculum exequendũ, dum illud cogitationibus versat. Et eadem metaphora nunc dicitur massa coqui camino, dum verba, & conceptus mente disponuntur, vt quæ prius confusa, indigestaque erant, cogitationis quasi calore, suis quæque locis, reponantur.

*MASSA* propriè est farina macerata, & aqua subacta, vt ex ea proximè panis fiat. Sumitur etiam pro quocumque molli, & spisso, similitudinem habente farinæ subactæ, & sic est auri, ferri, aut bituminis massa: sed in hoc Persij loco massa, est congeries indigesta conceptuum, siue verborum inordinatorum, quam vt quis explicari possit, prius mente, & cogitationibus versat.

*CAMINVS* propriè est fornax, vnde Sedulius carmine de tribus pueris ait;

*flammis*

*Ardentis Fidei, flamma est extincta camini.*

Et sic Ecclesia canit: *Trium puerorum cantemus hymnum, quẽ cantabant Sancti in camino ignis.* Sic Virg. 3. Æn. versu 578.

*Fama est Enceladi semiustum fulmine corpus*
*Vrgeri mole hac, ingentemque insuper Etnam*
*Impositum, ruptis flammam expirare caminis.*

Sic Cicero lib. 7. epist. 10. *Valde metuo ne frigeas in hybernis, quamobrem camino luculento*

*utu-*

*ntendum censeo*. Et Suetonius in Vitellio c.8. *Vixdum mense transacto, neque diei, neque temporis habita ratione, ac iam vespere, subito à militibus è cubiculo raptus, itant erat in veste domestica, Imperator est consalutatus, circumlatusque per celeberrimos vicos, strictum D. Iulij gladium tenens, detractum delubro Martis, atque in prima gratulatione porrectum sibi à quodam. Nec ante in Prætorium redijt, quam fragrante triclinio ex concepto camino: tum quidem consternatis, & quasi numine adverso, anxijs omnibus, inquit, Bono animo estote, nobis allusit: nullo sermone alio apud milites usus.* Antiquis incognitus noster caminus erat, nempe faux qua fumus extra emittitur, non enim in excavato pariete, sed in medio hyberno cubiculo, conclaue dicto, fiebat, teste Vitruuio lib.7. cap.3. ideoque quum fumus exitum non haberet, eius molestiam perpeti, aut, fenestras aperiendo, frigori se exponere cogebantur, nisi lignis uterentur amurca illitis. At hic camini nomine, metaphoricè, pectus, aut mentem intelligit, qua conceptuum, & verborum massa igne meditationis disponitur, ut suum quæque locum teneant aptata decenter.

*FOLLIS* nomen factũ per onomatopoijam, & soni imitatioñe, & est instrumentum cõpositum ex pellibus, quo ad ignem excitandum, ventus attrahitur, & emittitur, satis notum officinis coquorum, & fabrorum ferrariorum, metallorumque, quod successit loco suffitorũ, tenuem tantum ore ventum emittentium, & insufficientem igni valido excitando. De quo instrumento ait Virg. 8. AEneid. v. 449.

*alij uentosis follibus auras*
*Accipiunt, redduntque.*

Eiusque primum inuentorem, refert Strabo, Fuisse Anacharsim Scytham philosophum Scio Follem dici etiam saccum. Vnde Vegetius l.2. cap.20. ait: *Miles qui scit suos sumptus apud signa depositos, de deserendo nihil cogitat, magis diligit signa, pro illis in acie fortius dimicat, more humani ingenij, vt pro illis habeat maximam curam, in quibus suam uideat positam esse substantiam. Denique decem folles, hoc est decem saccos per cohortes singulas ponebatur, in quibus haec ratio condebatur. Addebatur etiam saccus undecimus, in quem tota legio particulam aliquam conferebat, sepulturae scilicet causa, ut si quis ex contubernalibus defecisset, ex illo undecimo sacco ad sepulturam illius promeretur expensa.* Follis etiam dicebatur pila lusoria, ex aluta, siue corio, membrana, vel pelle facta exterius, interius vero vento inflata, quae pugno excutiebatur, & propterea dicta etiam pugillaris. Nõnullis quoq; alijs rebus follis appellatio tribuitur, quae ad rem non faciunt, nam hic metaphora proximè ducta est à folle ignē excitante, ideo ab alijs abstinemus.

*PREMIS uentos.* Premere est calcare, & pondere rei alicui inniti. Sed transfertur ad alia, vnde quia res cui innitimur, alteri solet infigi, & in ea abscondi, premere sumitur pro abscondere. Sic Virg.1.AEn. v.212.

*Talia uoce refert, curisque ingentibus aeger,*
*Spem uultu simulat, premit altũ corde dolorẽ.*

Et eadem metaphora absconsionis, premere sumitur pro claudere. Sic Virg.9.AEn.v.486.

N c

*Nec tua funera mater*

*Produxi, pressiuè oculos, aut uulnera laui.*

Et accedendo magis ad proprietatem, aliquā-do premere est vrgere, nam quod premitur, vrgetur ad partem oppositam, inde legimus: Ingentem clamore premes ad retia ceruum: Vel, Inuitam pressit ex ædibus, idest, expulit, & abegit. Et è contra premere sæpe sumitur pro cohibere, nam premens, motus aufert libertatem, vnde infra versu 43. dicetur:

*Et premitur ratione animus.*

Sic Virg. 1. AEn. versu 56.

*Eolus antro*

*Luctantes uentos, tempestatesque sonoras*

*Imperio premit, ac uinclis, & carcere frænat.*

Quum ergo follis nomine buccam intellexerit, premere ventos folle, est, verbum, siue conceptum pronunciandum, reticere: idque tunc maximè accidit, quum aduertimus verbum non adequare dignitatem conceptus, quē exprimere intendebamus. Scriptores namque gloriæ appetentes, qui, vt dictum est satyra 3. versu 82.

*Exporrecto trutinantur uerba labello,*

intra ora, & buccas verba ponderare videntur: & quum venentur verba turgentia, & sesquipedalia, eorum inflantur buccæ, vt dici possint folle premere ventos. Nisi interpreteris pressionem istam esse violentam verborum expulsionem, qualis est in illis, qui inconsideratè, & præcipitanter loquuntur. Sed prior interpretatio videtur textui conformior. Vel ille ventos folle premit, qui, vt vento folles, ita tumet ambitione, & ab ea ad dicendum, vel

scri-

scribendum vrgetur, vt erat Crispinus ille, de quo supra retulimus, Horatium ad scribẽdum reuocasse. Et tam in illis Horatij, quam in istis Persij verbis, festiua est, sed amara reprehensio, nam verba illorum de quibus loquitur signi ficantur esse follibus similia, nihil habentia soliditatis, vel sapientiæ, sed tantum venti, idest soni verborum inflationem, & inanitatem. Proferens autem verba tumida, absq; subiectæ sententiæ soliditate, stultus merito iudicatur. Quia autẽ vt dicitur 4. Metheororũ, calidi proprium est segregare etherogenea, & omogenea congregare, dum ista fit, dum congregatio, separatioque dissimilium, fit cogitationis calore, venti folle premuntur. scriptor enim conatur ex ijs aliquid promere, sed quia non se offerunt verba correspondentia altitudini intentæ sententiæ, ea premit, nec labi patitur, quod est ventos folle premere.

*NEC clauso murmure raucus.* Describitur mos ineptorum scriptorum, & recitare volentium ad glorię aucupationem: hi namque dum apud imperitum vulgus, graues, eruditi, vel ingeniosi videri volunt, ita incedunt, vt aliquid mussitare, & meditari videantur. Eamdem expressit sententiam supra satyra 3. versu 41. dicendo:

*Murmura dum secũ, & rabiosa silentia rodũt.*

Tribus enim notis Persium ab ineptis poetis Cornutus separat; prima, quod non premat ventos folle, hoc est, quod non tumescat ambitione, qua impulsus fuerit ad scribendum: vel quod non sectetur verba inflata, specie tenus tantũ sublimia, sed quæ ad instar folliũ vento

vento inflatorum, nihil subsistétiæ, aut solidæ sapientiæ intus habeant. Altera quod non incedat clauso murmure, idest quod non affectet videri meditabũdus, & assiduus in studijs, simulando tristitiam, secum aliquid silenter ad instar cornicum loquẽdo. Tertia, quod non intendat rumpere buccas scloppo, quod est proprium arrogantium, & alta de se præsumentium, qui buccas, retento flatu, inflant, & eas deinde vi effundunt, ac impetu.

*CORNICARI* est ad instar cornicum agere, aut vocem edere. Cornix auium post phœnicem viuacissima, iuxta relatum Hesiodum à Plinio lib. 7 cap 48. his verbis: *Hesiodus, qui primus aliqua de hoc prodidit fabulosè (ut reor) multa de hominum æuo referens: Cornici nouem nostras attribuit ætates, quadruplum eius ceruis, id triplicatum coruis. Et reliqua fabulosius in phœnice, ac Nymphis.* Cornix quamuis solitaria, vt de ea dixerit Virg. 1. Geogr. v. 389.

*Et sola in sicca secum spatiatur arena;*

dicta est tamen auium cæterarum dux, Illa est indicium garrulitatis, teste eodem Plinio l. 10. cap 12. dicente: *Cornices, & alio pabulo, atque duriciem nucis rostro repugnantem, volantes in altum in saxa tegulasue iaciunt iterum, ac sæpius, donec quassatam perfringere queant Ipsa ales est inauspicatæ garrulitatis, à quibusdam tamen laudata. Ab Arcturi sidere ad hirundinum aduentum notatur eam in Mineruę lucis templisque raro, alicubi omnino non aspici, sicut Athenis: prętereà sola hæc etiam volantes pullos aliquandiu pascit, inauspicatissima fœtus tempore hoc est post solstitium. Cæteræ omnes ex eodem*

ge-

*genere pellunt nidis pullos ac volare cogunt, sicut & corui, qui & ipsi non carne tantum aluntur, sed robustos quoque fœtus suos fugant longius, itaque paruis in vicis non plus bina coniugia sunt: Circa Cranonem quidem Thessaliæ singula perpetuo genitores soboli loco cedunt.* De eadem Cornicis garrulitate ait idem Plin. eodem lib. 10. cap. 43. *Erat in Vrbe Roma hac prodente me, equitis Romani cornix è Bætica, primum colore mira admodum nigro, deinde plura contexta uerba exprimens, & alia atque alia crebro addiscens.* Metaphoricè autem cornices dicti, qui cæteris sapientiores, aliorum in sapientia duces haberi volunt: ex quo natum prouerbium, vt qui nouo peregrinoque inuécto, antiquorum obscurauere famam, dicerentur Cornicum oculos configere: sumptum ex eo, quod Areopagitæ puerum damnauerunt, quod is cornicum oculos studiosè erueret: iudicantes id esse signum mentis perniciosæ, quæ si adoleuisset, multis malo futura esset. Vsus eo prouerbio Cicero pro Murena dicens: *Inuentus est scriba quidam C. Flauius, qui cornicum oculos confixerit, & à prudentibus iuris, ipsorum sapientiā compilarit.* Is enim Flauius, legum, sacrorumque interpretibus existimationem imminuit: illi namque eo præcipuè nomine à populo colebantur, quod dies fasti penè omnes ab eis petendi essent, vt eius cognitionis peritia crescerent. Flauius vero, quum fastos omnes didicisset, eosque populo publicasset, peruicit, vt minori deinceps in pretio interpretum autoritas foret, & sic cornicum defixit oculos. Metaphoricè etiam, ob duas illas Cornicum

nicum proprietates, solitudinem, & garrulitatem, cornicari, idest cornices imitari dicti, insulsi, & inepti poetæ. Nam Cornutus Persium laudans, à malis eum discernit poetis per hoc, quod non cornicetur secum aliquid graue, vt illi faciunt, hoc est non garriat ad instar cornicum, quæ tamen impeditam, raucam, & quasi strangulatam edunt vocem. Nec etiam more cornicum, meditabundus solus sedeat, vel deambulet. Ex contextu magis respexisse videtur ad cornicum insulsam vocalitatem, quam ad solitudinem, nam ait eum non cornicari clauso, idest obscuro, & rauco murmure.

*SCLUPPO.* Ex codicibus, quos vidi, Casaubonus, & Bond legunt Stloppo: cæteri omnes, Cornutus, Plautius, Fontius, Brixiensis, Forquelineus, Farnabius, & Stellutus, scloppo. Vossius in suo Ethymologico ad vocem stloppus, afferit, in vulgatis Persij locis esse, scloppo, sed addit, stloppo in omnibus antiquis Persij, ac Prisciani codicibus scribi, monuit Casaubonus. Egregium certè, & integræ fidei monitorem, nobis obtrudere conatur, quasi numquã eum impostorem inuenerimus; .Valeat ergo vterq; nos à communi non recedimus lectione, quum & à Calepino citetur hic versus cũ scloppo, & merito nam Itali subitã duarũ rerũ coniũctarum separationẽ, exprimunt per verbum scoppiare, non stloppiare, sicut earumdem coniunctionem accopiare, & coppiam, non vero stloppiam, dicunt: indeque fit coniectura, antiquos Latinos (in quorum locum Itali successerunt) nõ stloppum, sed scloppum di-

dixisse, propriè significantem duorum separationem, factam fractione vinculi retinentis. Vnde apud eosdem Italos, instrumentum bellicum, vehementem emittens sonum, quum ignis, tormentarium puluerem intus clausum, corripiens, explodit, à scloppo scloppetum, dicitur: quam quam Vossius ibidem, corrige volens communem loquendi vsum, vt fortè suo gratificetur Casaubono, putet appellandum à stloppo stloppetum. Sed nos à communi non ita facile recedimus. Accipiendum autem nomen istud per metonymiam effectus, tam enim coniunctorum separatio, quam explosio tormentarij pulueris per iam dictum instrumẽtum, sunt causa illius soni, qui dicitur scloppus. Et scloppi nomen est factum per œnomatopoijam, & inditum ad significandum sonum, quem edit vesica, vel membrana vento inflata, quum pugno, vel instrumento non perforante, violenter percutitur, & rumpitur. His etiam verbis innuitur locus, dum quis ore clauso, spiritu eo incluso, buccas inflat, genarum deinde percussione, spiritus subito per os erũpens, scloppũ, idest sonũ edit, & sic buccæ detumescunt. Sed metaphoricè intelligit de scriptoribus, qui sermonis affectantes sublimitatem, siue ob animi inflationem, siue ob verborum asperitatem, difficulter ea pronunciant, & ita buccas inflatas habent, vt inflatas rumpere buccas, sit eas ad detumefactionem compellere.

*BVCCA*, interior genarum cauitas, ita dicta à βύζω inflo, frequenter enim inflatur ab arrogantibus, siue bucconibus, nempe garrulis

Atreus per Astronomiam Mycenis solis defectũ, siue Eclipsim, certo designatoq; die, futurũ prædixisset, eaque propter à Thyeste inuidẽte illius gloriæ derideretur, vera cõprobata prædictione, Thyestes ex Vrbe recessit. Olla ergo Thyestis dicta, in qua filiorum illius carnes, Atrei iussu coctæ, fuerant, vt patri apponerentur comedendæ. Quæ benè dicta est feruere, id enim conuenit aquæ, supposito igne bullienti, vt carnes in olla elixarentur.

*SAEPE insulso cœnanda Glyconi*, idest Tragœdia de Thyeste repetitis vicibus repræsentanda à Glycone. Constat enim ex notis ad Terentium, Plautum, & alios, cum Comicos, tum Tragicos, fabulam semel placitam, repetitis vicibus exhibitam fuisse, vt qui primæ æditioni adesse non potuerant, illius eruditionis non essent expertes, & qui primæ adfuerant, semel placitæ iterum fauerent. Insulsus autem propriè est non salsus, vel qui non est sale conditus; vnde rectè iuxta vocis proprietatem, ait Plautus Rudente Actu 2. sc. 6.

*Bonam est, quod habeas gratiam merito mihi,*
*Qui te ex insulso salsum feci opera mea;*

quia nimirum eius persuasionibus inductus, mari sese commiserat, ibique naufragium fecerat, & ita aquis maris madefactus, salitus, salsusque dici poterat. Et sicut sal pro sapientia metaphoricè ponitur, ita è conuerso insulsus est insipiens, stultus fatuus, & ineptus. Sic Terent. Eunucho Actu 5. scena 9.

*Fatuus est, insulsus, tardus, stertit noctesque, & dies.*

GLYCONES plures legi: vnius gladiatoris me-

meminit Horat.lib.1. epist.1. *Nec quia desperes inuicti membra Glyconis.* Alterius meminerunt alij, medici frugis,& modesti,qui Augusti floruit temporibus. Sed neutri hic locus potest aptari. Ioannes Bond putat Glyconem istum fuisse Tragœdiarum scriptorem, sed ineptum, & insulsum,quia iocis salibusq; carebat;sed quia Thyestæ ollam,non scriptor, sed actor cœnare debebat, puto hic designari Pantomimum hoc nomine appellatum, & ad rem inueni Cornutum sic dicentem: *Glycon Tragedus populo mire placuit, & ideo à Nerone manumissus est, datis Virgilio Tragœdo domino eius, pro parte dimidia quam possidebat, sextertijs sexcentis millibus: quum adhuc viueret minax, staturæ longæ, corporis fusci, labro inferiori demisso, antequam subornaretur deformis, iocari nesciens, propter quod insulsum Persius dixit.* Potuit etiam dici insulsus, quia vt ait Casaubonus absona,& insuaui agebat voce: vel quia quum non doleret ex corde,maximum Thyestis exhibiturus dolorem,quum filiorum detexit reliquias, frigidè rem agebat, & ita insulsè. Quum enim non haberet in se motum doloris, frustra hunc in alios excitare conabatur, iuxta illud; Vt moueas alios, prius moueare tu.

*TV neque anhelanti coquitur dum massa camino folle premis ventos, nec clauso murmure raucus nescio quid secũ graue cornicaris ineptè, nec scloppo tumidas intendis rumpere buccas.* Anhelare ab halo, Halo autem si sit nomen, significat aream, siue circulum, vel coronam, circa solem, vel lunam, aut aliquam stellarum.

Sic

Sic Seneca naturalium quæstionum lib. 1. c. 2 ait: *Memoriæ proditum est, quo die D. Augustus Vrbem ex Apollonia reuersus intrauit, circa solem visum coloris varij circulum, qualis esse in arcu solet, hunc Græci Halo, vocant, nos dicere coronā aptissimè possumus.* Sed Halo verbū, quod à Græco καλῶ laxo, siue remitto: vel ab ἄω addito l, spiro, deriuetur, propriè est respiro, seu laxo, & remitto spiritum: hinc anhelare erit vix, & ægrè spirare, vt accidit animalibus quū, ex aliqua causa, multiplicatis spiritibus, eorumque arctatis meatibus, crebris quasi singultibus spirare, & respirare coguntur, vt quasi strangularentur. Verum hic sumitur metaphoricè, pro vehementer desiderare, vt accipit Cicero oratione 20. dicens: *Tandem aliquando Quirites L. Catilinam furentem audacia, scelus anhelantem, pestem patriæ nefariè molientem, Vobis atque huic Vrbi ferrum flammamque minitantem, ex Vrbe, vel eiecimus, vel emisimus.* Tale vehemens Crispini desiderium describit Horat. dicens 1. serm. sat. 4.

*Crispinus minimo me prouocat; Accipe si vis*
*Accipe iā tabulas: detur nobis locus, & hora,*
*Custodes: videamus vter plus scribere possit.*
*Di benè fecerunt, inopis me, quodque pusilli*
*Finxerunt animi, raro, et per pauca loquentis;*
*At tu conclusus hircinis follibus, auras*
*Vsque laborantes dum ferrum molliat ignis.*

Is namque anhelare videbatur, multa breuissimo tempore scribendo, & quasi follis spiritum per vices emittere. Idem voluit Iuuenalis de eloquētiæ affectatore dicens sat. 7. v. 111

*Tunc immensa caui spirant mendacia folles.*

*COQVITVR*. Coqui propriè dicitur cibus, quum esui redditur aptus: idque plerumque fit calore ignis, vt in carnibus, vel piscibus. Aliquando per solis calorem, vt in pomis maturescentibus. Transfertur verbum, & ad alia, nam dicimus aliquem coquere dolos, fraudes, vindictam, vel facinus clanculum exequendū, dum illud cogitationibus versat. Et eadem metaphora nunc dicitur massa coqui camino, dum verba, & conceptus mente disponuntur, vt quæ prius confusa, indigestaque erant, cogitationis quasi calore, suis quæque locis, reponantur.

*MASSA* propriè est farina maceratà, & aqua subacta, vt ex ea proximè panis fiat. Sumitur etiam pro quocumque molli, & spisso, similitudinem habente farinæ subactæ, & sic est auri, ferri, aut bituminis massa: sed in hoc Persij loco massa, est congeries indigesta conceptuum, siue verborum inordinatorum, quam vt quis explicari possit, prius mente, & cogitationibus versat.

*CAMINVS* propriè est fornax, vnde Sedulius carmine de tribus pueris ait:

*flammis*
*Ardentis Fidei, flamma est extincta camini.*

Et sic Ecclesia canit: *Trium puerorum cantemus hymnum, quē cantabant Sancti in camino ignis.* Sic Virg. 3. Æn. versu 578.

*Fama est Enceladi semiustum fulmine corpus*
*Vrgeri mole hac, ingentemque insuper Etnam*
*Impositum, ruptis flammam expirare caminis.*

Sic Cicero lib. 7. epist. 10. *Valde metuo ne frigeas in hybernis, quamobrem camino luculento*

*vten-*

*utendum censeo*. Et Suetonius in Vitellio c.8. *Vixdum mense transacto, neque diei, neque temporis habita ratione, ac iam vespere, subito à militibus è cubiculo raptus, ita ut erat in veste domestica, Imperator est consalutatus, circumlatusque per celeberrimos vicos, strictum D. Iulij gladium tenens, detractum delubro Martis, atque in prima gratulatione porrectum sibi à quodam. Nec ante in Prætorium rediit, quam flagrante triclinio ex concepto camino: tum quidem consternatis, & quasi numine aduerso, anxiis omnibus, inquit, Bono animo estote, nobis alluxit: nullo sermone alio apud milites usus.* Antiquis incognitus noster caminus erat, nempe faux qua fumus extra emittitur, non enim in excauato pariete, sed in medio hyberno cubiculo, conclaue dicto, fiebat, teste Vitruuio lib.7. cap.3. ideoque quum fumus exitum non haberet, eius molestiam perpeti, aut, fenestras aperiendo, frigori se exponere cogebantur, nisi lignis vterentur amurca illitis. At hic camini nomine, metaphoricè, pectus, aut mentem intelligit, qua conceptuum, & verborum massa igne meditationis disponitur, ut suum quæque locum teneant aptata decenter.

*FOLLIS* nomen factũ per œnomatopoijam, & soni imitationẽ, & est instrumentum cõpositum ex pellibus, quo ad ignem excitandum, ventus attrahitur, & emittitur, satis notum officinis coquorum, & fabrorum ferrariorum, metallorumque, quod successit loco suffitorũ, tenuem tantum ore ventum emittentium, & insufficientem igni valido excitando. De quo instrumento ait Virg. 8. AEneid. v. 449.

alij

*alij uentosis follibus auras*
*Accipiunt, redduntque.*

Eiusque primum inuentorem, refert Strabo, uisse Anacharsim Scytham philosophum. Scio follem dici etiam saccum. Vnde Vegetius l.2. cap.20. ait: *Miles qui scit suos sumptus apud signa depositos, de deserendo nihil cogitat, magis diligit signa, pro illis in acie fortius dimicat, more humani ingenij, vt pro illis habeat maximam curam, in quibus suam uideat positam esse substantiam. Denique decem folles, hoc est decem sacci per cohortes singulas ponebatur, in quibus hæc ratio condebatur. Addebatur etiam saccus undecimus, in quem tota legio particulam aliquam conferebat, sepulturæ scilicet causa, ut si quis ex contubernalibus defecisset, ex illo undecimo sacco ad sepulturam illius promeretur expensa.* Follis etiam dicebatur pila lusoria, ex aluta, siue corio, membrana, vel pelle facta exterius, interius vero vento inflata, quæ pugno excutiebatur, & propterea dicta etiam pugillaris. Nõnullis quoq; alijs rebus follis appellatio tribuitur, quæ ad rem non faciunt, nam hic metaphora proximè ducta est à folle ignẽ excitante, ideo ab alijs abstinemus.

*PREMIS uentos.* Premere est calcare, & pondere rei alicui inniti. Sed transfertur ad alia, vnde quia res cui innitimur, alteri solet insigi, & in ea abscondi, premere sumitur pro abscondere. Sic Virg.1.AEn. v.212.

*Talia uoce refert, curisque ingentibus æger,*
*Spem uultu simulat, premit altũ corde dolorẽ,*

Et eadem metaphora absconsionis, premere sumitur pro claudere. Sic Virg.9.AEn.v.486.

Nec

*Nec tua funera mater*
*Produxi, pressiuè oculos, aut uulnera laui.*

Et accedendo magis ad proprietatem, aliquãdo premere est vrgere, nam quod premitur, vrgetur ad partem oppositam, inde legimus: Ingentem clamore premes ad retia ceruum: Vel, Inuitam pressit ex ædibus, idest, expulit, & abegit. Et è contra premere sæpe sumitur pro cohibere, nam premens, motus aufert libertatem, vnde infra versu 43. dicetur:

*Et premitur ratione animus.*

Sic Virg. 1. AEn. versu 56.

*Eolus antro*
*Luctantes uentos, tempestatesquè sonoras*
*Imperio premit, ac uinclis, & carcere frænat.*

Quum ergo follis nomine buccam intellexerit, premere ventos folle, est, verbum, siue conceptum pronunciandum, reticere: idque tunc maximè accidit, quum aduertimus verbum non adequare dignitatem conceptus, qué exprimere intendebamus. Scriptores namque gloriæ appetentes, qui, vt dictum est satyra 3. versu 82.

*Exporrecto trutinantur uerba labello,*

intra ora, & buccas verba ponderare videntur: & quum venentur verba turgentia, & sesquipedalia, eorum inflantur buccæ, vt dici possint folle premere ventos. Nisi interpreteris pressionem istam esse violentam verborum expulsionem, qualis est in illis, qui inconsideratè, & præcipitanter loquuntur. Sed prior interpretatio videtur textui conformior. Vel ille ventos folle premit, qui, vt vento folles, ita tumet ambitione, & ab ea ad dicendum, vel

scri-

scribendum vrgetur, vt erat Crispinus ille, de quo supra retulimus, Horatium ad scribēdum preuocasse. Et tam in illis Horatij, quam nostris Persij verbis, festiua est, sed amara reprehensio, nam verba illorum de quibus loquitur significantur esse follibus similia, nihil habentia soliditatis, vel sapientiæ, sed tantum venti, idest soni verborum inflationem, & inanitatem. Proferens autem verba tumida, absq; subiectæ sententiæ soliditate, stultus merito iudicatur. Quia autē vt dicitur 4. Metheororū, calidi proprium est segregare etherogenea, & homogenea congregare, dum ista fit [illegible] congregatio, separatioque dissimilium, sic cogitationis calore, venti folle premuntur. scriptor enim conatur ex ijs aliquid promere, sed quia non se offerunt verba correspondentia altitudini intentæ sententiæ, ea premit, nec labi patitur, quod est ventos folle premere.

*NEC clauso murmure raucus.* Describitur mos ineptorum scriptorum, & recitare volentium ad glorię aucupationem: hi namque dum apud imperitum vulgus, graues, eruditi, vel ingeniosi videri volunt, ita incedunt, vt assiduè aliqua mussitare, & meditari videantur. Eamdem expressit sententiam supra satyra 3. versu 41. dicendo:

*Murmura dum secū, & rabiosa silentia rodūt.*

Tribus enim notis Persium ab ineptis poetis Cornutus separat; prima, quod non premat ventos folle, hoc est, quod non tumescat ambitione, qua impulsus fuerit ad scribendum: vel quod non sectetur verba inflata, speciemus tantū sublimia, sed quæ ad instar follium vento

vento inflatorum, nihil subsistétiæ, aut solidæ sapientiæ intus habeant. Altera quod non incedat clauso murmure, idest quod non affectet videri meditabũdus, & assiduus in studijs, simulando tristitiam, secum aliquid silenter ad instar cornicum loquendo. Tertia, quod non intendat rumpere buccas scloppo, quod est proprium arrogantium, & alta de se præsumentium, qui buccas, retento flatu, inflant, & eas deinde vi effundunt, ac impetu.

*CORNICARI* est ad instar cornicum agere, aut vocem edere. Cornix autem post phœnicem viuacissima, iuxta relatum Hesiodum à Plinio lib. 7 cap 48. his verbis: *Hesiodus, qui primus aliqua de hoc prodidit fabulosè (ut reor) multa de hominum æuo referens: Cornici nouem nostras attribuit ætates, quadruplum eius ceruis, id triplicatum coruis. Et reliqua fabulosius in phœnice, ac Nymphis.* Cornix quamuis solitaria, vt de ea dixerit Virg. 1. Geogr. v. 389.

*Et sola in sicca secum spatiatur arena;*

dicta est tamen auium cæterarum dux, illa est indicium garrulitatis, teste eodem Plinio l. 10. cap 12. dicente: *Cornices, & alio pabulo, atque duriciem nucis rostro repugnantem, volantes in altum in saxa tegulasue iaciunt iterum, ac sæpius, donec quassatam perfringere queant. Ipsa ales est inauspicatæ garrulitatis, à quibusdam tamen laudata. Ab Arcturi sidere ad hirundinum aduentum notatur eam in Mineruę lucis templisque raro, alicubi omnino non aspici, sicut Athenis: pręterea sola hæc etiam volantes pullos aliquandiu pascit, inauspicatissima fætus tempore hoc est post solstitium. Cæteræ omnes ex eodem*

ge-

*genere pellunt nidis pullos ac volare cogunt, sicut & corui, qui & ipsi non carne tantum aluntur, sed robustos quoque fœtus suos fugant longius, itaque paruis in vicis non plus bina coniugia sunt: Circa ranonem quidem Thessaliæ singula perpetuo genitores suboli loco cedunt.* De eadem Cornicis garrulitate ait idem Plin. eodem lib.10.c.43 *Erat in Vrbe Roma hac prodente me, equitis Romani cornix è Betica, primum colore mira admodum nigro, deinde plura contexta uerba exprimens, & alia atque alia crebro addiscens.* Metaphoricè autem cornices dicti, qui cæteris sapientiores, aliorum in sapientia duces haberi volunt: ex quo natum prouerbium, vt qui nouo peregrinoque inuéto, antiquorum obscurauere famam, dicerentur Cornicum oculos configere: sumptum ex eo, quod Areopagitæ puerum damnauerunt, quod is cornicum oculos studiosè erueret: iudicantes id esse signum mentis perniciosæ, quæ si adoleuisset, multis malo futura esset. Vsus eo prouerbio Cicero pro Murena dicens: *Inuentus est scriba quidam C. Flauius, qui cornicum oculos confixerit, & à prudentibus iuris, ipsorum sapientiã compilarit.* Is enim Flauius, legum, sacrorumque interpretibus existimationem imminuit: illi namque eo præcipuè nomine à populo colebantur, quod dies fasti penè omnes ab eis petendi essent, vt eius cognitionis peritia crescerent. Flauius vero, quum fastos omnes didicisset, eosque populo publicasset, peruicit, vt minori deinceps in pretio interpretum autoritas foret, & sic cornicum defixit oculos. Metaphoricè etiam, ob duas illas Cor-

nicum proprietates, solitudinem, & garrulitatem, cornicari, idest cornices imitari dicti, insulsi, & inepti poetæ. Nam Cornutus Persium laudans, à malis eum discernit poetis per hoc, quod non cornicetur secum aliquid graue, vt illi faciunt, hoc est non garriat ad instar cornicum, quæ tamen impeditam, raucam, & quasi strangulatam edunt vocem. Nec etiam more cornicum, meditabundus solus sedeat, vel deambulet. Ex contextu magis respexisse videtur ad cornicum insulsam vocalitatem, quam ad solitudinem, nam ait eum non cornicari clauso, idest obscuro, & rauco murmure.

*SCLOPPO.* Ex codicibus, quos vidi, Casaubonus, & Bond legunt Stloppo: cæteri omnes, Cornutus, Plautius, Fontius, Brixiensis, Forquelitus, Farnabius, & Stellutus, scloppo. Vossius in suo Ethymologico ad vocem stloppus, asserit, in vulgatis Persij locis esse, scloppo, sed addit, stloppo in omnibus antiquis Persij, ac Prisciani codicibus scribi, monuit Casaubonus. Egregium certè, & integræ fidei monitorem, nobis obtrudere conatur, quasi numquã eum impostorem inuenerimus; Valeat ergo vterq;, nos à communi non recedimus lectione, quum & à Calepino citetur hic versus cũ scloppo, & merito nam Itali subitã duarũ rerũ coniũctarum separationẽ, exprimunt per verbum scoppiare, non stloppiare, sicut earumdem coniunctionem accopiare, & coppiam, non vero stloppiam, dicunt: indeque fit coniectura, antiquos Latinos (in quorum locum Itali successerunt) nõ stloppum, sed scloppum

di-

dixisse, propriè significantem duorum separationem, factam fractione vinculi retinentis. Vnde apud eosdem Italos, instrumentum bellicum, vehementem emittens sonum, quum ignis, tormentarium puluerem intus clausum, corripiens, explodit, à scloppo scloppetum, dicitur: quam quam Vossius ibidem, corrige volens communem loquendi vsum, vt fortè suo gratificetur Casaubono, putet appellandum à stloppo stloppetum. Sed nos à communi non ita facilè recedimus. Accipiendum autem nomen istud per metonymiam effectus, tam enim coniunctorum separatio, quam explosio tormentarij pulueris per iam dictum instrumẽtum, sunt causa illius soni, qui dicitur *scloppus*. Et scloppi nomen est factum per œnomatopoiiam, & inditum ad significandum sonum, quem edit vesica, vel membrana vento inflata, quum pugno, vel instrumento non perforante, violenter percutitur, & rumpitur. His etiam verbis innuitur locus, dum quis ore clauso, spiritu eo incluso, buccas inflat, genarum deinde percussione, spiritus subito per os erũpens, scloppũ, idest sonũ edit, & sic buccæ detumescunt. Sed metaphoricè intelligit de scriptoribus, qui sermonis affectantes sublimitatem, siue ob animi inflationem, siue ob verborum asperitatem, difficulter ea pronunciant, & ita buccas inflatas habent, vt inflatas rumpere buccas, sit eas ad detumefactionem compellere.

*BVCCA*, interior genarum cauitas, ita dicta à βύζω inflo, frequenter enim inflatur ab arrogantibus, siue bucconibus, nempe garrulis

qui suas plenis buccis prædicant laudes. Hinc Isidorus lib. 10. Bucco, garrulus, quod cęteros oris loquacitate, non sensu, exsuperat. Iuuen. sat. 3 versu 34.

*Quondam hi cornicines, & municipalis arenæ*
*Perpetui comites, notæq; per oppida buccę.*

Sueton. de Claris Rhetoribus cap. 5. *Sextus Clodius è Sicilia, Latinæ simul, Græcæq; eloquentię professor, malè oculatus & dicax, par oculorũ in amicitia M. Antonij Triumuiri extitisse se aiebat. Eiusdem vxorem Fuluiam, cui altera bucca inflatior erat, acumen stili tentare dixit, nec eo minus, immo vel magis ob hoc Antonio gratus.* Aliquando bucca est maxilla exterior, siue gena, vel os, vnde Plinius lib. 11. cap. 37. *Infra oculos malæ homini tantum, quas prisci genas vocabant, duodecim tabularum interdicto radi à fæminis eas vetante. pudoris hæc sedes, ibi maximè ostenditur rubor. Infra eas, hilaritatem risumque indicantes buccę.* Cuius diminutiuo, buccula, vsus Suetonius in Galba cap. 4 dicens: *Constat Augustum puero adhuc, salutãti se inter æquales, apprehensa buccula dixisse, Et tu eris Princeps.* Vbi bucculam pro gena posuit, alioquin est cassidis pars, buccam tegens.

*VERBA togę sequeris, iũctura callidus, acri, Ore teris modico, pallentes radere mores doctus, & ingenuo culpam defigere ludo.* Amouerat Cornutus orationis vitia à Persio, nunc eidem virtutes tribuit. Et primo dat ei, quod sectetur verba togæ. Quænam vero sit hæc virtus? puto non aliam, quam vt Romanus, Romanè, idest Latinè loquatur, nam vt Græci pallijs, ita Romani togis vtebantur, indeque dicti

gens

gens togata apud Virg.1.Æn.versu 286.

*Romanos rerum dominos, gentemq; togatam,*
vt verba togæ sint Romana, vel cultiora Latina. Hæc autem non minima est orationis virtus, vt è contra reprehenditur, vt diximus in Instit.Orat. lib.3. Tract.1.cap.1. qui barbaras, vel exoticas voces sermoni inserit Latino, quod & Cicero monuit 3. de Oratore dicens: *Quinam igitur dicendi est modus melior, quã vt Latinè, vt planè, vt ornatè, vt ad id quodcumque agatur, aptè congruenterque dicamus? Atque eorum quidem, quæ duo prima dixi, rationem non arbitror expectari à me, puri, dilucidique sermonis: neque enim conamur docere eum dicere, qui loqui nesciat, nec sperare, qui Latinè non possit, hunc ornatè esse dicturum: Neque vero, qui non dicat, quod intelligamus, hunc posse, quod admiremur dicere. Linquamus igitur hæc, quæ cognitionem habent facilem, vsum necessarium, nam alterum traditur litteris, doctrinaq; puerili, alterum adhibetur ob eam causam, vt intelligatur quid quisque dicat, quod videmus ita esse necessarium, vt tamen eo minus nihil esse possit. Sed omnis loquendi elegantia quamquam expolitur scientia litterarum, tamen augetur legendis oratoribus, & poetis: sunt enim illi veteres, qui ornare nondum poterant ea, quæ dicebant, omnes prope præclarè locuti, quorum sermone assuefacti qui erunt, ne cupientes quidem poterunt loqui, nisi Latinè.* Vel verba togæ sũt, quæ in Iudicijs, & foro, pacis tempore à Romanis vsurpabantur: per togam enim pax significatur, quia Romani ea in pace vtebãtur, quum belli tempore ad sagum iretur. Hinc

Cicero lib. 12. epist 13. *Fatale nescio quid tuæ virtuti datum, id quod iam sæpe experti sumus. Est enim tua toga omnium armis felicior, quę nunc quoque nobis penè victam Remp. ex manibus hostium eripuit, ac reddidit.* Et in recriminatione ad Sallustium ait: *An ego tūc falso scripsi. Cedant arma togę, qui togatus armatos, & pace bellum oppressi?* Et idem Cicero in Pisonem: *Res gestas Consulatus mei, quum laudasset. Non ulla tibi inquit, inuidia nocuit, sed versus tui. Nimis magna pęna, te consule, est constituta siue malo poetę, siue libero: scripsisti enim versus, Cedant arma togę. Quid tū? Hæc res tibi fluctus illos concitauit. At hoc nusquam opinor scriptum fuisse in illo elogio, quod, te Consule, in sepulchro Resp. incisum est; Velitis, iubeatis, vt, non quod M. Cicero versum fecerit, sed quod vindicarit. Verumtamen quoniam vt, non Aristarchum, sed Phalarim Grammaticum habemus, qui nō notam apponas ad malum versum, sed poetam armis persequare, scire cupio, quid tandem in isto versu reprehendas, Cedant arma togæ. Tuę dicis, inquit togæ, summum Imperatorem esse cessurum. Quid nunc te, asine, literas doceam? non opus est verbis, sed fustibus. Non dixi hanc togam, qua sum amictus: nec arma, scutum, & gladium vnius Imperatoris, sed quod pacis est insigne, & otij, toga, contra autem arma, tumultus atque belli, more poetarum locutus, hoc intelligi volui, bellum, ac tumultum, paci atque otio concessurum.* Quia ergo toga erat propria Romanorum, qua pacis tempore, vtebantur, quum forensia liberè obibant negotia, sequi verba togæ, est talibus vti, quæ vulgo apud forum

facilè intelligerentur, non vero barbaris, exoticis, & peregrinis: quæ certè non erat exigua laus.

*IVNCTVRA callidus acri.* Hęc est secunda laus, qua Cornutus Persij dictionem commendat, quod compositio sit fortis, prudens, ac vegeta, contra quam fuerit in illis, de quibus Seneca epist. 114. ait: *Adijce nunc, quod oratio certam regulam non habet consuetudo illam ciuitatis, quæ numquam in eodem stetit, diu versat: Multi ex alieno seculo petunt verba: duodecim tabulas loquuntur: Gracchus illis, & Crassus, & Curio, nimis culti, recentes sunt: ad Appium vsque, & Coruncanum redeunt. Quidam contra, dum nihil nisi tritum, & vsitatum volunt, in sordes incidunt. Vtrumque diuerso genere corruptum est, tam mehercules, quam si vellent splendidis vti, ac sonantibus, & poeticis, necessaria, & in vsu posita vitare: tam hunc dicam peccare, quam illum: alter se iusto plus colit, alter se iusto plus negligit: ille, & crura, hic nec alas quidem uellit. Ad compositionem transeamus. Quot genera tibi dabo, in hac quibus peccetur? Quidam præfractam, & asperam, probant, disturbant de industria si quid placidius effluxit: nolunt fine salebra esse iuncturam, uirilem putant, & fortem quæ aurem inæqualitate percutiat. Quorumdam non est compositio, modulatio est, adeo blanditur, & molliter labitur. Quid de illa loquar, in qua uerba differuntur, & diu expectata, uix ad clausulas redduntur? Quid de illa in exitu lenta, qualis Ciceronis est, deuexa, & molliter desinēs, nec aliter, quam solet ad morem suum, pedemque respondens. Non tantum in genere sententiarum*

*uitium est. si aut pusillę sunt, & pueriles, aut improbæ, & plus ausę quam pudore saluo, licet: sed si floridę sunt, & nimis dulces, si in uanum exeunt, & sine effectu, nihil amplius, quam sonant.* Et hæc vitia per Cornutum à Persio resecantur, afferto a[illegible] s iunsturæ, idest virilis, & vegetæ cõpositionis vt hęc neq; sit rustica, & ing[illegible]ata, neque mollis florida, & eneruata.

*CALLIDVS* à callo, idest duricie in calce pedis incedendo contracta : callus vero fortè est à calle, & semita tenuiore, callo siue pecorum, siue hominum pedibus pręduratæ: semita est quasi semis via: via vero est actus dimidius qua vehiculum ire potest: nam actus duo capit carpenta, propter euntium, & redeuntium occursum. Calli autem significatio extensa est ad duricies alias, maximeque nedum manuum hominis, sed etiam ceruicum boum, & suum rostrorum. A callo est callere, idest callum contrahere; & inde adiectiuum callidum, vt à caleo, calidum. Sic Cicero 3. de natura Deorum ait se appellare, *callidos quorum, tanquam manus opere, sic animus usu concalluit.* Et 1. de officijs ait: *Callidum Annibalem ex Pœnorum, ex nostris ducibus Q. Fabium Maximum accepimus facilè celare, tacere, dissimulare, insidiari, præripere hostium consilia: in quo Græci Themistoclem Atheniensem, & Pheræum Iasonem, cæteris anteponunt, imprimisque uersutum, & callidum factum Solonis, qui quo & tutior uita esset, & plus aliquanto Reip. prodesset, furere se simulauit.* Ita hic callidus, est prudens, & sapiens.

*ORE teris.* Vel vt alij legunt *Ore teres modico.*

*ce.* Vtraque lectio textui consona, ideo iuxta vtramque explicandus. Quid sit esse ore teretem, explico verbis Ciceronis dicentis 3. de Oratore: *Exposui ferè, ut potui, quę maximè ad ornatum orationis pertinere arbitrabar. Dixi enim de singulorum laude uerborum, dixi de coniunctione eorum, dixi de numero ac forma. Sed si habitum etiam orationis, & quasi colorem aliquem requiretis, est plena quędam, & tamen teres, & tenuis, & non sine neruis, ac uiribus, et ea quę particeps utriusque generis quadam mediocritate laudatur.* Itaque os teres idem est, ac rotundum: & quia figura rotunda, siue sphęrica, & orbicularis, est inter omnes perfectissima, quum Persius dicitur ore teres, significatur ipsum, hoc est ipsius sermonem, fuisse perfectum, & emendatissimum, etiam dum prae modestia, humilia sectaretur, loqueretur que ore modico. Eamdem virtutē oris Graecis tribuit Horatius, dum Pisonibus ait:

*Graijs ingenium, Graijs dedit ore rotundo*
*Musa loqui.*

Legendo autem Ore teris, quae est vulgatior lectio, explicamus terere esse paulatim consumere, vt illi faciunt, qui lima aliquid comminuunt. Sic Plautus Asinaria Actu 1. sc. 1.

*Num me illuc ducis, ubi lapis lapidem terit?*

hoc est in pistrinum. Sic Ouid. 1. de Arte

*Sed tamen & tauri ceruix oneratur aratro,*
*Frænaque magnanimi dente teruntur equi.*

Vnde quod hic Persius dicatur terere ore modico, idem est, ac si dictus fuisset, eum amputare superflua, tam ex verborum ampullosa inflatione, quam ex eorumdem multiplicitate,

 quod

quod facere solitum fuisse Phocionem tradit Plutarchus in eius vita, his verbis: *Animaduertit, idem orationi conuenire, quod nummis, qui, eo sunt præstantiores, quo in minore materia plus ualoris ac precij complectantur: Sic optimũ esse uidetur genus orationis illud, quo paucis multa sunt grauiter, sapienter acutè significata. Igitur Phocione apud populum aliquando dicturo, quum oppleto iam hominibus theatro, cogitabundus deambularet in scena, familiarem eius quempiam ferunt propius accedentem rogasse, quidnam isthuc esset, quod secum tam accuratè cogitaret. Tum Phocion: Ita me pol, iamdudum cogito, si quid ex ea possim oratione, quam habiturus sum, demere.* Teris autem dictum per metaphoram, ductam à febris ferrarijs, vel lignarijs, qui lima ferrum, vel ascia lignum atterunt, superfluum radentes, dum artefacta expoliunt.

*PALLENTES mores.* Alia Persij virtus à Cornuto memorata est, quia nouerat adeo prudenter peccantes reprehendere, vt eorum sequeretur emendatio. Pallens autem propriè est, qui exterius liuescit: & quamuis pallere dicantur aurum, stellæ, & nonnulla alia, propriè nihilominus non dicitur nisi de homine, quum eius sanguis exteriorem deserit cutem, & ad interiora se recipit, siue id fiat longa infirmitate, siue subito metu, siue eo quod in turpi deprehensus fuerit facinore. Mors etiam denominatur pallida, sed per metalepsin, ex admixtione metaphoræ, & metonymiæ, quia defunctorum cutis similis est pelli ex longa infirmitate decumbentium, & ferè tabescentium,

tium. Quod autem hic mores dicantur pallentes, est dictum per metaphoram, quia destituuntur virtutum viuacitate, quę id præstabat moribus, quod sanguis cuti, conciliando illis splendorem, & elegantiam: nam pallentes mores sunt vitiosi.

*RADERE* est à Græco ῥᾴδιον facilè; qui enim radit, plerumque è rudi atque aspero, planum reddit, æquum, & facilè: indeque instrumentum, quo fæces, & sordes tenaciores è dolijs extrahuntur, radula dicta à Columella lib. 12. cap. 18. dicente: *Dolia, quæ demersa sunt, ferreis lampadibus ardētibus calefiunt, et quum pix in fundum distillauit, sublata lampade, rutabulo ligneo, & ferrea curuata radula ducitur, quod distillauit, aut quod in lateribus hæsit.* Est autem radere idem, ac mundare, & extirpare, vnde quod dicitur radere mores pallentes, est eos emendare, vel radicitus extirpare, quod fit admonitionibus castigationibus, & persuasionibus. Et, si tantum Persij valebat oratio, vt Cornutus hic asserit, rara debuit esse auis, & plusquam albo simillima cycno.

*ET ingenuo culpam defigere ludo.* Vult Cornutus Persium ideo præualere potuisse in extirpandis vitijs ex aliorum animis, quia per Eutrapeliam, ide st Vrbanitatem, & iocos liberales, culpam defigere sciebat, ostendens se culpam odio persequi, peccantes vero diligere: quæ est efficax, & legitima morum corrigendorum norma. Ingenuus autem ille propriè dicitur, qui liber natus est, cuius correlatiuum est seruus, vel etiam libertus, idest seruitute missus. Sic Plaut. Mil. glo. Actu 4. sc 1.

*Quid ea, ingenua, an festuca facta? serua, an libera est?*

Et Penulo Actu 1. scena 4.

*Annos multos filias meas celauistis, clam me.*
*Atque equidem ingenuas, liberas, summoque genere natas.*

Et infra idem Penulo Actu 5. scena 6.

*hasce aio liberas,*
*Ingenuasque esse, filias ambas meas.*

Sic etiam loquitur Terentius Phormione Actu 1. scena 3.

*Vt ne addam, quod sine sumptu, ingenuam liberalem nactus es.*

Sic substantiuè: adiectiuè vero ingenuum dicitur, quod est libero, & ingenuo homine dignum, & ita ingenuæ dictæ sunt artes liberales. Sic ergo ludus ingenuus, dictus, iocus non scurrilis, vel petulans, sed grauis, & liberalis, qui possit absque dedecore, immo cum virtute exerceri, cum ea scilicet saltem virtute, quæ dicitur Eutrapelia, & Vrbanitas, consistens in iocorum, siue ludorum moderatione.

*DEFIGERE* est quasi terebrare, intromittere, perfodere, vel deorsum figere. Inde passim legimus defigere gladium, sicam, telum, vel spiculum in corpus, aut iugulum. Virg. etiam 2. Georg. versu 290.

*Altius, ac penitus terræ defigitur arbos.*

*LVDVS* vero, lusus, & iocus, quamuis aliquantisper differant, pro eodem tamen accipiuntur, eorumque multæ sunt species. Sic Ouid. 3. de Arte:

*Mille fac esse iocos, turpe est nescire puellam*
*Ludere, ludendo sæpe paratur amor.*

Et

Et ibidem.

*Hos ignaua iocos tribuit natura puellis*
*Materia ludunt uberiore uiri.*

Et Horat.1.serm.satyra 1.

*Præterea ne sic, ut qui iocularia ridens*
*Percurram, quamquam ridentem dicere uerũ,*
*Quid uetat? ut pueris olim dãt crustula blãdi*
*Doctores, elementa uelint, ut discere prima.*
*Sed tamen amoto quæramus seria ludo,*

Exercentur etiam verbis, quorum exercendorum artem tradidit Cicero l.2. de Oratore, ridiculorum nomine iocos, ludos, & facetias intelligens. Asserit ergo Cornutus Persium nouisse ingenuo, liberali, &, digno libero homine, ludo, perfodere, & iugulare culpam animo latentem. Et quia gladio perfossus, nequit diutius viuere, quum vitium ingenuo iaculo dicatur perfossum, significatur illud esse extinctum, & penitus extirpatum. Iocus enim liberalis, amanter prolatus, vitium viribus euacuat, peccantemq; ad meliorem reducit frugem: & veluti mucro illud enecat, hunc vero viuificat.

*HINC trahe quæ dicas, mensasq; relinque Mycenis cum capite, & pedibus, plebeiaque prandia noris.* Hortatur his verbis Cornutus Persium, quatenus memor suæ rectæ institutionis, & studiorum philosophiæ inchoatorum, ea prosequi velit, satyras scribendo, & ex ipsa latissima materia, quam corrupti tribuunt hominum mores, argumenta trahat suis carminibus explicanda: heroica vero mittat, quæ suspicari dabat velle aggredi, dum Musas inuocabat. Mittat etiam Tragicas, & mensas

My-

Mæcenęas cum capite, & pedibus filiorum Thyestis, contentus nouisse prandia plebeia, quæ, ob innocentiam, suauiora esse debent regalibus, quæ talibus redundant flagitijs. Mycene autem fuit Pelepponnesi regiuncula, in qua Vrbs eiusdem nominis, vbi regnarunt Tantalus, Pelops, Atreus, & successiuè Agamemnon. Iuxta quosdam Vrbs ista condita fuit à Persio Iouis, & Danaes filio: denominata autē, vel à gladij capulo Μύκητα à Græcis dicto, & machęra, nam fabulantur capulum in Iocum illum è cœlo delapsum: Mercurium vero monuisse, vt ibi Vrbs conderetur. Vel sic dicta à Mycenęo Sparthonis filio, Phoronęi fratre. Vel à Nympha Mycene, quæ est opinio magis recepta. Mensæ autem Mycenęæ illæ dictæ, quibus Atreus Thyesti fratri epulandas dedit carnes Plesthenes, & reliquorum filiorum eiusdem Thyestis, vt iam diximus. Et has relinquere iubet, & contentum viuere prandiorum plebeiorum, siue vulgarium, quia hæc sunt innocentiora.

*NON equidem hoc studeo, bullatis vt mihi nugis pagina turgescat, dare pondus idonea fumo.* Miratus fuerat Cornutus Persij principium, putaueratque illum per inuocationem, & desiderium tot facultatum, epicum aut Tragicum aliquod adornare poema, quod nūc Persius excusat, ostendens ad quem finem illa desiderauerit. Studere autem, est rei cuipiam operam dare, & tunc dandi exposcit casum, vt studeo militiæ, vel agriculturæ. Sed nonnumquam significat cupere, aut velle, nam rem illā desiderare conuincimur, cui incumbēdo, operam

ram damus, & tunc iungitur accusatiuo vt, Studeas rem istam, nam sic rectè proueniet. Et hoc modo nunc dictum est, nam tantumdem est, Non quidem hoc studeo, quantum. Non est istud, quod expeto, aut cui incumbo, vt habeam.

*BVLLATIS.* Asserit Casaubonus in omnibus manuscriptis, & quibusdam editis constanter haberi, Pullatis. Si quis in hac re, notæ perfidię homini, Casaubono, fidem habere voluerit, explicare poterit, nugas pullatas esse illas, quæ conueniunt pullatis hominibus, nempe vel vili popello, agricolis, agasonibus, vel alijs iugi sole fuscatis: vel nugæ pullatæ erunt Tragœdiæ, in quibus Reges, heroes, & alij pullati inducuntur, scilicet in habitu doloris, & mœstitiæ: vt nugæ sint dictæ pullatæ, per metonymiam adiuncti pro subiecto, color enim pullus rusticorum, vel vestium Tragœdorum, tribuitur eorumdem nugis, quę sunt eorum adiuncta. Pullatum autem dicitur à colore pullo, idest fusco, siue nigro. S. Ouid. 3. de Arte:

*Pulla decet niueas, Briseida pulla decebat,*
*Quum rapta est, pulla tunc quoque vestis fuit.*

Verum ego Casaubono non credo: sed etiam si verum foret, quod asserit, sequerer communem impressorum codicum lectionem, nihil continentem absurdi. Nugæ ergo dictæ bullatæ à bullis: quo nomine appellati claui scutulati, quibus diuitum ostia venustantur, vnde Plautus Asinaria Actu 2. scena 4.

*Iussin' in splendorem dari bullas has foribus nostris?*

Sed

Sed nunc metaphora non est ducta à talibus bullis: sed potius ab ea bulla, quæ est tumor crescens in aquæ superficie, dum vehementer vento, aut alio agitatur, vel ad ignem feruescit, vt diximus ad illa verba sat.2.versu 10.

*O si ebullet patrui præclarum funus.*

Sic Plinius lib.18.cap.35. *Mare si in tranquillo portu à cursu stabit, & murmurauerit intra se, ventum prædicit: si identidem, & hyemem, & imbrem; littora, ripæque si resonabunt, tranquillo, asperam tempestatem. Item maris ipsius tranquillo sonitus, spumæque dispersæ, aut aquæ bullantes*. Tumor hic bullarum, apparentiam habet, non vero soliditatem, quum vento, siue aere constet.

NVGÆ, à non agendo dictæ, ludicra sunt, & ineptiæ; sed propriè sunt carmina, & næniæ à præficis in mortuorum laudem cani solitæ, vt accepit Plautus Asinaria Actu 4. scena 1.

*Hæc sunt non nugæ, non enim mortualia.*

Sic & Varro apud Palmerium dicens: Crede mihi plures dominos cervi comedere, quam canes; Quod si Actæon occupasset, & ipse prius suos canes comedisset, non nugæ saltatoribus in theatro fieret. Communiter tamen non sumitur iuxta ethymologiam, qua mœstitiam importat, sed vt significat rem inanem, & nullius ferè momenti, vt puerilia esse solẽt. Bullatarũ nugarum specimen habemus apud Horatium Pisonibus hæc scribentem.

*Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum,*
*Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?*
*Parturient montes, nascetur ridiculus mus.*

Nugæ ergo sunt in verbis, quum in eis ostenditur

-ditur magnificentia, cui tamen non subest sapientię, vel conceptus soliditas. Vnde merito sermones huiusmodi bullis comparantur, desiderabilem prę se ferentibus speciem, sed quia nulli innixam substantię, illico euanescentem. Sic dicta verbis emphaticis, magnitudinem promittunt, sed ni sapientiam substratam habeant, statim elabuntur. Hinc nunc ait, Nihil curo, vt huiusmodi bullatis nugis pagina mihi turgescat.

*TVRGESCERE*, & turgere est ab vrgere, nam quę turgent, siue inflantur, vrgent ad exitum: quod innuit Ouid. 3. Amorum eleg. 10. dicens:

*Prima Ceres docuit turgescere semen in agris.*

Paginam autem propriè turgescere, siue inflari, etiam si tota scripta fuerit emphaticis verbis, & carminibus, est impossibile: sed dictum est per metonymiam metalepticam, quandoquidem paginæ nomine intelliguntur verba, & sententiæ in ea scriptæ, quæ est metonymia subiecti pro adiuncto, & quum illæ appellentur nugæ bullatæ, ideft inanes, & absque soliditate, sed ventosæ; & vanę, illis repleta pagina, earum merito dici potuit, inflata, seu turgescere.

*DARE pondus idonea fumo*: Farnabius vult his verbis significari; carmine graui, argumentum leue exornare, atq; extollere. Casaubonus vult ideo dicta esse idonea dare pondus fumo, quia sint leuissima, vtpotè quorū pondus nō sit maius, quā fumi. Bond, & Stellutus, volunt id esse addere authoritatem rei leuissimæ. Vt exponam quod sentio, obseruo, fumum dici à colore

furuo,

furuo, nigro, & obscuro, & esse exhalationem terram, prodeuntē è materia humida igni applicata, vel proximè igni cessura. Inde physicè pagina idonea dare pondus fumo, erit quæ sit posita in medio densi fumi, nam etsi non descenderet, impediret rectum fumi ascensum, illumque cogeret spargi per latera ad petenda superiora; & sic illi daret pondus. Verum nunc sermo est metaphoricus, & fumus intelligitur fastus, & superbia illius, qui supra meritum de se præsumit: quæ præsumptio nascitur ex gratia Principis, vel aura popularis vnde fumo pasci ille dicitur, qui talibus gratia, vel aura delectatur, vel qui libenter populi acclamationes sibi, etiam immerenti, tributas, acceptat. Fumus ergo est fastus, siue præsumptio concepta de se, ob aliorum adulatorias laudes: paginæ vero nomine veniunt carmina, & lucubrationes inflatæ, vel emphaticæ, & sic illarum merito pagina dicta idonea dare pondus fumo, hoc est, addere ad famam, fastum, & superbiam illius, ob accessum nouæ materiæ laudis, iuxta suam saltem opinionem, qua scriptum illud laude dignum existimat. Nec pondus dicitur tantū de grauitate impellente ad motum deorsum, alioquin nō dixisset Augustinus, Amor meus, pōdus meū, eo feror quocūq; feror. Nec Gregorius: peccatū quod per pœnitentiā cito non deletur, mox suo pōdere in aliud trahit. Sed pondus dicitur quodcumque impellens ad motum versus partem quamcumque: vnde & leuitas est pōdus ignis, hunc impellens ad motum sursum. Et hoc modo opinio, quam quis, etiam vanè, concepit

de

de se ob paginam, vel lucubrationem turgescentem, est idonea dare pondus, motum, & incrementum, fumo propriæ arrogantię, superbiæque.

*SECRETI loquimur, tibi nunc hortante Camœna excutienda damus præcordia, quantaque nostræ pars tua sit, Cornute, animę; tibi dulcis amice ostendisse iuuat, pulsa dignoscere cautus, quid solidum crepet, & pictæ tectoria linguæ.* Ordo est: Loquimur secreti, nunc hortante Camœna damus tibi, dulcis amice Cornute, excutienda præcordia, & quanta pars nostræ animæ sit tua: Tibi cauto dignoscere pulsa, iuuat ostendisse quid solidum crepet, & tectoria linguæ pictæ. Quibus verbis ostendit se non esse cupidum eius laudis, quæ venit ex ore vulgi, vt illi, qui publicè suas recitant lucubrationes: ipse namque non recitat apud populum, vbi ab alijs audiretur, sed intra priuatos lares secretè, nemine audiente præter ipsum suum in philosophia institutorem Cornutum. *Camœna*, antiquis erat Casmena, vel Carmena, sed per syncopen abiecto S, vel R, remansit Camœna, ita dicta à cantus amœnitate, quasi cantans amœnè: licet Festus voluerit Camœnas appellatas, quod essent castę mentis præsides, vel quod carminibus priscorum laudes celebrarent. Fuerunt Camœnæ eædem, ac Musæ, vt diximus ad vocem *Heliconiades* procœmij. Creditæ quoque Iouis ex Nympha Mnemosyne, hoc est memoria, filiæ, & numero nouem, quarum prima nominata Calliope à cantus bonitate, nam calo bonum, sanum, ac pulchrum, ops vero, vox; quasi bo-

na vox, vel bonus cantus. Et hæc Musa credita patrona heroicorum poetarum. Secunda Clio, dicta à gloria, & celebritate rerum gestarum, quas canit, præsidet historiarum narratoribus, eamque inuocant historici. Tertia Erato, dicta ab amore, iuxta illud Ouid. 2. de Arte:

*Nunc mihi, si quando, puer et Cytherea faueti*
*Nunc Erato, nam tu nomen Amoris habes.*

Cantus quippe ferè ab omnibus diligitur: Et hæc præsidet iocularibus, & saltatoribus, ac poetis lyricis, elegiacis, & epigrammatistis, mollia, & lasciua canentibus. Quarta Talia, dicta à voluptate, & lasciuia, thellin enim est florere: eamque inuocant Comici, qui sunt sub eius protectione. Quinta Melpomene, sic dicta à canendo, quum Melpome sit modulor, siue canto, sub qua sunt Tragici eam inuocantes. Sexta Terpsicore, dicta à Therpinto, hoc est Choro, vel à ducendis choræis, ideo cognominata Citharistica, præsidetque Citharistis]. Septima Euterpe, quasi bona delectatio, nam terpin est delector: & quia tibicines, & buccinatores delectare volebant, hāc inuocabant. Octaua Polymnia à multitudine, & vniuersitate cantus; nam Pan est omne, ymnia vero, canto, vel laudo: nisi mauis dictā à memoriæ magnitudine, nam mnia est memoria: hinc credita præsidere actioni, siue gestui, & pronunciationi. Nona Vrania, ab Vrano, Cœlo, canit enim res Cælestes, diuinasque, & cantū diuinè, atq; excellenter moderatur, præsidetque philosophis, illisque sapientibus, qui res tractant Diuinas: Sed de eisdem Musis sic lo-

loquitur Furius Publius Fulgentius Episcopus Carthaginensis ad Catum Presbyterum lib. 1. Mythologiarum: *Apollini nouem deputās Musas, ipsumque decimum Musis adijciunt, illa videlicet causa, quod humanę vocis decem sint modulamina, vnde cum decachorda Apollo pingitur cithara: sed & Lex Diuina decachordon dicit psalterium. Fit ergo vox quatuor dentibus è contra positis, quos lingua percutit, è quibus si vno minus fuerit, sibilum potius, quam vocem reddat necesse est. Duo labia, velut cymbala verborum commoda modulātia; lingua vt plectrum, quę curuamine quodam vocalē format spiritum; palatum cuius concauitas profert sonum gutturis fistula, quæ tereti meatu spiritalem præbet excursū & pulmo, qui velut aceruus follis concepta reddit, ac reuocat. Habes ergo nouem Musarum, vel Apollinis ipsius redditam rationem, sicut in libris suis Anaximander Lampsacenus, & Leophantes Heracleopolites exponunt, quod et alij firmant, vt Pysander Physicus, & Euxemenes in libro θεολογȣμενον. Nos vero nouem Musas doctrinæ, atque scientię dicimus modos, hoc est prima Clio, quasi prima cogitatio discendi κλεος enim Græcè, fama dicitur, vnde & Homerus ἡμεῖς δὲ κλέος οἶον ἀκούομεν ȣδέ τι ἴδμεν, id est. Nos vero solam famam audiuimus, neque quid scimus. & in alio loco τ̃ κλέος εὐρυ καθ' ἑλλάδα καὶ μέσον ἄργος hoc est. Et quia nullis scientiam quęrit, nisi in qua famę suæ protelet dignitatem, ob hanc rem prima κλειὼ appellata est, id est cogitatio quęrendæ scientiæ. Secunda εὐτέρπη, quod nos Latinè benè delectans dicimus, quod primum sit scientiam*

quæ-

*quærere, secundum sit delectari, quod quæras. Tertia μελπομένη quasi μελέτ ν ποιομένη, idest meditationem faciēs permanere, vt primum velle, 2. desiderare, quod velis, 3. instare meditādo ad id, quod desideras. Quarta θάλεια, idest capacitas velut si dicatur τιθεὶς θάλειαν, idest ponens germina, vnde & Epicharmus comicus in Diphilo comœdia, ait ἀλονὸς ὀ βλέπει βάλιμοι ἐσθίει, idest germen, dum non uidet, famē cōsumit. Quinta πολύμνεια quasi πολυμνήμεν idest multa memoriā faciēs dicimus, quia post capacitatem est necessaria. Sexta ἐρατώ, idest εὑρὼν ὅμοιον, quod Latinè, inueniens simile dicimus, quia post scientiam, & memoriam, iustum est, ut aliquid simile, & de suo inuenias. Septima τερψιχόρη, idest delectans instructione, unde & Hermes in Pimandre libro, ait 'α χυρετρόφης κ̀ κενὰ σώματος, idest absque instructione esca & uacuo corpore: ergo post inuentionem oportet te etiam discernere, ac dijudicare, quod inuenias. Octaua οὐρανία, idest Cœlestis: post dijudicationem enim eligis quid dicas, quid despuas, eligere enim utile, caducumque despuere, Cœleste ingeniū est. Nona καλλιόπη, idest optimæ uocis, unde & Homerus ait θέας ὀπὸ φωνησάσης, idest Deæ uocem clamantis. Ergo hic erit ordo: primū uelle doctrinam: 2. est delectari quod uelis: 3. est instare ad id, quo delectatus es: 4 est capere id, quod instas; 5. est memorari quod capis: 6. est inuenire de tuo simile ad id, quod memineris: 7. est iudicare, quod inuenias: 8 est eligere, de quo iudicas: Nonum benè proferre, quod elegeris.*

Quum autem Persius nunc dicit: Dulcis amice Cornute, nunc hortante Camœna damus tibi

tibi excutienda nostra præcordia, dicere velle videtur, ad Musæ cuiuscumque impulsum exhibemus tibi examinanda nostri cordis arcana.

*EXCVTIENDA*. Excutere, vt diximus satyra 3 versu 100. ad illa verba *Excutit è manibus*, solertem diligentemque denotat inuestigationem, vt colligitur ex illo Ciceronis pro Sexto Roscio Amerino: *Non quæro quis percusserit, nihil est Glaucia, quod metuas, non excutio te, si quid fortè ferri habuisti*. Et ita nunc sumitur, vt tantumdem sit: Damus tibi excutienda præcordia, quantum, Concedimus tibi diligenter inuestigare quidquid arcanum est in nostro pectore, & conscientia.

*PRÆCORDIA* sunt partes laterales costis subiectæ, hepatj & lieni superiores, de quibus Plinius lib. 11. cap. 37. ait: *Exta homini ab inferiori uiscerum parte separantur membranis, quæ præcordia appellant, quia cordi prætenduntur, quod Græci appellauerunt phrenas. Omnia quidem principalia uiscera, membranis proprijs, ac ueluti uaginis, inclusit prouidens natura, in hac fuit, & peculiaris causa, uicinitas alui, ne cibo supprimeretur animus: huic certè refertur accepta subtilitas mentis, ideo nulla est ei caro, sed neruosa exilitas: in eadem præcipua hilaritatis sedes, quod titillatu maximè intelligitur alarum ad quas subit, non alibi tenuiore cute humana, ideo scabēdi dulcedine ibi proxima. Ob hoc in prælijs, gladiatorumque spectaculis, mortem cum risu, traiecta præcordia attulerunt.* Et idem Plin. lib. 30. cap. 5. ait: *Præcordia uocamus uno nomine exta in homine, quorum in dolore cuiuscumq;*

*sumq; partis si catulus lactens admoueatur, apprimaturque his partibus, transire in eum morbus dicitur: idque in exenterato, perfusoque vino deprahendi, vitiato viscere illo, quod doluerit hominis: & obrui tales religio est. Hi quoque quos melitæos vocamus, stomachi dolorem sedant applicati sæpius, transireque morbos ægritudine eorum intelligitur, plerumque & morte.* Celsus etiam lib. 4. cap. 8. inquit: *Alterius quoque visceris morbus, idest iocinoris, æquo modo longus, modo acutus esse consueuit, ἡπατικὸν Græci vocant. Dextra parte sub præcordijs vehemens dolor est, idemque ad latus dextrum, & ad iugulum humerumque partis eiusdem peruenit. Nonnunquam manusque dextra torquetur: horror calidus est, vbi malo est, bilis euomitur, interdum singultus prope strangulat. Et hæc quidem acuti morbi signa sunt, longioris vero, vbi suppuratio in iocinore est, dolorque modo finitur, modo intenditur: dextra parte præcordia dura sunt, & tument.* Verum nunc præcordiorum nomine metaphoricè intelliguntur intimæ, & latentes cogitationes, siue affectus, & passiones cordis. Vbi scrupulus Casaubonum occupauit, quomodo præcordia, idest latentes cogitationes, vel passiones per scripturam excutiendæ dari possint: nam quamuis cogitationes possint etiam absentibus per epistolam, vel aliter manifestari, non tamen possunt, inquit, illæ, per scripturam excuti, & explorari, sed ad hoc præsentia est necessaria. Sed scrupulus iste nullatenus turbat, tum quia Cornutus erat Persio presens, quum ei excutiendum se dabat, vt in hac eadem satyra dicitur, quippe

qui

qui illi iugiter conuiuebat. Tum quia etiam ſi foret abſens, per epiſtolam, & ſcripturam inter abſentes, non minus quam per voces inter præſentes, poteſt director, & magiſter, prudentibus interrogationibus excutere, & inueſtigare internas latebras conſcientiæ, volentis illas veraciter aperire. Idem vero, immo vt conſideratius, ita & exactius poteſt fieri per ſcripturam, quod per confabulationem: vnde ſicut per ſermonem, reſpondendo fideliter ad interrogata, póſſunt interni animi ſenſus, excutienti manifeſtari, ita & per ſcripturam: & hoc ſe facere indicat Perſius, dans excutienda, inueſtiganda, & examinãda Cornuto ſua præcordia. Valeat ergo cum ſuo ſcrupulo Caſaubonus, dignus odio cum ſua religione, maximè Caluiniſtica, vt cum Terentio loquar, Andria Actu 5. ſcena 4.

*At mihi unus ſcrupulus etiam reſtat, qui me male habet. P. dignus es*
*Cum tua religione odium: nodum in ſcirpo quæris.*

Nec tamen hinc inferas, me docere, poſſe quẽpiam ſacramentaliter per epiſtolam confiteri; id enim nec ſomniaui, & oppoſitum, vt omninò verum conſtanter defendo, tum alijs rationibus, tum ea, quia actus pœnitentis debent eſſe præſentes actu abſoluenti: & qui expreſſi ſunt in epiſtola fortè reuocati fuere, vel de eis non cogitatur, dum ſacerdos abſolutionem impendere vult. Quod ergo dico, tantum eſt, quod, vt alia negotia, ita & animarum directio, poteſt per epiſtolam tractari, nam director legens mores, qualitates, tentationes, gra-

gratias,& exercitia ſe conſulentis, poteſt vtile præbere conſilium aduerſus tentationes, & ad proficiendum in via Dei.

*IVVAT* oſtendiſſe tibi dulcis amice Cornute, quanta pars animæ noſtræ ſit tibi, vel tua, aut in te. Iuuare eſt opitulari,opem ferre, vel auxiliari. Sic Terentius Heautontimorumeno Actu 1. ſcena 1.

*Ne lacruma, atque iſthoc quidquid eſt, fac me*
*vt ſciam*
*Ne retice, ne uerere, crede inquam mihi,*
*Aut conſolando, aut conſilio, aut re, iuuero.*

Quod ſi iuuat ſit imperſonale,idem eſt,ac delectat,vt illud iuuet,quod placet.Et ſic Plaut. Ciſtellaria Actu 1. ſcena 1.

*Quando ita tibi iuuat, vale, atque ſalue.*

Sed quia in pleriſque Plauti codicibus pro *Quando ita tibi iuuat*, legimus, *Quando ita tibi lubet*, melior locus ad id probandum, erit alius eiuſdem Plauti Captiuis A.1.ſc.2.

*Maceſco, conſeneſco, & tabeſco miſer,*
*Oſſa, atque pellis ſum, miſera macritudine,*
*Neque vnquam quidquam me iuuat, quod edo domi.*

Et ita nunc ſumitur iuuat hic poſitum; delectabat ſiquidem Perſium (vt & omnes virtutis amatores) intimas cordis cogitationes ſuo detegere directori; quo,ſi quid per imprudentiam,vel quomodolibet aliter fuiſse peccatū, illius emendaretur conſilio, & magiſterio. Ex quo Perſij loco, redargui poſſunt improbantes confeſſionem peccatorum, ſaltem latentium, & internorum. Nam eſto admittamus non potuiſſe quempiam,humana auctoritate,

hu-

humanoque præcepto, ad illam obligari: posito tamen quod ad illam adstringamur (vt suppono certum de fide) iure Diuino, lato à Christo Domino, sub interminatione damnationis æternæ, infligendæ eis, qui scientes, & volentes, reticebunt legitimo confessario aliquod eorum mortalium delictorum, quorum sibi sunt conscij, dico, legem istam non repugnare naturali, de conseruanda propria fama, & esse obseruatu facilem, quando eam, absque comminatione pœnarum, vel sponsione præmiorum, remissionis delictorum, redintegrationis amicitiæ cum Deo, & capacitatis regnãdi æternum cũ eodẽ, seruauerint Ethnici, vt nedũ ex hoc Persij, sed ex pluribus Senecæ epistolis, & alijs, liquere potest. Confessarius enim nedum est Iudex à Christo Domino constitutus, cum potestate remittendi quæcumque scelera, si, absq; alicuius lethalis reticentia, confiteantur. Et hoc ideo, quia per absolutionem debet conferri gratia gratum faciens, quæ, quum excludatur per quodcumq; mortale, si vnum talium reticeatur, frustratur effectus confessionis, immo sacrilegium committitur, nisi omnia integraliter manifestētur, & absque palliatione Confessario detegantur, iuxta illud Ioannis 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: sed est etiam medicus, & prudentissimus consiliarius, qui, ad se vice Dei, cum plena fide accedentibus, nedum naturali lumine, sed maximè ex Diuina, & sacramentali gratia, certiora, & efficaciora adhibere potest, quibuscumque malis, & tentationibus consiliorum, & cautelarum remedia,

ad liberandam, vel præseruandam animam à vitiorum, & periculorum languoribus, quam quilibet sapientissimus philosophorum, absq; tali gratia sacramentali, siquidē cōfessarij non à seipsis loquūtur, sed Spiritus sāctus loquitur in illis ad bonum illorum, qui cum fide ad eos accedunt, nam eis dictum fuit Matthæi 10. *Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri loquitur in vobis.* Nec de eiusdem Confessarij fide, potest quispiam merito dubitare, nam secretum illi detectum, pro non dicto censeri debet. Ea enim quæ illi in sacramentali audierunt confessione, sciunt, vt sunt vice Dei, vt homines vero nesciunt, indeque fit, vt, etiam iurati, negare possint, quę, ad confessionem pertinentia, in ea audierunt, se nouisse, nimirum vt homines (qua tantum ratione ad iuramentum compelli possent) & ita nulla vi, nullaue auctoritate adigi possunt ad ea manifestanda, quæ per confessionem nouerunt. Si ergo Persius, intima suæ consciētiæ, præceptori detegebat, patiebaturque illum cordis, pectorisque sui arcana rimari, tātum, vt iuxta humanam prudentiam, naturalia sibi præscriberet medicamenta, & istud erat satis laudabile, vtileque ad virtutem tēdenti, quis audeat vituperare frequētem conscientiæ scrutationem, ad eius maculas detegendas ei, qui vice *Dei*, nedum scientiam habet prudentiamque, vt det fidele consilium, quo possit ex peccatorum morbis conualescere, sed commissam insuper iudiciariam potestatem, quorumcumque criminum condonandorum?

COR-

*CORNVTE*. Annæus Cornutus, vt tradit Suidas, genere fuit Afer, ex Leptinorum Vrbe, floruitque Romæ sub Nerone Principe, ibiq; professus philosophiam Stoicam, in ea clarissimos habuit discipulos, quorum nonnullos nominauimus in vita nostri Persij, qui erat omnium maximè intimus, & assiduus. Claruit etiam in poetica, rhetorica, &, vt plerique volunt, etiam in historia. Fuit morum conuenientium philosophiæ quam profitebatur, incorruptorum, & ab auaritia, & luxu alienorum, veritatis amator, & adulari nescius, indeque sibi pernicies: nam quarto ab obitu Persij anno, & iam senex, quum Neronis versus reprehendisset, ab eo in exilium pulsus, paulo post extra Vrbem obijt. Huic ergo præsens satyra scripta fuit. Sunt qui putent huius eiusdem esse commentaria, quæ circumferuntur in hunc poetam, & eorum inscriptio id probat: Dicuntur enim esse Cornuti philosophi eius præceptoris. Verum hic est manifestus error Typographi, vel Impressoris: Commentator enim sæpe, vt ad illud sat. 1. v. 18.

*Patranti fractus ocello*,

& ad illud eiusdem, versu 21.

*Scalpuntur*. Et v. 70. *Nec ponere lucos*.

Et ad illud huius satyræ 5. versu 31.

*Bullaque succinctis laribus donata pependit*,

Iuuenalem laudat, Iuuenalis autem sub Traiani floruit imperio, vt difficilè valde fuerit eum edidisse suas satyras, quas viderit is Cornutus, qui sub Nerone, Persium in Stoicam introduxit philosophiam, etiamsi fingere vellemus tunc senem non fuisse; nam ab obitu

Persij ad Traianum, præter reliquos sex Neronis annos, fluxerunt tempora Imperij Galbæ, Othonis, Vitellij, Vespesiani, Titi, Domitiani, Neruæ, & Traiani, nimirum anni plus minus quadraginta. Tum etiam, nam Commentator ille, scribens Persij vitam, asserit eũ reliquisse H.S. circiter centũ viginti matri, & sorori, scriptis matri tãtũ codicillis, quã rogauit, quatenus Cornuto daret sestertia, vt quidã dicunt, centũ, vt alij volunt, argenti facti pondo viginti, & bibliothecam suam omnem: si autem commentator foret idem ipse philosophus legatarius, sciret vtique quę, & quanta legata sibi fuerant, nec diceret. Vt quidam dicunt, Vt alij volunt. Existimo igitur præter philosophum, fuisse alium Annæum Cornutum grammaticum, cuius meminit Gellius lib. 2. cap. 6. dicens: *Nonnulli grammatici ætatis superioris ( in quibus est Anneus Cornutus ) haud sanè indocti, neque ignobiles.* Et huius puto ea esse commentaria, non philosophi.

*QVANTAQ; nostrę pars tibi sit animæ*, dixit iuxta amicitiæ definitionem, quæ apud Græcos talis circumfertur, φίλια ἐςὶ μία ψυχὴ ἐν δυοῖν σώμασιν. Amicitia est anima vna in duobus corporibus, nõ quidem secundum physicam, & naturalem inexistentiam ipsius substantiæ, sed secundum affectum, quo, iuxta Platonem, magis est vbi amat, quã vbi animat. Et hanc asserunt esse rationem, quare amor extasim faciat, quia per affectum, & cogitationem, adeo vehementer fertur in rem amatam, vt videatur oblita corporis à se animati, & rapta extra illud, quod quodammodo

modo remanet sensibus destitutum. Itaque nūc explicare vellet quanta pars animæ suæ sit Cornutus, num dimidia, vt erat Virgilius Horatij l.1. Carminum ode 3.

*Nauis, quę tibi creditum*
*Debes Virgilium finibus Atticis,*
*Redde incolumen precor,*
*Et serues animę dimidium meę.*

Vel pars quæcunque, vt eiusdem Horatij erat Mœcenas 2. carm. ode 17.

*Ah te meę si partem animæ rapit*
*Maturior vis, quid moror altera.*

Sic obiecta dilecta dicere solemus nostrę animæ partem maiorem, vel meliorem. Sic Statius 3. siluarum in Propempticonte v. 5.

*Grande tuo, rarumq; damus, Neptune profūdo*
*Depositum, iuuenis dubio committitur alto*
*Metius, atque animæ partem super æquora nostræ*
*Maiorem transferre parat.*

quia ergo Persius Cornutum summè diligebat, & venerabatur, illum animæ suæ partem, quamcumque dicere potuit.

*PVLSV*, est ictus, & sæpe sumitur pro ictibus arteriarum, quibus medici iudicant de languore, aut sanitate: qui motus, seu ictus ex cordis sistole, & diastole nascens, in spirituum reciprocatione consistit. Et de hoc ait Plinius lib. 11. cap. 37. *Arteriarum pulsus, in cacumine maximè membrorum euidens, index ferè morborum, in modulos certos, legesque metricas per ętates stabilis, aut citatus, aut tardus.* Sed non est nunc sermo de tali pulsu, sed propriè de ictu, quo quidpiam percutitur. Sic Cicero 1.

de Oratore cap 7. *Vt concitato nauigio, quum remiges sustinuerunt, retinet tamen ipsa nauis motum, & cursum suum, intermisso impetu, & pulsu remorum, sic in oratione.* Et 1. Tusculan. *Quum pateat æternum id esse, quod seipsum moueat, quis est, qui hanc naturam animis esse tributam neget? inanimum est enim omne, quod pulsu agitatur externo: quod autem est animatum, id motu cietur interiore & suo, nam hæc est propria natura animi, atque vis, quæ si est vna ex omnibus, quæ seipsam semper moueat, neq; nata est, & æterna est.* Et l.2. de Nat. Deor. ait: *Is ardor, qui est mundi, non agitatus ab alio, neq; externo pulsu, sed per seipse, ac sua sponte mouetur.* Tali ergo pulsu, siue ictu, & percussione, solida discernuntur à fractis, vt diximus ad illa verba satyræ 3. versu 21.

*Sonat vitium percussa maligne.*

*DIGNOSCERE* est discernere, seu cognoscendo vnum ab alio distinguere, & separare, quod Plautus dixit Prol. Menechm. internosse.

*Ei nati sunt filij duo gemini,*
*Ita similis forma pueri, vt mater sua*
*Non internosse posset, quæ mammam dabat.*

Et idem est dignoscere. Sed sumitur sæpe pro simpliciter cognoscere. Ita Colum. lib. 2. cap. 2. *Sapore quoque sic dignoscemus. Si ex ea parte agri quæ maximè displicebit, effossæ glebæ, & in fictili vase madefactæ, dulci aqua permisceantur, ac, more fæculenti vini, diligenter colatæ gustu explorentur, nam qualem traditum ab eis retuleris humor saporem, talem esse dicemus eius soli.* Sic Suetonius in Othone cap. 12. *Munditiarum fuit Otho pene muliebrium, vulso corpore,* ga-

*galericulo capiti propter raritatem capillorum adaptato, & annexo, vt nemo dignosceret.*

*CAVTVS* est sollers, & prudens, qui nouit sibi, & alijs à malo cauere priusquam veniat, quod est valde difficile, vnde Plautus Captiuis Actu 2. scena 2.

*Qui cauet ne decipiatur, vix cauet, quom etiã cauet*
*Etiam quom cauisse ratus est, sæpe is cautor captus est.*

Et sumitur etiam pro sapiente, qui nouit sua, & aliena negotia prudenter administrare. Eius originem quidam faciunt Græcam à verbo *καίω* vro, vt cautus quis dicatur ob ingenij feruorem. Sed melius deriuabitur à verbo caueo, vnde puto esse etiam nomen catus, vt docuit Varro 6. LL. his verbis: *Apud Ennium*, Iam cata signa fremitum dare voce parabant: *cata, acuta, hoc enim verbo Sabini dicunt, quare* Catus Eliu' Sextus, *non ut aiunt, sapiens, sed, acutus Et quod est.* Tunc cœpit memorare simul cata dicta, *accipienda, acuta dicta.* Sed nihil obstat, quin catus, siue cautus, sit etiam sapiens, & peritus, quum Arnobius dixerit l.b.1. aduersus Gentes: *Illi cati, sapientes, prudentissimi vobis videntur.* Et Ausonius parum à fine suæ Mosellæ seu Idillij 9.

*memorabo quietos.*
*Agricolas, legumque catos, fandique parentes.*

Iurisperitos vocans legum catos. Et ita nunc Cornutus dictus catus, idest sapiens, prudẽs, & acutus in discernenda vera, sinceraque a ficta, & adulatoria amicitia.

*SOLIDVM* propriè dicitur tantum de cor-

D 5 pori-

poribus trinam habentibus dimentionem, vnde inquit Cicero 2. de Nat. Deorum: *Duo forma præstantes sunt, ex solidis, globus (sic enim sphæram interpretari placet) ex planis autem circulus, aut orbis, qui cyclos Græcè dicitur; his duabus formis contingit solis, vt omnes earum partes sint inter se simillimæ, à medioque tantum absit extremum, quantum idem à summo: quo nihil fieri potest aptius.* Hinc solidi nomen transfertur ad significandum quodcumque integrum, non fractum, neque concauum, neque compositum ex partibus etherogeneis, sed ex vno iugi, & continuo corpore, vt ęre, ligno, vel marmore. Sic Virg. 3. Georg. versu 26.

*In foribus pugnam ex auro, solidoq; elephanto*
*Gangaridum faciam, victorisq; arma Quirini,*

idest ex ebore, absque alterius materiæ admixtione, vt in illis, quæ crustam tantum habent eburneam, & interiora lignea, vel argillacea. Sic 6. Æneidos versu 69.

*Tũ Phœbo & Triuiæ solido de marmore tẽpla*
*Instituam, festosq dies de nomine Phœbi.*

Solidi nomen transfertur vlterius ad significandum quodcumque integrum, cui nihil sit detractum, licet corpus non sit, dum in suo genere sit omnibus suis partibus, numerisque absolutum. Sic Terent. Andria Actu 5. sc. 5.

*Nam hunc scio mea solide solum gauisurum*
*esse gaudia.*

Et idem Eunucho Actu 5. scena 2.

*conturbasti mihi*
*Rationes omnes, vt eam non possim suis*
*Ita vt ęquum fuerat, atq; vt studui, tradere, vt*
*Solidum parerem hoc mihi beneficium Cherea.*

Sic

Sic etiam Plautus Trinummo Actu 4. sc. 2.

*hic homo*

*Solide sycophanta est*

Solidum ergo est integrum, cui nihil deest. vnde Cornutus cautus ad dignoscendum quid solidum crepet per pulsum, vel impactionem, erit prudens ad discernendum amicum sincerum ab adulatore, per prudentem interrogationem.

*CREPARE*, si Varronem audiamus lib. 5. LL. est verbum factum per onomatopoijam, & soni imitationem, quod etiam asserit de fremere, gemere, clamare, & alijs: importat autem sonum, quem edunt corpora, quum impacta, franguntur, vel quum aliquod solidũ, etiam absque impactione, vel percussione rumpitur. Sic Ouid. 4. Fastorum:

*Vre mares oleas, tædamque, herbasque sabinas,*
*Et crepet in medijs laurus adusta focis.*

Indeque sunt crepundia, quæ pueris appensa, ad horum motum, ictu aliquo percussa, sonum edunt. Inde etiam crepitus, idest sonus resultãs ex impactu duorum corporum solidorum. Inde, & crepitaculum, quod est sistrum, hoc est instrumentum æneum, quo Isidis sacerdotes in illius sacris vtebantur, manibus ipsum pulsantes, vt infra versu 186 dicetur ad illa verba: *Et cum sistro lusca sacerdos.*

*ET pictæ tectoria linguæ.* Tectorium est illinimentum parietum. Sic Cicero circa finem lib. 2. de legibus ait: *Propter has amplitudines sepulchrorum, quas in Ceramico videmus, lege factum est, ne quis sepulcrum faceret operosius, quam quod decem homines effecerint triduo, neq;*

*id opere tectorio exornari, nec hermas has, quas vocant, licebat imponi.* Sic Colum. lib. 8. cap. 3. *Maximè curabimus, vt & hæc auiaria, & cętera de quibus mox dicturi sumus, intrinsecus, & extrinsecus poliantur opere tectorio, ne ad aues feles habeant, aut coluber accessum, & æquè noxię prohibeantur pestes.* Idemque eodem lib. 8. cap. 15. *Tota maceries opere tectorio læuigatur extra, intraque, ne feles, aut vipera perrepat.* Est autem tectorium à tegendo dictum, ab aliquibus creditum idem cum albario, seu albatione: Sed reuera tectorium est genus, albarium species: Tectorium enim, vel albarium est, quod fit ex gypso, aut calce pura: vel arenatum, quod est quando calci miscetur arena: vel marmoratum, quum calci miscetur marmor tusum, & comminutum: Horum tectoriorum, albarium inducitur penicillo, arenatum verò: & marmoratum, trulla: indeque hæc inductio trullissatio dicitur. Plinius audiendus dicens lib. 36. cap. 23. *Cisternas arenæ purę, & asperæ quinque partibus, calcis quam uehementissimę duabus, construi conuenit, fragmentis silicis, non excedentibus libras: ita ferratis uectibus calcari solum, parietesque similiter. Vtilius geminas esse, ut in priore, uitia considant aquæ, atque per colum in proximã trãseat, maximè pura aqua. Calcem è uario lapide Cato Censorius improbat. Ex albo melior, quam ex duro, & structuræ utilior, quæ ex fistuloso, tectorijs; ad utrũque damnatur ex silice: utilior eadem ex effosso lapide, quam ex ripis fluminum collecto. utilior è molari, quia est quedam pinguior natura eius. Mirum, aliquid postquam arserit, accendi aquis.*

Arenæ

*Arenæ tria genera: fossitia, cui quarta pars calcis addi debet; fluuiatili, aut marinę, tertia. Si & testæ tusæ tertia pars addatur, melior materia erit. Ab Apænino ad Padum non inueniuntur fossitia, nec trans maria. Ruinarum Vrbis ea maximè causa, quod furto calcis, sine ferrumine suo cœmenta componuntur. Intrita quoque quo uetustior, eo melior. In antiquarum ædium legibus inuenitur, ne recentiore trima uteretur redemptor, ideo nullæ tectoria eorum rimæ fœdauere, tectoriumque nisi ter arenato, & bis marmorato inductum est, non satis splendoris habet: Vliginosa, & ubi salsugo uitiat, testaceo sublini, utilius. In Græcia tectorijs etiam arenatum, quod inducturi sunt, prius in mortario ligneis uectibus subigunt. Experimentum marmorati est in subigendo, donec rutro non cohereat: contra in albario opere, ut macerata calx, ceu glutinum hæreat: sed macerari non nisi à gleba oportet. In Elide ędes est Mineruæ, in qua frater Phidię Pannęus tectorium induxit lacte, & croco subactum, ut ferunt, ideoque si teratur in ea, hodieq; saliua pollice, odorem croci saporemque reddere traditur.* Transfertur autem tectorij nomen ad significandum fucum, siue succum factum ex minio, ceruſſa, aut alio, quo mulieres ad gratiam decoremue conciliandum, sibi faciem, aut alias apparentes corporis partes illinunt, Tectorij huius meminit Iuuenalis sat.6. versu 460. dicens:

*Interea fœda aspectu, ridendaque multo*
*Pane tumet facies, aut pinguia Poppeana*
*Spirat, & hinc miseri viscantur labra mariti*
*Ad mœchum veniet lota cute, Quando videri.*

*Vult*

*Vult formosa domi, mæchis foliata parantur,*
*His emitur quidquid graciles huc mittitis Indi*
*(Ponis:*
*Tandem aperit vultum, & tectoria prima re-*
*Incipit agnosci, atque illo lacte fouetur,*
*Propter quod, secum comites educit asellas.*

Verum hic tectoria linguæ pictæ dicta sunt metaphoricè, pro locutione simulata, qua verbis exprimitur quidpiã diuersum ab eo, quod quis corde tegebat. Et appellata tectoria linguæ pictæ, metaphora ducta à parietum illinimentis: Diuitum enim, vel curiosorum parietes, historijs, fabulis, piscationibus, venationibus, floribus, alijsque picturis ornantur: & ita verba adulatoria, fucos superinducunt eis, de quibus habetur: sed Cornutus, vtpotè cautus ad dignoscendum, cauebat sibi, & alijs ab huiusmodi fucis, & illinimentis.

*HINC ego centenas ausim deposcere voces, vt quantum mihi te sinuoso in pectore fixi, voce traham pura, totumq; hoc verba resignent, quod latet arcana non enarrabile fibra.* Ordo est: Hinc, vt traham voce pura quantum fixi te in pectore sinuoso, & verba resignent hoc totũm, quod non enarrabile, latet fibra arcana, ego ausim deposcere voces centenas. Hinc, apud quosdam est, His; apud alios Hic: sed idem est sensus: nam si legemus His., sensus erit: Ad exprimendos hos animi conceptus. Si vero Hic, significabitur, Ad hunc effectum, hoc loco centum desidero voces, vt eloqui valeam, quam firmiter te collocauerim in arca cordis mei. Et idem sed clarius legendo Hinc, ideo hanc accinaui lectionem,

AV-

*AVSIM*, ideſt audeam, in qua ſignificatione vſus hoc verbo Virg. 2. Georg. verſu 289.

*Auſim, vel tenui uitem committere ſulco*

Et Ouid. 6. Metamorph.

*Et nihil eſt, quod non effreno captus amore*
*Auſim, nec capiunt inclusas pectore flammas.*

Et ita nunc ſumitur, vt Auſim depoſcere, ſit idem, ac audeam deſiderare.

*DEPOSCERE*, ideſt inſtanter, & quaſi ex iure proprio petere, ſiue flagitare rem debitam. Sic Cicero Verrina 6. loquens de candelabro aureo, clariſſimis, & fulgentiſſimis gemmis, mirabili artificio fabrefacto, quod Antiochus Syriæ Rex, Templo Iouis Capitolini dedicandum, Romam ferebat, quodque Verres Siciliæ Prætor, conſiderandum à Rege acceptum, reddere noluerat, ait: *Hoc loco Q. Catule te appello, loquor enim de tuo clariſſimo, pulcherrimoque monumento, non Iudicis ſolum ſeueritatem, in hoc crimine, ſed prope inimici, atque accuſatoris uim ſuſcipere debes: tuus eſt enim honos in illo Templo, Senatus, Populique Rom. beneficio, tui nominis æterna memoria, ſimul cum Templo illo conſacratur. Tibi hæc cura ſuſcipienda, tibi hæc opera ſumenda ſunt, vt Capitolium, quomodo magnificentius eſt reſtitutum, ſic copioſius ornatum ſit quam fuit, vt illa flamma Diuinitus extitiſſe videatur, non quæ deleret Iouis Opt. Max. Templum, ſed quæ præclarius, magnificentiuſque depoſceret.* Sic Hircius proſequens Cæſaris Commentaria de bello Gallico ait libro 8. *Quum in Carnutes veniſſet, quorum conſilio in Ciuitate, ſuperiore Commentario Cæſar expoſuit, eſſe ortum quod præcipuè eos, propter con-*

ſcien-

*scientiam facti, timere animaduertebat, quo celerius Ciuitatem metu liberaret, Principem sceleris ipsius, & concitatorem belli Guturnatum, ad supplicium deposcit qui, etsi ne Ciuibus quidem suis se committebat, tamen celeriter, omnium cura quæsitus, in castra perducitur. Cogitur in eius supplicium Cæsar contra naturam suam, maximo militum consensu, qui & omnia pericula, & detrimenta belli, Guturnato accepta referebant, adeo vt verberibus exanimatum corpus, securi feriretur.* Et ita hic deposcere, est, instanter petere debitum, seu flagitare.

*SINVOSO in pectore.* Vult dicere, ideo desiderauerim dari mihi centum voces, vt eis expromere possim, quam te firmiter collocauerim in abditis mei cordis recessibus. Sinuosum vero dicitur, quod multos, vel vastos, amplosq; habet sinus. Sinus autem propriè est curuitas interiacens inter pectoris, brachiorumque complexum. Sic Ouid. epist. 3.

*At Danai mœrere putãt, tibi plectra mouẽtur*
*Te tenet in tepido mollis amica sinu?*

Sic Terentius Adelphis Actu 4. scena 5.

*Hic nõ amãdus? hiccine nõ gestãdus in sinu est?*

Hinc sinuosũ illud dicitur, quod multos habet sinus, siue amphractus, curuitates, plicas, & recessus: Vnde mare dicitur sinuosum, quia in littoribus multas habet curuitates: & serpens sinuosus, quia multis voluminibus implicatur, vnde Virgilius 11. Æn. versu 751.

*Vtq; uolans altè, raptum, quum fulua draconẽ*
*Fert aquila, implicuitque pedes, atque unguibus hæsit*
*Saucius, at serpens, sinuosa uolumina uersat.*

Et

Et vestis dicitur sinuosa, quum habet plicas. Hinc Oui. 5. Metam. *hæc omnia nondum*

*Dixerat, emicuit neruo penetrabile telum,*
*Vtratumque tamen sinuosa veste pependit.*

Sic cauitates, in quibus exta, & cor est situm, sinuosæ dictæ à Plinio lib 11 cap 37. *Cor prima domicilia intra se animæ, & sanguinis præbet, sinuoso specu, & in magnis animalibus triplici, in nullo non gemino.* Nihil autem æquè latebrosum, obscurum, implicitumque, quam cordis secretum, adeout illius indagatio, & notitia, sit propria solius Dei, qui, per illapsum, cogitationes omnes illius intuetur, iuxta illud psalmi 43. *Ipse enim nouit abscondita cordis.* Et illud 1. Regum 16. *Homo videt ea, quę parent, dominus autem intuetur cor:* & negetur cuicumque creaturæ, etiam Angelo, vel dæmonij, propter voluntatem creaturæ claudentem sua secreta, cuicumque nō operanti in ea, vt operatur ipsamet creatura. & Deus, qui omnibus intime illabitur: Et sic, quę in eo latent, merito sinuoso in pectore esse dicuntur. Ipsa tamen operans liberè, & deliberatè cogitans, scit quæ corde versat, iuxta illud 1. Corinth. 2. *Quę sunt hominis, nemo scit, nisi spiritus hominis, qui in ipso est,* vt etiam docet D. Thom. 1. p. q 57. a. 4. ideoque de his loqui potest, vnde nunc Persius dicit se ea velle manifestare de sua erga Cornutum beneuolentia, quæ sinuoso in pectore latebant.

*IN pectore.* Pectus iuxta Isidorum lib. 11. cap. 1. est à pecto: nempe quod sit pexum inter eminentes papillarum partes, vnde & pectinem dicimus, quod pexos facit capillos: vel

est

eſt à pectine, quod, in ſceletro, hoc referat, quum coſtæ vtrinque dentes repreſentent. De eodem Plin. lib. 11 cap. 37. *Pectus hoc eſt oſſe præcordijs, & uitalibus natura circumdedit, at uentri, quem neceſſe erat increſcere, ademit. nulli animalium circa uentrem oſſa. Pectus homini tãtum latum, reliquis carinatum, uolucribus magis, & inter eas aquaticis maximè. Coſtæ homini tantum octonæ, ſuibus denæ, cornigeris tredecim, ſerpentibus triginta.* Pectoris meminit Q. Serenus Samonicus, de medicina cap. 22. dicens:

*Sin etiam riuulus fertur de pectore ſanguis*
*Sorbitiũ menthæ, raphanus, uel cocta iuuabit.*

Eſt autẽ pectus anterior pars animalis, à gula ad ventrem, in cuius partibus interioribus, præcordiorum nomine ſunt, cor, iecur, fel, pulmo, & alia. Inde per ſenecdochen partis integralis, ſiue per metonymiam continentis, ponitur ſępe pro corde, & nonnumquam per metalepſim, pro animo eiuſque paſſionibus, quas quidam putauere in corde, vel hepate, iuxta pectus, vt in propria ſede reſidere. Et ita Iuuenalis ſatyra 13. verſu 196.

*Pęna autem uehemens, ac multo ſæuior illis,*
*Quas aut Cęditius grauis inuenit, aut Rhadamanthus*
*Nocte, dieque ſuum geſtare in pectore teſtem,*

nempe cor, animum, aut conſcientiam propriorum, etiam occultorum, conſciam ſcelerum. Et hinc factum, vt ſignificare volentes aliquem ſincerè, perfectèque amari, dicamus illum diligi toto corde, pectoreque effuſo. Et ita nunc ſumitur pectus, quum Perſius aſſerit ſe Cornutum fixiſſe pectori ſinuoſo, ſcilicet intimo cordis affectui.

*FIXI.* Figere, vt diximus satyra 4. versu 28. est plantare, vel intromittere. Sic Cicero ad Atticum lib 3. epist. 15. *Multa occultant tuæ litteræ, credo ne uehementius desperatione perturbes? Quid enim uides agi posse, aut quomodo? Per Senatumne? An tute scripsisti ad me quoddã caput legis, Clodium in Curiæ poste fixisse, ne referri, neue dici liceret.* Et eodem lib. 8. epist. 22. *Eo modo autem ambulat Cæsar, & ijs diarijs militum celeritatem incitat, ut timeam ne citius ad Brundusium, quam opus sit accesserit. Dices: Quid igitur proficis, qui anticipes eius rei molestiam, quam triduo sciturus sis? Nihil equidem, sed, ut supra dixi, tecum perlibenter loquor: & simul scito, labare meum consilium illud, quod satis iam fixum uidebatur.* Et Verrina 7. *Mamertinis, qui erant in eadem causa, & quibus superiores omnes Prætores, item ut cæteris imperauerant pecuniamque ex Senatus Consulto, et ex lege dissoluerant, his dico, non rectè remissum. At ut hoc beneficium, quemadmodum dicitur, trabali clauo figeret, cum Consilio causam Mamertinorum cognoscit, & de consilij sententia Mamertinis se frumentum non imperare pronũciat.* Firmius adhærent fixa, quam locata, vt violentia sit opus ad illa auferenda: & hoc voluit de sua in Cornutum beneuolentia, obseruantia, & amore.

*TRAHAM.* Trahere quasi transuehere, nam, s, in compositione frequenter abijcitur, vt in trado, quasi trans do, in tranare, quasi trans nare, in traducere, quasi trans ducere, & alijs, est à trans & vehere. Vehere autem violentiam importat, vnde Gellius ait lib. 6. cap. 6.

*cap.6. Vexasse graue uerbum est, factumque ab eo uidetur, quod est uehere, in quo inest iam uis quædam alieni arbitrij; non enim sui potens est qui uehitur.* Sic Virg. 2. Æn. v. 403.

*Ecce trahebatur, passis Priameia uirgo*
*Crinibus à tẽplo Cassandra, adytisq; Mineruæ.*

Et eodem lib. 2. versu 550.

*Nunc morere: hæc dicens altaria ad ipsa trementem*
*Traxit, & in multo lapsantẽ sanguine gnati,*
*Implicuitque comam, læua, dextraq; coruscum*
*Extulit, ac lateri capulo tenus abdidit ensem.*

Sed absque violentia, pro simpliciter ducere, dixit idem Virg. 2. Æn. versu 453.

*Limen erat, cæcæque fores, & peruius usus*
*Tectorum inter se Priami, postesque relicti*
*A tergo, infelix qua se, dum regna manebant,*
*Sæpius Andromache ferre incomitata solebat*
*Ad soceros, & auo puerũ Astianacta trahebat.*

Multa vero trahendi verbo significantur, quæ longum esset enumerare: sed frequentius trahere dicimus vellera, aut lanam, pro nere. At hic trahere, est, eloquij facilitate, siue stili vbertate, ea manifestare, quæ in animo latebant, ita namque illa ad lucem perducuntur, quod est trahere.

RESIGNENT. Resignare est signo notare. Sic Columella lib. de arboribus cap. 20. *Priusquam arbusculas transferas, rubrica, uel alia qualibet re, signato, ut ijsdem uentis, quibus ante steterunt, constituas eas; curamque adhibeto, ut ab superiore, & sicciore, & exiliore, in planiorem, humidiorem, pinguiorem agrum transferas.* Aliquando resignare est iterum, ac perfectè signa-

ſignare, & quaſi claudere. Sic Virg.4.Æneid. verſu 243.

*Tum uirgam capit,hac animas ille euocat Orco*
*Pallentes, alias ſub triſtia Tartara mittit*
*Dat ſõnos,adimitq;& lumina morte reſignat.*

Sæpe eſt reddere, ſiue reſtituere. Sic Horat.3. carminum ode 29.

*Fortuna ſæuo læta negocio,&*
*Ludum inſolentem ludere pertinax,*
*Tranſmittat incertos honores,*
*Nunc mihi, nunc alys benigna*
*Laudo manentem: ſi celeres quatit*
*Pennas,reſigno quas dedit & mea*
*Virtute me inuolvo, probamque*
*Pauperiem ſine dote quæro.*

Et idem lib.1. epiſt.7.

*Forte per anguſtam,tenuis uulpecula,rimam*
*Repſerat;in cumeram frumenti,paſtaq; rurſus*
*Ire foras pleno tendebat corpore fruſtra.*
*Cui muſtela: Procul ſi uis,ait,effugere iſthinc*
*Macra cauum repetas arctum, quem macra ſubiſti.*
*Hac ego ſi compellar imagine,cuncta reſigno.*

Significat etiam aperire, ſic Cicero ad Atticũ lib 11. epiſt 9. [ Qua mente fuerit is,quem tu mihi commendas,cognoſces ex ipſius litteris,quas ad te,& ad alios miſit,quas ego numquam aperuiſſem, niſi res acta ſic eſſet: Delatus eſt ad me faſciculus: ſolui, ſi quid eſſet ad me litterarum, nihil erat. Epiſtola Vatinio,& Ligurio altera:iuſſi ad eos deferri:illi ad me ſtatim,ardentes dolore venerunt,ſcelus hominis clamantes,epiſtolas mihi legerunt, plenas omnium in me probrorum.Hic Ligurius fure-

re;

re: se enim scire summo illum in odio fuisse Cæsari, illum tamen non modo fouisse, sed & tãtam pecuniam illi dedisse, honoris mei causa. Hoc ego dolore accepto, volui scire quid scripsisset ad cæteros, ipsi illi putaui perniciosam fore, si eius hoc tãtum scelus percrebuisset: cognoui eiusdé generis. Litteras ad te mihi, quas, si putabis, illi ipsi vtile esse reddi, reddes, nil me lædet: nam quod resignatæ sunt, habet, opinor, eius signum Pomponia. ] Resignatas dixit pro apertis, solutis signis, seu sigillis. Sic Horat. lib. 1. epist. 7.

*Dum pueris omnis pater, & matercula pallet,*
*Officiosaque sedulitas, & opella forensis*
*Adducit febres, & testamenta resignat,*

hoc est aperit: testamenta enim aperiuntur mortuo testatore. Itaque resignare cõtrarium est ei, quod est signare, quod est inducto signo; claudere, quod fit viuente testatore: resignare vero auferre signum, & reserare. Sic Plaut. Trinummo actu 3. scena 3.

*Iam si obsignatas non feret, dici hoc potest*
*Apud portitorem eas resignatas, ibi*
*Inspectasque esse.*

Resignare ergo est auferre signum, aperire, & manifestare. Et hoc nunc vult Persius, vt verba manifestent, quod latet in corde, scilicet absconditas cogitationes, siue affectus.

NON *enarrabile*, vna composita voce dicitur Inenarrabile, id vero est quod narrari non potest: narrare autem est narum, idest scientem, & cognoscentem facere, quod fit rem explicando suis vestitam circumstantijs. inenarrabile vero est, quod nullatenus, vel vix eam

fa:s

suis adiunctis præcedentibus, consequentibus, & annexis potest explicari, nam sic manet signata, eiusq; ferè nullus est natus.

*QVVM primum pauido custos mihi purpura cessit, bullaq; succinctis laribus donata pependit, quum blandi comites, totaq; impune Suburra permisit sparsisse oculos iam candidus vmbo; quumque iter ambiguũ est, & vitæ nescius error, deducit trepidas ramosa in compita mentes, me tibi supposui; teneros tu suscipis annos Socratico Cornute sinu. Tunc fallere sollers apposita intortos ostendit regula mores, & premitur ratione animus, vinciq; laborat, artificemq; tuo ducit sub pollice vultum.* Ordo est: Supposui me tibi, quum primum purpura custos, cessit mihi pauido, & quum bulla donata Laribus succinctis, pependit, & quum comites blandi, & vmbo iam candidus, permisit sparsisse oculos impune tota Suburra, & quum iter est ambiguũ, & error nescius vitæ deducit mentes trepidas in compita ramosa, tu Cornute suscipis teneros annos sinu Socratico, tunc regula apposita, sollers fallere, ostendit mores intortos, & animus premitur ratione, & laborat vinci, & ducit vultum artificem sub tuo pollice. *Quum primũ pauido.* Pauidus est, qui natura formidolosus, pedibus quasi consistere nõ valens, terrã pede pauet, seu percutit, sic accepit Ouidius dicens epistola 3.

*Quod scelus, ut pauidas miseræ mihi contigit aures,*
*Sanguinis, atque animi, pectus inane fuit.*

Sic Silius Italicus lib. 10. versu 17.

*Abscessere retro, pauidique in terga relatos*

*Ab-*

*Abduxere gradus, ut lętus ualle remota,*
*Quũ capream uenator agit, fessamq; propinquo*
*Insequitur cursu, & sperat iam tãgere dextra*
*Si ferus aduerso subitum se protulit antro,*
*Et stetit ante oculos frendens leo, deserit una*
*Et color, & sa guis, & tela, minore periclo.*

Sic Virg. 8 Æneid. versu 582.

*Stant pauidæ in muris matres, oculisque sequuntur*
*Puluercam nubem, & fulgentes ære cateruas.*

Et ita pauidum, timentemque asserit se fuisse, quum relicta prætexta, virilem assumpserat togam, qui pauor in eo durabat, ex consuetudine pędagogi sępius eum castigantis, si quid, etiam leue admisisset, remanseratque, etiam quũ ex pædagogi, & prętextę, custodia excesserat: contra quam de Pistoclero dixit Plautus Bacchidibus Actu 1. scena 3.

*hic uereri perdidit:*
*Compendium, ędepol haud ætati optabile*
*Fecisti, quum isthanc nactu's impudentiam.*

*CVSTOS mihi purpura.* Purpuram custodem quidam intelligunt esse magistratum purpura vtentem, vt hic interueniat metonymia adiuncti pro subiecto, voluntque notatum hic Censorem, qui erat populi magister, vt diximus ad illa verba satyræ 3. versu 29.

*Censoremue tuum, uel quod trabeate salutas.*

Censores enim notabant, si quid Ciues insolenter, aut petulanter fecissent, peccantesque pœna, vel ignominia multabant; inde dicunt, purpuram custodem esse zelosum, vigilantemque Censorem. Sed quum hic dicatur, purpuram istam cessisse sibi, quum primũ ex ephębis

ex-

excessit, & adolescentiam transierat ætatem: Censuerunt autem fuerit acrius inuigilare ne quid illa ætas ætatis viri, aut iuuenes, quam ne quid pueri, vel adolescentes peccarent, non placet hæc interpretatio. Puto igitur purpuram custodem intelligendam vest in prætextam, qua vtebantur pueri, ante virilis togæ susceptionem, à qua dicti Prætextati. Eoque nomen factum, vt diceretur purpura pretexta, quia, ex quacumque materia, vel colore foret, ei purpura circumquaque prætexebatur. Hæc ergo dicta puerorum custos, quia sacra, adeout, ea indutus, sacer & venerabilis habe-retur, & si quis talem, contumeliæ, aut iniuriæ causa attrectasset, sacrilegus habebatur, vt qui non hominum tantum, sed Dei iura violasset; hac ratione ætati consulentes illi, quæ viribus destituta, violentorum patere iniurijs poterat. Hinc Quintilianus Declamator ait: Ego vobis allego illud sacrum prætextatum, quo sacerdotes velantur, quo magistratus, quo infirmitatem pueritiæ sacram facimus, ac venerabilem. Et alibi: Expugnasti domum, & virginis prætextam scidisti: exaggerat enim crimen, memorando iniuriam illatam huic sacræ vesti, seu personæ illa indutæ. Infirmitas ergo puerilis, non valens seipsam defendere, huius vestis religione tutabatur, ideo hæc dicta purpura custos. Verum non sola custodiebat, sed addebatur pædagogus, ne puer in vitia laberetur, neue alteri irrogaret iniuriã: pędagogus enim nedum litteris, sed & moribus pueros instruebat. Qui vero in ære non habebant, vnde pædagogos emerent, aut conduce-

ducerent, per seipsos suos custodiebant filios, quod & Horatij patrem fecisse, ipse gloriatur, dicens 1. serm. sat 4.

*insueuit pater optimus hoc me*
*Vt fugerem, exemplis uitiorum quæq; notando*
*Quum me hortaretur parce, frugaliter, atque*
*Viuerem vti contẽtus eo, quod mi ipse parasset*
*Nonne uides Albi, vt male viuat filius? vtq;*
*Barus inops? magnum documentum, ne patriam rem*
*Perdere quis velit. A turpi meretricis amore,*
*Quum deterreret: Sectani dissimilis sis.*
*Ne sequerer mœchas, concessa quum Venere vti*
*Possem, deprensi non bella est fama Treboni*
*Aiebat. Sapiens vitatu, quidque petitu*
*Sit melius, causas reddet tibi, mi satis est*
*Traditum ab antiquis morem seruare, tuamq;*
*Dum custodis eges, vitam, famamq; tueri.*
*Incolumem possim; simul ac durauerit ætas*
*Membra, animumque tuum, nabis sine cortice.*

Addebatur ergo prætexta ad puerorum custodiam, ideo hic dicta purpura custos, eratq; vestis oblonga, atque talaris, quam supra cæteras induebant, quousque sextumdecimum complessent ętatis annum, nam tunc eam deponentes, virilem induebant togam. De prætexta sic Macrobius Saturnalium lib. 1. cap. 6. [ Tum Vectius Peropportunè assuistis mihi, inquit, assertorem quærẽti, mouet enim Auienus noster mihi mei nominis quæstionem, & ita originem eius flagitat, tamquam fides ab eo generis exigenda sit; nam quum nullus sit, qui appelletur suo nomine, vel Togatus, vel Trabeatus, vel Paludatus, quur Prætextatus no-

nomen habeatur, poſtulat in mediū proferri. Sed & quum poſtibus inſcriptum ſit, Delphici templi, & vnus è numero ſeptem ſapientum eadem ſit iſta ſententia *γνῶθι σεαυτόν*, quid in me ſcire exiſtimandus ſim, ſi nomen ignoro, cuius mihi nunc & origo, & cauſa dicēda eſt? Tullus Hoſtilius Rex Romanorum Tertius, debellatis Hetruſcis, ſellam Curulem, lictoreſque, & togam pictam, atque Prætextam, quæ inſignia magiſtratuum Hetruſcorum erant, primus, vt Vrbe Romæ haberentur inſtituit. Sed Prætextam illo ſeculo puerilis nō vſurpabat ætas, erat enim, vt cętera, quę enumeraui, honoris habitus. Sed poſtea Tarquinius Demarati exulis Corinthij filius, Priſcus, quem quidam Lucumonem vocitatum ferūt, Rex tertius ab Hoſtilio, quintus à Romulo, de Sabinis egit triumphum: quo bello, filium ſuum annos quatuordecim natum, quod hoſtem manu percuſſerat, & pro concione laudauit, & bulla aurea, prætextaque donauit, inſigniens puerum vltra annos fortem, pręmijs virilitatis, & honoris: nam ſicut Prætexta magiſtratuum, ita bulla geſtamen erat triumphantium, quam in triumpho præ ſe gerebant, incluſis intra eam remedijs, quæ crederent aduerſus inuidiam valentiſſima. Hinc deductus mos, vt Prætexta, & Bulla in vſum puerorum nobilium vſurparentur, ad omen & vota conciliandæ virtutis, ei ſimilis, cui in primis annis munera iſta ceſſerunt. Alij putant eumdem Priſcum, quum is ſtatum Ciuiū ſolertia prouidi Principis ordinaret, cultum quoque ingenuorum puerorum inter præcipua

pua duxisse, instituisseque, vt patricij bulla aurea cum toga, cui purpura pretexitur, vterenrur, dumtaxat illi quorum patres Curulem gesserant magistratum: cæteris autem, vt Prætexta tantum vterentur, indultum: sed vsque ad eos, quorum parentes equo stipendia iusta meruissent Libertinis vero nullo iure vti Prętextis licebat, ac multo minus peregrinis, quibus nulla esset cum Romanis necessitudo. Sed postea Libertinorum quoque filijs Prætexta cōcessa est ex causa tali, quam M. Lælius Augur refert, qui bello Punico Secundo, duumviros dicit ex Senatus consulto, propter multa prodigia, libros Sybillinos adisse, & inspectis his, nunciasse, in Capitolio supplicandum, lectisterniumque ex collata stipe faciendum, itaut Libertinæ quoque, quæ longa veste vterentur, in eam rem pecuniam subministrarēt. Aucta igitur obsecratio est, pueris ingenuis, itēque Libertinis, sed & virginibus patrimis, matrimisque pronūciantibus carmen. Ex quo concessum est, vt Libertinorum quoque filij, qui ex iusta dumtaxat matre familias nati fuissent, togam prætextam, & lorum in collo pro bullæ decore gestarent Verrius Flaccus ait: Quum populus Rom. pestilentia laboraret, essetque responsum id accidere, quod Dij despicerentur, anxiam Vrbem fuisse, quia non intelligeretur oraculum, euenisseque vt Circensium die, puer de cœnaculo pompam supernè despiceret, & patri referret, quo ordine secreta sacrorum in arca, pilento composita vidisset. Qui quum rem gestam Senatui nunciasset, placuisse velari loca ea, quum pompa

ve-

veheretur, atque ita, peste sedata, puerum, qui ambiguitatem sortis absoluerat, togæ & prætextæ vsum, munus impetrauisse. Vetustatis peritissimi referunt, in raptu Sabinarum vnam mulierum nomine Hersiliam, dum adhæreret filiæ, simul raptam, quam quum Romulus Hosto cuidam ex agro Latino, qui in asylum eius confugerat, virtute conspicuo, vxorem dedisset, natum ex ea puerum, antequam vlla alia Sabinarum partum ederet, eumque quod primus esset in hostico procreatus, Hostilium à matre vocitatum, & eundem à Romulo [illegible] ea, ac Prætexta insignibus honoratum: is enim, [illegible] raptas ad consolandum vocasset, spopondisse fertur, se eius infanti, quæ primo sibi Ciuem Romanum esset enixa, illustre munus daturum. Nonnulli credunt ingenuis pueris attributum, vt cordis figuram in bulla ante pectus annecterent, quã inspicientes, ita demum se homines cogitarẽt, si corde præstarent. Togam quoque prætextã his additam, vt ex purpuræ rubore ingenuitatis pudore regerentur. Mos antea Senatoribus fuit, in Curia cum prætextatis filijs introire, quum in Senatu res maior quæpiam consuleretur, eaque in diem posterum prolata esset, placuit vt hanc rem super qua tractauissent, ne quis enunciaret, priusquam decreta esset. Mater Papirij pueri, qui cum parente suo in Curia fuerat, percontatur filium, quidnam in Senatu egissent Patres? Puer respondit, tacendum esse, neque id dici licere. Mulier fit audiendi cupidior, secretum rei, & silentium pueri, animum eius ad exquirendum euerbe-

ſextumdecimum ætatis annum, ſimiliter cum remedijs cõtra liuentes oculos, à quibus ætas tenera faſcinari facilè poterat. Hanc vero bullam ſimul cum prætexta deponebant ſumpturi togam virilem. Et ſicut puellæ, quum tradebantur nuptui, virginitati renunciantes, pupas quibus in pueritia luſerant, ſacrabant Veneri, vt diximus ad illa verba ſat 2 v.70.

*Nēpe hoc, quod Veneri donatæ à virgine puppę*, ita adoleſcentes, bullam Laribus ſuſpendebāt, vt innuit Propertius lib.4. eleg. 1.

*Mox, vbi bulla rudi demiſſa eſt aurea collo,*
*Matris, & ante Deos libera ſumpta toga.*

*SVCCINCTIS*. Succingere, accingere, & præcingere, idem ſignificant, nimirum veſtium lacinias, ne effluant, cingulo coercere, quo quis expeditior ſit ad ambulandum, prælian-dum, ſiue aliud corporale miniſterium peragendum. Sic Exodi 12. *Renes veſtros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis feſtinanter.* Et Tobiæ 5 *Egreſſus Tobias inuenit iuuenem ſplēdidum ſtantem, præcinctum, & quaſi paratum ad ambulandum.* Et Horat.2.ſerm.ſat.6.

*Ergo ubi purpurea porrectum in veſte locauit*
*Agreſtem, veluti ſuccinctus curſitat hoſpes,*
*Continuatque dapes, necnon vernaliter ipſis*
*Fungitur officijs, prælābens omne, quod adfert.*

Dicunt quidam Lares fingi ſuccinctos, quia caninis amicirentur pellibus. Sed nuſquam apud probatos autores memini me legiſſe, Larium tegumentum eſſe ex canum pellibus, bene vero eos vno tantum humero pellibus quibuſdam opertos, cætera eſſe nudos: & etiam ſi

ca-

caninis vestirentur pellibus, num propterea dicēdi succincti? Non arbitror, videtur si leoninis, agninis, lineis, vel sericis vestiretur. Propterea Casaubonus vult dici succinctos, quia induti erant more peregrinantium, secumque canem habebant. Verum id verificatur tantū de Laribus Compitalitijs, qui dicebantur peregrinātium comites, & peregrinari, nunc vero sermo est de familiaribus, quibus bulla suspendebatur. Dicendum ergo, Lares fingi succinctos, vt ostendātur parati ad opus, vt milites cingulo ornabantur, adeout qui ad pugnā parabantur, dicerentur cingi, vel accingi: tam quo Lares significētur parati ad arcendos hostes, fures, & alias pestes pro custodia domus, succincti finguntur, & canis circa eos, quia hoc animal domum nouit custodire. Eodem autem ornatu, & parum diuersa significatione fingebantur Lares familiares, & Compitalitij, nam isti succingebātur, quo forent ad iter expediti, illi, vt parati ad arcendos hostes pro domus custodia, & vtrisque addebatur canis, siue pro itineris socio, siue pro vigili excubitore. Hinc Ouid. lib 5. Fastor.

*Præstitibus Maię Laribus videre Kalendæ*
*Aram constitui, paruaq; signa Deum.*
*Vouerat illa quidem Curius, sed longa vetustas*
*Destruit, & saxo longa senecta nocet*
*Causa tamen positi fuerat cognominis illis,*
*Quod præstant oculis omnia tuta suis*
*Stāt quoq; pro nobis, et præsunt mœnibus Vrbis,*
*Et sunt præsentes, auxiliumq; ferunt,*
*Et canis ante pedes saxo fabricatus eodem*
*Stabat. Quę standi cum Lare causa fuit?*

est à pectine, quod, in sceletro, hoc referat, quum costæ vtrinque dentes representent. De eodem Plin. lib. 11. cap. 37. *Pectus hoc est ossa præcordijs, & uitalibus natura circumdedit, at uentri, quem necesse erat increscere, ademit. nulli animalium circa uentrem ossa. Pectus homini tantum latum, reliquis carinatum, uolucribus magis, & inter eas aquaticis maximè. Costæ homini tantum octonæ, suibus denæ, cornigeris tredecim, serpentibus triginta.* Pectoris meminit Q. Serenus Samonicus, de medicina cap. 22. dicens:

*Sin etiam rutilus fertur de pectore sanguis*
*Sorbitiũ menthæ, raphanus, uel cocta iuuabit.*

Est autẽ pectus anterior pars animalis, à gula ad ventrem, in cuius partibus interioribus, præcordiorum nomine sunt, cor, iecur, fel, pulmo, & alia. Inde per senecdochen partis integralis, siue per metonymiam continentis, ponitur sæpe pro corde, & nonnumquam per metalepsim, pro animo eiusque passionibus, quas quidam putauere in corde, vel hepate, iuxta pectus, vt in propria sede residere. Et ita Iuuenalis satyra 13. versu 196.

*Pœna autem uehemens, ac multo sæuior illis,*
*Quas aut Ceditius grauis inuenit, aut Rhadamanthus*
*Nocte, dieque suum gestare in pectore testem,*

nempe cor, animum, aut conscientiam propriorum, etiam occultorum; consciam scelerum. Et hinc factum, vt significare volentes aliquem sincerè, perfectèque amari, dicamus illum diligi toto corde, pectoreque effuso. Et ita nunc sumitur pectus, quum Persius asserit se Cornutum fixisse pectori sinuoso, scilicet intimo cordis affectui.

*El-*

FIXI. Figere, vt diximus satyra 4. versu 28. est plantare, vel intromittere. Sic Cicero ad Atticum lib 3. epist. 15. *Multa occultant tuæ litteræ, credo ne uehementius desperatione perturbes? Quid enim uides agi posse, aut quomodo? Per Senatumne? An tute scripsisti ad me quoddã caput legis, Clodium in Curiæ poste fixisse, ne referri, neue dici liceret*. Et eodem lib. 8. epist. 22. *Eo modo autem ambulat Cæsar, & üs diarijs militum celeritatem incitat, ut timeam ne citius ad Brundusium, quam opus sit accesserit. Dices: Quid igitur proficis, qui anticipes eius rei molestiam, quam triduo sciturus sis? Nihil equidem, sed, ut supra dixi, tecum perlibenter loquor: & simul scito, labare meum consilium illud, quod satis iam fixum uidebatur*. Et Verrina 7. *Mamertinis, qui erant in eadem causa, & quibus superiores omnes Prætores, item ut cæteris imperauerant pecuniamque ex Senatus Consulto, et ex lege dissoluerant, his dico, non rectè remissum. At ut hoc beneficium, quemadmodum dicitur, trabali clauo figeret, cum Consilio causam Mamertinorum cognouit, & de consilij sententia Mamertinis se frumentum non imperare pronũciat*. Firmius adhærent fixa, quam locata, vt violentia sit opus ad illa auferenda: & hoc voluit de sua in Cornutum beneuolentia, obseruantia, & amore.

TRAHAM. Trahere quasi transuehere, nam, s, in compositione frequenter abijcitur, vt in trado, quasi trans do, in tranare, quasi trans nare, in traducere, quasi trans ducere, & alijs, est à trans & vehere. Vehere autem violentiam importat, vnde Gellius ait lib 6.

cap. 6.

cap.6. *Vexasse graue uerbum est, factumque ab eo uidetur, quod est uehere, in quo inest iam uis quædam alieni arbitrij; non enim sui potens est qui uehitur.* Sic Virg. 2.Æn.v.403.

*Ecce trahebatur, passis Priameia uirgo*
*Crinibus à téplo Cassandra, adytisq; Mineruæ.*

Et eodem lib.2.versu 550.

*Nunc morere: hæc dicens altaria ad ipsa trementem*
*Traxit, & in multo lapsanté sanguine gnati,*
*Implicuitque comam, læua, dextraq; coruscum*
*Extulit, ac lateri capulo tenus abdidit ensem.*

Sed absque violentia, pro simpliciter ducere, dixit idem Virg.2.Æn.versu 453.

*Limen erat, cæcæque fores, & peruius usus*
*Tectorum inter se Priami, postesque relicti*
*A tergo, infelix qua se, dum regna manebant,*
*Sæpius Andromache ferre incomitata solebat*
*Ad soceros, & auo puerũ Astianacta trahebat.*

Multa vero trahendi verbo significantur, quæ longum esset enumerare: sed frequentius trahere dicimus vellera, aut lanam, pro nere. At hic trahere, est, eloquij facilitate, siue stili vbertate, ea manifestare, quæ in animo latebant, ita namque illa ad lucem perducuntur, quod est trahere.

*RESIGNENT.* Resignare est signo notare. Sic Columella lib.de arboribus cap.20.*Prinsquam arbusculas transferas, rubrica, uel alia qualibet re, signato, ut ijsdem uentis, quibus ante steterunt, constituas eas; curamque adhibeto, ut ab superiore, & ficciore, & exiliore, in planiorem, humidiorem, pinguiorem agrum transferas.* Aliquando resignare est iterum, ac perfectè signa-

signare, & quasi claudere. Sic Virg. 4. Æneid. versu 243.

*Tum uirgam capit, hac animas ille euocat Orco*
*Pallentes, alias sub tristia Tartara mittit*
*Dat sõnos, adimitq; & lumina morte resignat.*

Sæpe est reddere, siue restituere. Sic Horat. 3. carminum ode 29.

*Fortuna sęuo lęta negocio, &*
*Ludum insolentem ludere pertinax,*
*Transmittat incertos honores,*
*Nunc mihi, nunc alijs benigna*
*Laudo manentem: si celeres quatit*
*Pennas, resigno quas dedit & mea*
*Virtute me inuoluo, probamque*
*Paupertem sine dote quęro.*

Et idem lib. 1. epist. 7.

*Forsè per angustam, tenuis uulpecula, rimam*
*Repserat; in cumeram frumenti, pastaq; rursus*
*Ire foras pleno tendebat corpore frustra.*
*Cui mustela: Procul si uis, ait, effugere isthinc*
*Macra canum repetas arctum, quem macra subisti.*
*Hac ego si compellar imagine, cuncta resigno.*

Significat etiam aperire, sic Cicero ad Atticũ lib. 11. epist. 9. [ Qua mente fuerit is, quem tu mihi commendas, cognosces ex ipsius litteris, quas ad te, & ad alios misit, quas ego numquam aperuissem, nisi res acta sic esset: Delatus est ad me fasciculus: solui, si quid esset ad me litterarum, nihil erat. Epistola Vatinio, & Ligurio altera: iussi ad eos deferri: illi ad me statim, ardentes dolore venerunt, scelus hominis clamantes, epistolas mihi legerunt, plenas omnium in me probrorum. Hic Ligurius furere;

re: se enim scire summo illum in odio fuisse, Cæsari, illum tamen non modo fouisse, sed & tātam pecuniam illi dedisse, honoris mei causa. Hoc ego dolore accepto, volui scire quid scripsisset ad cæteros, ipsi illi putaui perniciosam fore, si eius hoc tātum scelus percrebuisset: cognoui eiusdē generis. Litteras ad te misi, quas, si putabis, illi ipsi vtile esse reddi, reddes, nil me lædet: nam quod resignatæ sunt, habet, opinor, eius signum Pomponia.] Resignatas dixit pro apertis, solutis signis, seu sigillis. Sic Horat. lib. 1. epist. 7.

*Dum pueris omnis pater, & matercula pallet,*
*Officiosaque sedulitas, & opella forensis*
*Adducit febres, & testamenta resignat,*

hoc est aperit: testamenta enim aperiuntur mortuo testatore. Itaque resignare cōtrarium est ei, quod est signare, quod est inducto signo; claudere, quod fit viuente testatore: resignare vero auferre signum, & reserare. Sic Plaut. Trinummo actu 3. scena 3.

*Iam si obsignatas non feret, dici hoc potest*
*Apud portitorem eas resignatas, ibi*
*Inspectasque esse.*

Resignare ergo est auferre signum, aperire, & manifestare. Et hoc nunc vult Persius, vt verba manifestent, quod latet in corde, scilicet absconditas cogitationes, siue affectus.

*NON enarrabile*, vna composita voce dicitur Inenarrabile, id vero est quod narrari non potest: narrare autem est narum, idest scientem, & cognoscentem facere, quod fit rem explicando suis vestitam circumstantiis. inenarrabile vero est, quod nullatenus, vel vix eum

fa:s

ſuis adiunctis præcedentibus, conſequentibus, & annexis poteſt explicari, nam ſic manet ſignata, eiuſq; ferè nullus eſt narus.

*QVVM primum pauido custos mihi purpura cessit, bullaq; succinctis Laribus donata pependit, quum blandi comites, totaq; impune Suburra permisit sparsisse oculos iam candidus vmbo: quumque iter ambiguũ est, & vitæ nescius error, deducit trepidas ramosa in compita mentes, me tibi supposui; teneros tu suscipis annos Socratico Cornute sinu. Tunc fallere sollers apposita intortos ostendit regula mores, & premitur ratione animus, vinciq; laborat, artificemq; tuo ducit sub pollice vultum.* Ordo eſt: Suppoſui me tibi, quum primum purpura cuſtos, ceſſit mihi pauido, & quum bulla donata Laribus ſuccinctis, pependit, & quum comites blandi, & vmbo iam candidus, permiſit ſparſiſſe oculos impune tota Suburra, & quum iter eſt ambiguũ, & error neſcius vitæ deducit mentes trepidas in compita ramoſa, tu Cornute ſuſcipis teneros annos ſinu Socratico, tunc regula appoſita, ſollers fallere, oſtendit mores intortos, & animus premitur ratione, & laborat vinci, & ducit vultum artificem ſub tuo pollice. *Quum primũ pauido.* Pauidus eſt, qui natura formidoloſus, pedibus quaſi conſiſtere nõ valens, terrã pede pauet, ſeu percutit, ſic accepit Ouidius dicens epiſtola 3.

*Quod scelus, ut pauidas miseræ mihi contigit aures,*
*Sanguinis, atque animi, pectus inane fuit.*

Sic Silius Italicus lib.10.verſu 17.

*Absistere retro, pauidique in terga relatos*

*Ab-*

*Abduxere gradus, ut lętus ualle remota,*
*Quũ capream uenator agit, fessamq; propinquo*
*Insequitur cursu, & sperat iam tãgere dextra*
*Si ferus aduerso subitum se protulit antro,*
*Et stetit ante oculos frendens leo, deserit una*
*Et color, & sa guis, & tela, minore periclo.*
Sic Virg. 8 Æneid. versu 582.
*Stant pauidæ in muris matres, oculisque sequuntur*
*Pulueream nubem, & fulgentes ære cateruas.*
Et ita pauidum, timentemque asserit se fuisse, quum relicta prætexta, virilem assumpserat togam, qui pauor in eo durabat, ex consuetudine pędagogi sępius eum castigantis, si quid, etiam leue admisisset, remanseratque, etiam quũ ex pædagogi, & prętextę, custodia excesserat: contra quam de Pistoclero dixit Plautus Bacchidibus Actu 1. scena 3.
*hic uereri perdidit:*
*Compendium, ędepol haud ætati optabile*
*Fecisti, quum isthanc nactu's impudentiam.*
*CVSTOS mihi purpura.* Purpuram custodem quidam intelligunt esse magistratum purpura vtentem, vt hic interueniat metonymia adiuncti pro subiecto, voluntque notatum hic Censorem, qui erat populi magister, vt diximus ad illa verba satyræ 3. versu 29.
*Censoremue tuum, uel quod trabeate salutas.*
Censores enim notabant, si quid Ciues insolenter, aut petulanter fecissent, peccantesque pœna, vel ignominia multabaut; inde dicunt, purpuram custodem esse zelosum, vigilantemque Censorem. Sed quum hic dicatur, purpuram istam cessisse sibi, quum primũ ex ephębis ex-

excessit, & ad iuuenilem transierat ætatem; Custodum autem fuerit acrius inuigilare ne quid illæ ætatis viri, aut iuuenes, quam ne quid pueri, vel adolescentes peccarent, non placet hæc interpretatio. Puto igitur purpuram custodem intelligendam vestem prætextam, qua velabantur pueri, ante virilis togæ susceptionem, à qua dicti Prætextati. Et quæ nomen factum, vt diceretur purpura prętexta, quia, ex quacumque materia, vel colore foret, in purpura circumquaque prætexebatur. Hæc ergo dicta puerorum custos, quia sacra, adeout, ea indutus, sacer & venerabilis haberetur, & si quis talem, contumeliæ, aut iniuriæ causa attrectasset, sacrilegus habebatur, vt qui non hominum tantum, sed Dei iura violasset; hac ratione ætati consulentes illi, quæ viribus destituta, violentorum patere iniurijs poterat. Hinc Quintilianus Declamator ait: Ego vobis allego illud sacrum prætextarum, quo sacerdotes velantur, quo magistratus, quo infirmitatem pueritiæ sacram facimus, ac venerabilem. Et alibi: Expugnasti domum, & virginis prætextam scidisti: exaggerat enim crimen, memorando iniuriam illatam huic sacræ vesti, seu personæ illa indutæ. Infirmitas ergo puerilis, non valens seipsam defendere, huius vestis religione tutabatur, ideo hæc dicta purpura custos. Verum non sola custodiebat, sed addebatur pædagogus, ne puer in vitia laberetur, neue alteri irrogaret iniuriā; pędagogus enim nedum litteris, sed & moribus pueros instruebat. Qui vero in ære non habebant, vnde pædagogos emerent, aut conduce-

ducerent, per seipsos suos custodiebant filios, quod & Horatij patrem fecisse, ipse gloriatur, dicens 1. serm. sat 4.

*insueuit pater optimus hoc me*
*Vt fugerem, exemplis uitiorum quæq; notando*
*Quum me hortaretur parce, frugaliter, atque*
*Viuerem vti contentus eo, quod mi ipse parasset*
*Nonne uides Albi, vt male viuat filius? vtq;*
*Barus inops? magnum documentum, ne patriam rem*
*Perdere quis velit. A turpi meretricis amore,*
*Quum deterreret: Sectani dissimilis sis.*
*Ne sequerer mœchas, concessa quum Venere vti*
*Possem, deprensi non bella est fama Treboni*
*Aiebat. Sapiens vitatu, quidque petitu*
*Sit melius, causas reddet tibi, mi satis est*
*Traditum ab antiquis morem seruare, tuamq;*
*Dum custodis eges, vitam, famamq; tueri.*
*Incolumem possim; simul ac durauerit ætas*
*Membra, animumque tuum, nabis sine cortice.*

Addebatur ergo prætexta ad puerorum custodiam, ideo hic dicta purpura custos, eratq; vestis oblonga, atque talaris, quam supra cæteras induebant, quousque sextumdecimum complessent ætatis annum, nam tunc eam deponentes, virilem induebant togam. De prætexta sic Macrobius Saturnalium lib. 1. cap. 6. [ Tum Vectius Peropportunè affuistis mihi, inquit, assertorem quærẽti, mouet enim Auienus noster mihi mei nominis quæstionem, & ita originem eius flagitat, tamquam fides ab eo generis exigenda sit; nam quum nullus sit, qui appelletur suo nomine, vel Togatus, vel Trabeatus, vel Paludatus, quur Prætextatus no-

nomen habeatur, postulat in medium proferri. Sed & quum postibus inscriptum sit, Delphici templi, & vnius è numero septem sapientum eadem sit ista sententia γνῶθι σεαυτὸν, quid in me scire existimandus sim, si nomen ignoro, cuius mihi nunc & origo, & causa dicẽda est? Tullus Hostilius Rex Romanorum Tertius, debellatis Hetruscis, sellam Curulem, littoresque, & togam pictam, atque Prætextam, quæ insignia magistratuum Hetruscorum erant, primus, vt Vrbe Romæ haberentur instituit. Sed Prætextam illo seculo puerilis nõ vsurpabat ætas, erat enim, vt cętera, quę enumeraui, honoris habitus. Sed postea Tarquinius Demarati exulis Corinthij filius, Priscus, quem quidam Lucumonem vocitatum ferũt, Rex tertius ab Hostilio, quintus à Romulo, de Sabinis egit triumphum: quo bello, filium suum annos quatuordecim natum, quod hostem manu percusserat, & pro concione laudauit, & bulla aurea, prætextaque donauit, insigniens puerum vltra annos fortem, pręmijs virilitatis, & honoris: nam sicut Prætexta magistratuum, ita bulla gestamen erat triumphantium, quam in triumpho præ se gerebant, inclusis intra eam remedijs, quæ crederent aduersus inuidiam valentissima. Hinc deductus mos, vt Prætexta, & Bulla in vsum puerorum nobilium vsurparentur, ad omen & vota conciliandæ virtutis, ei similis, cui in primis annis munera ista cesserunt. Alij putant eumdem Priscum, quum is statum Ciuiũ solertia prouidi Principis ordinaret, cultum quoque ingenuorum puerorum inter præcipua

pua duxisse, instituisseque, vt patricij bullam aurea cum toga, cui purpura prętexitur, vterenrur, dumtaxat illi quorum patres Curulem gesserant magistratum: cæteris autem, vt Prætexta tantum vterentur, indultum: sed vsque ad eos, quorum parentes equo stipendia iusta meruissent Libertinis vero nullo iure vti Prętextis licebat, ac multo minus peregrinis, quibus nulla esset cum Romanis necessitudo. Sed postea Libertinorum quoque filijs Prætexta cōcessa est ex causa tali, quam M. Lælius Augur refert, qui bello Punico Secundo, duumviros dicit ex Senatus consulto, propter multa prodigia, libros Sybillinos adiisse, & inspectis his, nunciasse, in Capitolio supplicandum, lectisterniumque ex collata stipe faciendum, itaut Libertinæ quoque, quæ longa veste vterentur, in eam rem pecuniam subministrarēt. Aucta igitur obsecratio est, pueris ingenuis, itēque Libertinis, sed & virginibus patrimis, matrimisque pronūciantibus carmen. Ex quo concessum est, vt Libertinorum quoque filij, qui ex iusta dumtaxat matre familias nati fuissent, togam prætextam, & lorum in collo pro bullæ decore gestarent Verrius Flaccus ait: Quum populus Rom. pestilentia laboraret, essetque responsum id accidere, quod Dij despicerentur, anxiam Vrbem fuisse, quia non intelligeretur oraculum, euenisseque vt Circensium die, puer de cœnaculo pompam supernè despiceret, & patri referret, quo ordine secreta sacrorum in arca, pilento composita vidisset. Qui quum rem gestam Senatui nunciasset, placuisse velari loca ea, quum pompa ve-

veheretur, atque ita, peste sedata, puerum, qui ambiguitatem sortis absoluerat, togæ & prætextæ vsum, muneris impetrauisse. Vetustatis peritissimi referunt, in raptu Sabinarum vnam mulierum nomine Hersiliam, dum adhæreret filiæ, simul raptam, quam quum Romulus Hosto cuidam ex agro Latino, qui in asylum eius confugerat, virtute conspicuo, vxorem dedisset, natum ex ea puerum, antequam vlla alia Sabinarum partum ederet, eũque quod primus esset in hostico procreatus, Hostilium à matre vocitatum, & eũdem à Romulo [illegible] ...rea, ac Prætexta insignibus honoratum: is enim, [illegible] raptas ad consolandum vocasset, spopondisse fertur, se eius infanti, quę primo sibi Ciuem Romanum esset enixa, illustre munus daturum. Nonnulli credunt ingenuis pueris attributum, vt cordis figuram in bulla ante pectus annecterent, quã inspicientes, ita demum se homines cogitarẽt, si corde præstarent. Togam quoque prætextã his additam, vt ex purpuræ rubore ingenuitatis pudore regerentur. Mos antea Senatoribus fuit, in Curia cum prętextatis filijs introire. Quum in Senatu res maior quępiam consuleretur, eaque in diem posterum prolata esset, placuit vt hanc rem super qua tractauissent, ne quis enunciaret, priusquam decreta esset. Mater Papyrij pueri, qui cum parente suo in Curia fuerat, percontatur filium, quidnam in Senatu egissent Patres? Puer respondit, tacendum esse, neque id dici licere. Mulier fit audiendi cupidior, secretum rei, & silentium pueri, animum eius ad exquirendum euerberat.

rat. Quærit igitur compreſſius, violentiuſque. Tum puer, vrgente matre, lepidi, atque feſtiu mendacij conſilium capit. Actum in Senatu dicit: Verum videretur vtilius, magiſque ex Rep. eſſe, vnus ne vt duas vxores haberet, an vt vna apud duos nupta eſſet. Hoc vbi illa audiuit, animo compaueſcit, domo trepidans egreditur, ad cæteras matronas adfert, poſtridieque ad Senatum copioſæ matrumfamilias cateruæ confluunt lacrymantes, atque obſecrantes orant, vna potius, vt duobus [illegible] fieret, quam vt vni duæ. Se[illegible] ingredientes Curiam, [illegible] mulierum intemperies, & [illegible] poſtulatio iſthæc vellet, mirabantur, & non vt paruæ rei prodigium, illam verecundi ſexus impudicam inſaniam paueſcebant. Puer Papyrius publicum metum demit, nam in medium Curiæ progreſſus, quid ipſi mater audire inſtitiſſet, quid matri ipſe ſimulaſſet, ſicut fuerat, enarrauit. Senatus fidẽ, atq; ingenium pueri exoſculatus, conſultumque facit, vti poſt hac pueri cum patribus in Curiam non introeant præter vnum Papyrium: eiq; puero poſtea cognomentum honoris gratia decreto inditum, Prætextatus, ob tacẽdi, loquendique in prætextate ætate prudẽtiam. De purpura ergo hac, loquitur.

*CESSIT.* Cœdo cum diphtongo, & creſcens in præterito, eſt percutio, ferio, verbero: abſq; diphtongo vero, & non creſcens, eſt abeo, vel diſcedo. Et ita ſumitur hic, nam purpura cuſtos dicta eſt ceſſiſſe, ideſt receſſiſſe, quia eam amplius non induebat: & ceſſiſſe ſibi, hoc eſt ad propriam vtilitatem; prætextæ enim depo-

ſitio,

positio, consummatam signabat ætatem: habere autem vires firmas, & robur, vtile est, quum talis, alterius non indigeat auxilio, immo possit se, aliosque tueri. Prætextam etiam deponentes, virilem assumebant togam, erantque apti Remp. suscipere, à qua Prætextati arcebantur: Togati namque in Curiam admittebantur, & ad honores gradum sibi faciebant, quod ambitiosis, & quibusdam etiam virtutis cultoribus, optabile videbatur, vt merito hic dictum fuerit, Prætextam cessisse sibi, seu ad propriam vtilitatem. Sed aliqui cedere sumūt pro relinquere, vt cessit mihi, sit, reliquit me, & ita hic interuenit enallage, & casuum commutatio, pro relicta est à me.

*BVLLAQ*; De bullis multa in præcedentibus, in diuersa tamen significatione: nunc autē sumitur, vt in verbis citatis Macrobij, nempe vt erat vas, siue aureum pro ingenuis, siue scorteum pro libertinis, in cordis modum formatum, quod suspensum gestabatur ex collo ante pectus, vt nunc Equites suas ferunt Cruces, vel alia insignia: ad quam Crucem, seu bullam aspicientes adolescentes, monerentur, tunc demum se esse viros, quum corde pollerent, & sapientia: dicta bulla à *βυλη'*, consilio, nam talis ætas alterius eget consilio. Talem bullam gestare duobus tantum dabatur hominum generibus, Imperatoribus scilicet in ipso tantum triumphandi actu, inclusis in ea remedijs, quę crederent efficacissima ad inuidiam, vel fascinum propulsandum: inuidia enim nasci timebatur in aliorum animis, ex tanta triumphantium gloria: & pueris ad vsq;

ſextumdecimum ætatis annum, ſimiliter cum remedijs cōtra liuentes oculos, à quibus ætas tenera faſcinari facilè poterat. Hanc vero bullam ſimul cum prætexta deponebant ſumpturi togam virilem. Et ſicut puellæ, quum tradebantur nuptui, virginitati renunciantes, pupas quibus in pueritia luſerant, ſacrabant Veneri, vt diximus ad illa verba ſat 2. v. 70.

*Nēpe hoc, quod Veneri donatæ à virgine pupę*, ita adoleſcentes, bullam Laribus ſuſpendebāt, vt innuit Propertius lib. 4. eleg. 1.

*Mox, vbi bulla rudi demiſſa eſt aurea collo,*
*Matris, & ante Deos libera ſumpta toga.*

SVCCINCTIS. Succingere, accingere, & præcingere, idem ſignificant, nimirum veſtium lacinias, ne effluant, cingulo coercere, quo quis expeditior ſit ad ambulandum, præliandum, ſiue aliud corporale miniſterium peragendum. Sic Exodi 12. *Renes veſtros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis feſtinanter.* Et Tobiæ 5. *Egreſſus Tobias inuenit iuuenem ſplédidum ſtantem, præcinctum, & quaſi paratum ad ambulandum.* Et Horat. 2. ſerm. ſat. 6.

*Ergo vbi purpurea porrectum in veſte locauit*
*Agreſtem, veluti ſuccinctus curſitat hoſpes,*
*Continuatque dapes, necnon vernaliter ipſis*
*Fungitur officijs, prælābens omne, quod adfert.*

Dicunt quidam Lares fingi ſuccinctos, quia caninis amicirentur pellibus. Sed nuſquam apud probatos autores memini me legiſſe, Larium tegumentum eſſe ex canum pellibus, bene vero eos vno tantum humero pellibus quibuſdam opertos, cætera eſſe nudos: & etiam ſi

ca-

caninis vestirentur pellibus, cum propterea dicendi succincti? Nam aroccro, vtrtz si laneinis, agninis, lineis, vel sericis vestirentur. Propterea Casaubonus vult dici succinctos, quia induti erant more peregrinantium, secumque canem habebant. Verum id verificatur tantũ de Laribus Compitalitijs, qui dicebantur peregrinãtium comites, & peregrinari, nunc vero sermo est de familiaribus, quibus bulla suspendebatur. Dicendum ergo, Lares fingi succinctos, vt ostendatur parati ad opus, vt milites cingulo ornabantur, adeout qui ad pugnã parabantur, dicerentur cingi, vel accingi: ita quo Lares significẽtur parati ad arcendos hostes, fures, & alias pestes pro custodia domus, succincti finguntur, & canis circa eos, quia hoc animal domum nouit custodire. Eodem autem ornatu, & parum diuersa significatione fingebantur Lares familiares, & Compitalitij, nam isti succingebãtur, quo forent ad iter expediti, illi, vt parati ad arcendos hostes pro domus custodia, & vtrisque addebatur canis, siue pro itineris socio, siue pro vigili excubitore. Hinc Ouid. lib 5. Fastor.

*Præstitibus Maię Laribus videre Kalendæ*
*Aram constitui, paruaq; signa Deum.*
*Vouerat illa quidem Curius: sed longa vetustas*
*Destruit, & saxo longa senecta nocet*
*Causa tamen positi fuerat cognominis illis,*
*Quod præstant oculis omnia tuta suis*
*Stãt quoq; pro nobis, et præsũt mœnibus Vrbis,*
*Et sunt præsentes, auxiliumq; ferunt,*
*Et canis ante pedes saxo fabricatus eodem*
*Stabat. Quę standi cum Lare causa fuit?*

*Seruat vterq; domũ, domino quoq; fi lus vterq;*
*Compita grata Deo, compita grata cani.*
*Exagitant & Lar, & turba Diania fures*
*Peruigilantque Lares, peruigilantq; canes.*

Laribus ergo familiaribus bulla offerebatur ab adolescentibus virilem sumpturis togam, sicut Veneri pupæ à puellis ad nuptias aspirantibus.

*LARIBVS*. Lares Dij domestici, Præstites ab Ouidio verbis relatis, & alijs appellati, duo fuerunt fratres, nati ex concubitu Mercurij, & Larę filię Almonis, fluuij in Tiberim influentis, non longè ab Vrbe Roma, apud quem Almonem, Cybeleia fiebant sacra ritu Phygio, ibidemque cultri lauabantur victimarij, texte Ouid. 4. Fastor.

*Est locus in Tiberim, quo lubricus influit Almo,*
*Et nomen magno perdidit amne minor*
*Illic purpurea canus cum veste sacerdos*
*Almonis dominam, sacraque lauit aqua.*

Huius ergo fluuij Almonis filia Lara, quum esset comes familiaris Iuturnæ, sororis Turni, filię vero Dauni Rutulorum Regis, à Ioue quidem ardenter concupitæ, sed illius commercium aspernantis, eiusque insidias præcauentis, audiens aliquando ipsum præcipiendo adhortantem Latij Nymphas, vt occupatis Almonis, vel Tiberis ripis, Iuturnæ in illum insilitionem prohiberent, quandocumque Iuppiter eã insequeretur, (hac enim via sæpe eius frustrata fuerat conatus) Lara cum alijs Nymphis id Ioui promisit: sed statim omne quod Iuppiter moliebatur, nedum Iuturnę, vt sibi caueret, sed Iunoni etiam detexit. Hinc

ira-

iratus Iuppiter, Larā lingua, qua malè fuerat vsa, priuauit, Mercurioq; ad Tartara ducendā, tradidit. Mercurius vero, dum eam duceret, captus forma illius, illā in quēdam lucum ductatam, compressit, grauidamque fecit, quæ exinde geminos peperit, Lares de matris nomine appellatos. Sic Ouid 2. Fastor.

*Sæpe illi dixerat Almo*
*Nata tene linguam, nec tamen illa tenet.*
*Quæ simul, ac tetigit Iuturnę stagna sororis,*
*Effuge, ait, ripas, dicta refertq; Iouis*
*Illa etiam Iunonem adijt, miserataq; nuptam,*
*Naiada, Iuturnam vir tuus inquit amat.*
*Iuppiter intumuit, quaque non est vsa modestè*
*Eripuit linguam, Mercuriumque monet,*
*Duc hanc ad Manes, locus ille silentibus aptus*
*Nympha, sed infernę Nympha paludis erit.*
*Iussa Iouis fiunt, accepit Lucus euntes*
*Dicitur illa duci, tunc placuisse Deo*
*Vim parat hic, vultu pro verbis illa precatur,*
*Et frustra, muto nititur ore loqui,*
*Fitq; grauis, geminosq; parit, qui cōpita seruāt,*
*Et vigilant nostra semper in Vrbe Lares.*

Sic Lactantius lib. 1. cap. 21. *Quis quum audiat Deam Mutam, tenere risum queat? Hanc esse dicunt, ex qua sint nati Lares, & ipsam Laram nominant, vel Larumdam: quid præstare colenti potest, quæ loqui non potest?* Sed Alexander ab Alexandro de his ait, dierum genialium lib. 6. cap. 4 Lares quoque inter Deos receptos fuisse multorum testimonio probatur, quos antiqui inferiores dixere Deos, qui priuatarum ædium, triuiorum, viarumque, atq; Vrbis curā agerent, ideo Præstites nuncupatos. Hos

Ægyptij quatuor fuiſſe putãt, quos ſimul atq; in lucem editus fuiſſet homo, illius peruigilem curam agere opinantur, quorum nomina Dymon, Tyche, Heros, & Anachis: fuitq; Platonis opinio homines, qui ſumma integritate vixiſſent, poſt fata effici Lares: ſi vero improbi, deteſtabileſque fuiſſent, Lemures. Sed alij Larum matrem, non Laram, neque Larundam, aut Mutam, ſed Maniam dixere, hinc Macrobius 1 Saturnalium cap. 7. ait: *Hic Albinus Cecinna ſubiecit; Qualem nunc permutationem ſacrificij, Prætextate, memoraſti, inuenio poſtea Compitalibus celebratam, quum ludi per Vrbem in compitis agebantur, reſtituti ſcilicet à Tarquinio Superbo, Laribus, ac Maniæ ex reſponſo Apollinis, quo præceptum eſt, vt pro capitibus, capitibus ſupplicaretur. Idque aliquamdiu obſeruatum, vt pro familiarum ſoſpitate pueri mactarentur Maniæ Deæ matri Larium. Quod ſacrificij genus Iunius Brutus Conſul, Tarquinio pulſo aliter cõſtituit celebrandum, nam capitibus allij et papaueris ſupplicari iuſſit, vt reſponſo Apollinis ſatisfieret de nomine capitum, remoto ſcilicet ſcelere infauſtæ ſacrificationis factumque eſt, ut effigies Maniæ ſuſpenſæ pro ſingulorum foribus, periculum (quod immineret familijs) expiarent, ludoſque ipſos ex uijs compitorum, in quibus agitabantur, Compitalitios appellitauerunt.* Parem Deorum ex æquiuoco illuſionem, Numæ tributam legimus apud Ouid. 5 Faſtor.

*Cæde caput dixit, cui Rex, parebimus, inquit,*
*Cædenda eſt hortis eruta cæpa meis.*
*Addidit hic, Hominis ſumes: ait ille, capillos*
*Poſtulat hic animam, cui Numa, piſcis, ait.*

Cre-

Credidere quidam, Lares eoſdem eſſe, ac Genios: perperam tamen, ſiquidem vt diximus ſatyra 2. v. 3. ad *Funde merum Genio*, erant quidem Genij Dij familiares, at ſinguli ſingulis attributi hominibus, dicti à geno hoc eſt genero: nam ſiue eorum nomine intelligerentur Dij, ij erant generationum præſides, rerumq; gignendarum cuſtodes: ſiue ſingulorum animæ, hæ vnà cũ corporibus gigni creditæ, (quamuis reuera deforis per creationem, & infuſionem in corpora veniant) Lares vero non hominum ſingularium, ſed ædium, vel compitorum erant Dij. Alij putant Lares dici domus ſeu ędificia, nam dicimus extendere, vel continuare Larem, pro amplificare ædificia: at illud dicimus per metonymiam ſubiecti ad ſe recipientis, quia domus ſub Larium erant cuſtodia. Anguſtius Larem capiunt pro camino, in quo ignis ſeruatur, vnde Italice Focularem appellamus, in qua ſignificatione Columella ait lib. 11. cap. 1. *Conſueſcatque ruſticos circa Larem domini, focumque familiarem ſemper epulari, atque ipſe in conſpectu eorum ſimiliter epuletur.* Verum Lares propriè erant è numero Deorum Penatum, ſic appellatorum, quod penes nos eſſent nati, vel quod non longè abeſſent, immo ſemper aſſiſterent. Quo nomine veniunt tam Genij, quam Lares, & alia portenta, Quibus priuatim in domeſtico ſacrario (Lararium dicto) ſacrificabant: vnde apud Lampridium legimus de Alexandro Seuero, hunc in ſuo primo Larario (eorum tempe Deorum, quos præcipuè colebat) Apollonium habuiſſe, Orpheum, Chriſtum, & Abraha-

hamum: in secundo vero, etiam Virgilium, & Ciceronem, quibus rem Diuinam matutinis faciebat horis. Lares ergo erant Dij domestici, vel compitalitij, custodientes itinera, vel domos, atque familias, vt falso credebant. Et de his nunc loquitur, quibus suspendebatur bulla, ab assumentibus togam virilem.

*QVVM blandi comites.* Blandus est hilaris, placidus, & comis in conuersatione, atque sermone, vt videntur Adulatores. Sic Plautus Aulularia Actu 1. scena 4.

*Non temerarium, vbi diues blande appellat pauperem:*
*Iam ille homo aurum me scit habere, eo me salutat blandius.*

Vbi etiam subdit:

*Nemini credo, qui largè blandu' st diues pauperi.*

Et Terentius Hecyra Actu 5. scena 4.

*At tu ecastor morem antiquum, atque ingenium obtines,*
*Vt vnus omnium homo te viuat numquam quisquam blandior.*

Sic Cicero de Amicitia. *Vt monere, & moneri proprium est veræ amicitiæ, & alterum liberè facere, non asperè, alterum patienter accipere, non repugnanter: sic habendum est nullam in amicitijs pestem esse maiorem, quam adulationem, blanditatē, assentationem. Quamuis enim multis nominibus est hoc vitium notandum, leuium, atque fallacium, ad voluptatem loquentium omnia, nihil ad veritatem. Quum autem omnium rerum simulatio est uitiosa (tollit enim iudicium ueri, idque adulterat,) tum amicitiæ repugnat maximè, delet enim ueritatem, sine qua nomen amici-*

*sic ualere non potest. Nam quum amicitiæ uis sit in eo, ut unus quasi animus fiat ex pluribus, quæ fieri poterit, si nec in vno quidem vnus animus erit idem semper, sed varius, commutabilis, multiplex? Quid enim potest esse tam flexibile, tam deuium, quam animus eius qui ad alterius, non modo sensum, ac voluntatem, sed etiam uultum, atque nutum conuertitur? Negat quis? Nego. Ait? aio. Postremo imperaui egomet mihi, omnia assentari, ut ait Terentius, sed ille sub Gnathonis persona, quod amici genus adhibere, omnino leuitatis est. Multi autem Gnathonum similes, quum sint, loco, fortuna, fama superiores, horum est assentatio molesta, quum ad uanitatem accessit autoritas. Secerni autem blandus amicus à uero et internosci tam potest adhibita diligentia, quam omnia fucata, & simulata à sinceris atque ueris.*

Dicitur autem blandus, vel à βλαξ mollis, vel à πλάνος impostor, & ita blandus erit, qui suauibus, sed fallacibus vtitur verbis. Comites ergo blandi sunt, qui ganeis, lupanaribus, alijsque voluptatum generibus, monstrant, sensibus esse indulgendum, nam tales gloriantur, quum malefecerint, & exultant in rebus pessimis, appellanturque adulatores, & incentores vitiorum, qui suis illecebris emollientes simplices adolescentum animos, eos in barathrum trahunt vitiorum. Student enim Parasiti, ganeones, lurcones, aleatores, scortatores, & alij huius farinæ peruersi homines, adolescentum latera, nudata magistris, seu pædagogis, qui videbantur comites tristes, atque morosi, cingere, suaque blandiloquentia, loquendi, faciendiq; libertatem, verbo & exem-

plo monstrantes, illos in quorumcumque scelerum cœnum demergere.

*IMPVNE*, sine pœna. Sic Ouid. 2. Met.

*Haud impune feres, adimam tibi namq; figurã*
*Qua tibi, quaque places nostro importuna marito.*

Inde impunitatis nomen, quo inter alios vsus Sallustius in Catilin. *Senatus decreto Q. Martius Rex Fesulas, Q. Metellus Creticus in Apuliam, circumque ea loca missi sunt; sed Prætores Q. Pompeius Rufus Capuam, Q. Metellus Celer in agrum Picenum, hisque permissum, uti pro tempore, atque periculo exercitum compararent. Ad hoc si quis indicauisset de coniuratione, quę contra Remp. facta erat, pręmium, seruo libertatem, & sextertia centum, libero impunitatem eius rei, & sestertiorum ducenta millia.* Et ita quum quis sub pędagogi cura nullateuus potuisset, absq; graui castigatione, oculos tollere ad aspiciendum ea, quę concupiscere, & attrectare nõ licuisset, nunc, sumpta virili toga, talia absque huiusmodi pœna videbat.

*SVBVRRA*, vicus est Romę ad radicem montis Exquilini Palatium respiciens, forumque Romanum: sic dictus, vel quod esset subtus, & infra murum, quem dicebant terreum: vel à succurrendo, quasi succurra C, in R, mutata, nam ibi erat statio, seu præsidium militare contra Gabiorum incursiones, vt ex Varrone Festus obseruat. In hoc autem vico scorta degebant, & publicæ meretrices, Suburranæ à poetis cognominatæ, quęstum corpore facientes: ad quas adolescentes, toga sumpta, accedere permittebantur, ne si fortè

Ve-

Veneris eius incitasset, alienas permolere tentaret vxores. Candidas ergo Vmbo, idest militaris libertas, adolescentibus etiam pudicis, ac modestis, concedit posse vagari per Suburram impune, & absque vlla animaduersione, quam timuerant dum essent in praetexta sub morosis paedagogis, & [illegible], vel aliis qui [illegible].

*SPARSISSE*, est hac, atque illac proiecisse, & disseminasse, aut late diffudisse. Sic Colum. lib. 2. cap. 16. *Qui frumentis arva praeparare volet, si autumnale semen iacturus est, mense Septembri, si Vere, quolibet parte Hyemis, vehiculis acervos luna decrescente dispensabit, ita ut plani loci iugerum duodeuiginti, cliuosi, quatuor & viginti vehes stercoris teneant, & ut paulo prius dixi, non antea dissipet cumulos, quam erit saturus. Si tamen aliqua causa tempestiuam stercorationem facere prohibuerit, secunda ratio est, antequam sarrias more seminantis, ex auiariis puluerem stercoris per segetem spargere.* Verum hic sparsisse oculos dictum per metonymiam causae, non enim oculi quoad substantiam physicam effundantur, & sparguntur, sed obtutus, & visus ad contemplanda obiecta.

*VMBO* a Graeco ἄμβων & in numero multitudinis ἄμβωνες vmbones, dicitur quidquid è plano eminet, siue protuberat, figura plerūque rotunda. Hinc montes, terrae vmbones dicti, & pocula quorum latera non recta assurgunt, suggestus etiam, vnde ad populum concionabantur, vmbones appellati. Vmbo etiam est in gemmis, maxime sardonyche: hinc Plinius lib. 37. cap. 6. ait: *Arabicae excedunt can-*

*dore*

*dore circuli prelucido, atq; non gracili, neque i recessu gemmæ, aut in dejectu renitente, sed in ipsis umbonibus nitente, præterea substrato nigerrimi coloris.* Vmbo etiam dicta ea pars vestis, siue togæ, qua illius plicæ ita corrugantur, vt clypei referant speciem, circa centrum eiusdem togæ. Hinc Casaubonus hic, nomine candidi vmbonis, togam intelligit virilem, qua quis licentiam habet eundi, quo lubet, absque pędagogorum custodia: ad quod firmandum asserit togas viriles albi fuisse coloris, quum potuerint esse, vel dici croceę, vel virides. Et Martial. lib. 14. epigr. 128. ait:

*Roma magis fuscis uestitur, Gallia rufis,*
*Et places hic pueris, militibusque color.*

Sed nihil frequentius, quam vt vmbo dicatur media pars clypei, cœteris eminentior Sic Liuius lib. 5. cap. 47. dicens: *Galli, seu uestigio notato humano, quo nuncius à Veijs peruenerat, seu sua sponte, animaduerso ad Carmentis saxum ascensu æquo, nocte sublustri, quum primo inermem, qui tentaret uiam, pręmisissent, tradentes inde arma, ubi quid iniqui esset, alterni innixi, subleuantesque inuicem, & trahentes alij alios, prout postularet locus, tanto silentio in summum euasere, ut non custodes solum fallerent, sed ne canes quidem, sollicitum animal ad nocturnos strepitus, excitarent; anseres non fefellere, quibus sacris Iunoni, in summa inopia cibi, tamen abstinebant: quæ res saluti fuit, namque clangore eorum, alarumq; crepitu, excitatus M. Manlius, qui triennio ante Consul fuerat, uir bello egregius, armis arreptis, simul ad arma cęteros ciens, uadit, & dum cæteri trepidant, Gallum, qui iam*

in

*in summo constiterat, umbone ictum, deturbat.* Vbi vmbonis nomine significatus videtur conus in medio clypei existens, & protuberans, quo aduersarius impelli, & feriri potest. Sic etiam Lucanus lib.3.versu 464.

*Vt tamen hostiles, densa testudine, muros*
*Tecta subit uirtus, armisque innixa, priores*
*Arma ferunt, galeamq; extensus protegit umbos*

Et idem lib.4.versu 37.

*... ... cupis oneratus in altas*
*Nititur, aduersoq; acies in monte supina*
*Haeret, & in tergum casura umbone sequentis*
*Erigitur.*

Et lib.6.versu 192.

*fortis crebris sonat ictibus umbo.*

Quod si dicas his locis vmbonis nomine per senecdochen intelligi totum clypeum, non refragor: sed non sic in hoc Statij 8. Thebaid. versu 398.

*Iam clypeus clypeis, umbone repellitur umbo*
*Ense minax ensis, pede pes, & cuspide cuspis.*

Sed licet propriè vmbo sit clypei cētrum eminens, protuberans & aculeatum, per senecdochen nihilominus sumitur pro toto clypeo. Vnde dictus hic candidus vmbo, tantam permittens adolescentibus libertatem, intelligimus aliud nō esse, quā clypeum, qui certè tyronibus albus prębebatur, & in eo deinde pingebantur, vel scribebantur praeclara facinora in bello gesta. Vnde Seruius ait ad illa verba 7. Æneid. versu 796. *Et picti scuta habens Latij populi à Glauco Labico oriundi Minois filio, qui pictum gentis sue scutum primus in Italia ostendit, a quo & ipse Labicus dictus est, ἀπὸ τῆς*

λα-

*λαβῆς, quam Latinè ansam uocamus. Picta autem scuta, idest in bello frequenter probata, nam apud maiores, uirorum fortium picta erant scuta, è contra inertium, & tyronum, pura erant, unde est.* 9. Æneidos versu 548. *parmaque inglorius alba, idest non picta.* Arma ergo picta in bello habebant milites iam probati: tyrones vero scutum, seu parmam albã, & puram nam vt ait idem Seruius ad citata verba 9. Æneid. versu [illegible] *Tyronibus Romanis dabatur parma alba, & pura, insigni prorsus nullo, quæ argumento facinoris alicuius à se editi insigniretur in sua manu, & uirtute erat.* Indeque 11. Æn *uocatur* [illegible] *interrita parma* quia ibi ait Seruius: *Tunc primum in bello descenderat Camilla, nec dum specimen aliquod uirtutis ediderat, quo parma insigniri mereretur.* Talis ergo candidus vmbo, ideſt clypeus in quo nullum ægregium miliciæ facinus depictum erat, datus isti, quum primum virilem induit togam, militarem prębens licentiam, ei permittebat impune tota vagari Suburra, & scorta ibi morantia aspicere, & alloqui. Et de vmbone in hoc sensu puto hunc locum esse intelligendum.

*ITER* est vel ipse progrediendi actus, vel via, qua gradimur. Verum hic, iter ambiguum positum est pro via, quæ tunc est ambigua, quando incerti, & dubitantes, fluctuamus, nũ hac, vel alia sit incedendum: idque accidit peregrinantibus per loca auia, vel incognita, qui si fortè inciderint in triuia, vel quatriuia, incerti ambigunt, quam ex illis arripiant, quæ eos ad intentos perducant locos,

*VI-*

*VITÆ nescius error*, intelligitur ignoratio agendorum. Non enim vita hic intelligitur physica, & naturalis, consistens in præsentia informatiua animæ ad corpus, qua etiam stulti, & bruta fruuntur, sed ethica, & moralis, quæ est propria sapientum. Error autem, siue stultitia, & ignorantia, nescit hanc vitam, & ideo nescit, qua sit gradiendum, seu quid operandum pro felicitatis consecutione; hanc enim cognitionem præstat philosophia, seu sapientia, quam Cicero, Seneca, & alij dicunt, Vitæ magistram, vitę inquam moralis. Hic ergo error nescius vitæ, idest stultitia, nullam moralis vitæ habens cognitionem, deducit mentes tremidas ad compita ramosa.

*DEDVCIT* legimus alicubi. & hoc propriè est e loco superiori in inferiorem ducere. Sic Virg. Eclog. 8. versu 69.

*Carmina, vel cælo possunt deducere lunam.*

Sed sæpe ponitur pro simpliciter ducere. Sic Cicero ad Atticum lib. 7. epist. 14. *L. Cæsar mandata Cæsaris detulit ad Pompeium viij. Kal. cum is esset cum Coss. Theani. Probata conditio est, sed ita ut ille de his oppidis, quę extra suam Prouinciam occupauisset, præsidia deduceret.* Et Cæsar de bello Gallico lib. 6. *Pauci post diebus fit ab Vbijs certior, Sueuos omnes in unum locum copias cogere, atque his nationibus quę sub eorum sint imperio, denunciare ut auxilia peditatus, equitatusque mittant. His cognitis rebus, rem frumentariam prouidet, castris idoneum locum deligit, Vbijs imperat, ut pecora deducant, suaque omnia ex agris in oppida conferant; sperans barbaros, atque imperitos homines inopia ci-*

*cibariorum adductos, ad iniquam pugnandi conditionem posse deduci.* Et iuxta hanc lectionem, non esset absurdum dicere, quod error deducit mentes ad compita ramosa, idest in opiniones implexas, ex quibus nequeant se explicare, determinando quam sequi debeant, ducentem ad honestatem, in qua est felicitas. Sed quia communis lectio habet, *Diducit*, hāc sequēdo, dicimus, diducere esse ducere ad loca diuersa, etiam contraria, seu distrahere, vt alludat ad litteram Pythagoræ, de qua ad satyram 3. versu 113.

*Et tibi, quæ Samios diducit littera ramos.*

Et Virg. 1. Georg. versu 113.

*Paludis*
*Collectum humorem bibula diducit arena.*

Sic Seneca Medea Actu 5. sc. vnica:

*Quid anime titubas? ora quid lacrymę rigant?*
*Variamque nunc huc ira, nunc illuc amor*
*Diducit? anceps ęstus incertam rapit*
*Vt sæua rapidi bella, quum uenti gerunt*
*Vtrinque fluctus maria discordes agunt,*
*Dubiumque pelagus feruet: haud aliter meum*
*Cor fluctuatur: ira pietatem fugat,*
*Iramque pietas. Cede pietati dolor.*

Sic Columella lib. 6. cap 2. *Post hęc diductis malis, educito linguam, totumq; eorum palatum sale defricato, libralesque offas in prę sulsę adipis liquamine tinctas, lingula demittito.* Et ita error nescius vitę, nempe stultitia, & ignorantia, diducit, seu distrahit mentes trepidas, venientes ad compita ramosa, nam tunc nesciunt, quo se vertant, vt infra versu 154.

*Duplici in diuersum scinditur hamo.*

TRE-

*TREPIDAS*, ideſt formidoloſas. Trepidare proprium eſt eorum, qui pedibus ſtare nequeunt, eſt enim quaſi tripudiare, ſeu pedibus terram pauire, vnde nonniſi impropriè mentes dictæ trepidæ; quum iſtæ terram non pauiant, ſed ſumitur pro metuere, vt etiam ſatyra 1. verſu 74.

*Dũ trepida ante boues Dictatorẽ induit uxor.* Sic Liuius lib. 1. cap. 27. *Tullus aduerſus Veientem hoſtem, dirigit ſuos, Albanos contra legionem Fidenatium collocat. Albano non plus animi erat, quam fidei: nec manere ergo, nec tranſire apertè auſus, ſenſim ad montes ſecedit: inde ubi ſatis ſubiſſe ſeſe ratus eſt, erigit totam aciem, fluctuanſque animo, ut tereret tempus, ordines explicat: conſilium erat, qua fortuna rem daret, ea inclinare uires. Miraculo primo eſſe Romanis, qui proximi ſteterant, ut nuda à ſuis latera, ſociorum digreſſu ſenſerunt: inde eques citato equo nunciat Regi, abire Albanos: Tullus in re trepida duodecim uouet ſalios, fanaq; Palloris, ac Pauori, equitem clara increpat uoce, ut hoſtes exaudirent, redire in prælium iubet, nihil trepidatione opus eſſe, ſuo iuſſu circumduci Albanum exercitum, ut Fidenatium nuda terga, inuadat.* Mentes autem tunc dicuntur trepidæ, trementes, & meticuloſę, quum neſciunt de operando deliberare, Vbi ſcito mentem propriè eſſe ſpiritualem, & ſuperiorem animæ portionem: hic tamen mentis nomine veniunt affectus, & paſſiones partis ſenſitiuę, de quibus dicitur Rom. 7. *Quum eſſemus in carne, paſſiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris, ut fructificarent morti.*

*morti.* Et istæ obluctantur aduersus partem spiritualem, vt ibidem dicitur: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Igitur ego ipse, mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati.* Igitur, vt Esau luctabatur contra Iacob, sic pars sensitiua, & brutalis contra spiritualem, nam illa vitam vult mollem, & voluptuosam, spiritualis vero asperam, & honestã.

*RAMOSA in compita.* De compitis dictum satyra 4 versu 28.

*iugum pertusa ad compita figit,*

esse capita viarum, quibus ad diuersa tenditur loca, & ita nunc etiam sumuntur. Quæ denominantur ramosa, nam quelibet via, est quasi compitorum ramus, vt alludatur ad litteram Pythagoræ, de qua satyra 3 versu 56.

*Samios diduxit littera ramos:*

est enim ypsilon, qua ille docebat, cuilibet ad rationis vsum venienti, duas proponi vias, quarum sinistra, initio plana, lata, & facilis, ad infelicitatis ducebat barathrum: dextera, arcta, ardua, & salebrosa à principio, ad beatitudinem terminabatur, nam hæc virtutis, sapiẽtię, & honestatis, illa voluptatis, stultitiæ, & vitij erat. De quibus etiam vijs dictum Matthæi 7. *Intrate per angustam portam, quia lata porta, & spaciosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam; quam angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam?* Igitur, quum primum homo venit ad vsum rationis,

ei proponantur istæ duæ viæ, seu modi viuendi, vel secūdum virtutem, & honestatem, mortificando brutales sensua itatis appetitus: vel secundum vitia, & sensum, huic concedendo sibi voluptuosa. Ante namque rationis vsum, non erat homo capax de seipso deliberandi, & ita nulla illius operatio erat humana, idest moralis, nempe meritoria, aut demeritoria, nec imputabilis ad pœnam, vel præmium. Afferit ergo se in tali ętate, & primo rationis diluculo, addixisse disciplinæ, & magisterio Cornuti: vnde omnia verba, ab illis, *Quum primum pauidus custos*, vsque ad *Me tibi supposui*, sunt periphralis ætatis antecedentis rationis vsum. Sed nota, vsum rationis, quando moraliter, seu laudabiliter, & meritorie, aut vituperabiliter, & demeritorie, incipit quis operari, cōmuniter venire circa septimum ætatis annum, licet in quibusdam rudioribus procrastinet, in alijs anteuertat ob perspicuitatem ingenij, sed hoc est in paucioribus, illud passim. Quum autem Persius descripserit ætatem, qua se Cornuto addixit, fuisse eam, qua virilem susceperat togam, quæ non sumebatur ante sextumdecimum cōplerum ętatis annum, non videtur se illi tradidisse in rationis diluculo: Sed videtur id dixisse, quia vt Stoicus, opinabatur nullum habere liberum rationis vsum, quo de se posset deliberare, nisi philosophiæ præceptis initiatus saltem fuerit, nam Stoici omnes, præter sapientes, habent vt bruta iumenta: ætas autem apta sapientiæ, liberalique institutioni, erat qua ipse Cornutum adijt, ideo dicit venisse in rationis diluculo.

*ME tibi suppoſui*. Supponere aliquando eſt ſubtus ponere, quomodo oua fouenda gallinis ſupponuntur. Sic Cicero 2. de Natura Deorũ: *Anatum oua gallinis ſæpe ſupponimus, ex quibus pulli orti, primum aluntur ab ijs ut à matribus, à quibus excluſi, fotique ſunt: deinde eas relinquunt, & effugiunt, ſequentes quam primum aquam, quaſi naturalem domum videre potuerũt. Tantam ingenuit animantibus, conſeruandi ſui, natura cuſtodiam.* Boum etiam colla iugo ſupponuntur. Sic Ouid. 3. Amor. eleg. 10.

*Prima iugis tauros ſupponere colla coegit,*
*Et veterem curuo dente reuellit humum.*

Supponitur etiam aliquid alterius iudicio examinandum. Sic Ouid. epiſt. 16.

*Præpoſui Regnis ego te, quæ maxima quondam*
*Pollicita eſt nobis nupta, ſororque Iouis,*
*Dumque tuo poſſem circundare brachia collo*
*Contempta eſt virtus, Pallade dante, mihi.*
*Quũ Venus & Iuno, Pallaſq in vallibus Idæ,*
*Corpora iudicio ſuppoſuere meo.*

Et quocumque ex his modis, potuit Perſius Cornuto ſe ſupponere, vel vt foueretur ſinu Socratico, ideſt præceptis moralis philoſophiæ: vel vt contereretur, & purgaretur ab ignorantia, & ſtultitia, paſſionibuſque; vel vt examinaretur, & de eo caperet experimentum, num quid in ſapientia profeciſſet; ſed prior modus videtur intentus.

*TENEROS tu ſuſcipis annos*. Tenerum eſt molle, ſiue tractabile. Sic Cicero in Lælio: *Neque ſunt iſti audiendi, qui virtutem duram, & quaſi ferream eſſe volunt: quæ quidem eſt, tum multis in rebus, tum in amicitia tenera, atque*

*tra-*

*tractabilis.* Et quia omne recenter natum, in naturalibus, & artefactis, infirmum est, & facilè mutabile, vt retractabile, ac mobile, ita tenerum dici potest. Sic Virg. Eclog. 1. v. 20.

*Vrbem quam dicunt Romam, Meliboee, putaui*
*stultus ego, huic nostræ similem, quo sæpe solemus*
*Pastores ouium, teneros depellere fœtus.*

Sic Ouid. 4 Trist. eleg. 10.

*Cæpimus & teneræ primos ætatis honores.*

Et idem epist. 4.

*Ars fit, vbi à teneris crimen cōdiscitur annis.*

Sic Cicero in Lælio. *Existit hoc loco quædam quæstio subdifficilis: num quando amici noui digni amicitia, veteribus sint anteponendi, vt equis vetulis teneros anteponere solemus?* Et Liuius lib. 39. cap. 8. *Græcus ignobilis in Etruriam primum venit, nulla cum arte, earum, quas multas ad animorum, corporumq; cultum, nobis eruditissima omnium gens, inuexit: sacrificulus, & vates: nec is qui aperta religione propalam, & quæstum, & disciplinam profitendo animos horrore imbueret, sed occultorum antistes sacrorum. Initia erant, quæ primo paucis tradita sunt, deinde vulgari cœpta per viros, mulieresque: additæ voluptates religioni, vini, & epularum, quo plurium animi illicerentur. Quum vinum animos, et nox, et mixti feminis mares, ætatis teneræ, maioribus, discrimen omne pudoris extinxisset, corruptelę primum omnis generis fieri cępere, quum ad id quisque, quo natura pronioris libidinis esset, paratam voluptatem haberet.* Transfertur, & ad animum, hinc Antonius, inter epistolas Ciceronis ad Atticum lib. 14. epist. 13. *Patre*

*obsecro te, pro Rep. uideri gessisse simultatem cum patre eius; non contempseris hanc familiam, honestius enim, & libentius deponimus inimicitias Reip. nomine susceptas, quam contumaciæ. Me deinde sine ad hāc opinionē iā nūc dirigere puerum, & tenero animo eius persuadere, non esse tradendas posteris inimicitias.* Cui Cicero ibi respondet epistola 14. *De puero Clodio tuas partes esse arbitror, ut eius animum tenerum, quemadmodum scribis his opinionibus imbuas, vt ne inimicitias residere in familijs nostris arbitretur.* Verum anni teneri appellati sunt hic per metonymiam adiuncti pro subiecto, vt tantumdem sit, Tu suscipis annos teneros, ac, Suscipis me existentem in annis teneris, seu in ea ætate, qua paucos vitæ annos peregi.

*SOCRATICO sinu.* Nocte præcedenti, qua Plato ad Socratem audiendum primum venit, is in somnis vidit, olorem se sinu souere, qui deinde auolans, vniuersum suauissima oblectaret melodia. Et quum, orta luce, Plato ad se accessisset, ex illius aspectu, indoleque intellexit, hunc esse cycnum in somnis sibi monstratum, ipsumque complexus, diligentissimè fouit, Et ad hunc fortè alludit sinum Socraticum. Sed melius intelligo sinum Socraticum esse philosophiam moralem, cuius Socrates fuit autor, teste Cicerone dicente 5. Tusculan. *Socrates primus philosophiam deuocauit è Cælo, & in vrbibus collocauit, & in domos etiam introduxit, & coegit de vita, & moribus, rebusque bonis, & malis quærere.* Priores namque naturæ tantum studebant, & hanc partem Socrates ipse acceperat ab Anaxagora, Da-

mon. e,

mone, & Archelao, sed aduertens nullam inde nasci vtilitatem, illud effatus: Quæ supra nos, nihil ad nos, ad morum se contulit, nedum speculationem, sed emendationẽ, in quo philosophandi genere plures, egregiosq; habuit discipulos, vt posteriores omnes, ab ipso Socratici dici voluerint, licet inter se in varias sectas fuerint diuisi, vt Academici, Stoici, Cyrenaici, Cynici, Epicuræi, & alij, vt Boetius de Consol. lib. 1. prosa 3. ait: *Nonne apud veteres quoque ante nostri Platonis ætatem, magnum sæpe certamen cũ stultitiæ temeritate certauimus? eodemque superstite preceptor eius Socrates, iniustæ victoriam mortis, me adstante promeruit? cuius hæreditatem, quum deinceps Epicureum vulgus, ac Stoicum, cæterique, pro sua quisque parte raptum ire molirentur, meque reclamantem, renitentemque velut in partem prædæ traherent, vestem quam meis texueram manibus disciderũt, abreptisque ab ea panniculis, totam me sibi cessisse credentes, abiere.* Ipse autem Socrates accusatus, damnatusque, recusata defensione, cicuta etiam fortiter epota, de animæ disputauit immortalitate, eam asserendo, vt refert Tertullianus his verbis libro de Anima cap. 1. *Etiam in carcere Socratis de animæ statu velitatum est, nescio iam hoc primum, an opportuno in tempore magistri, etsi nihil de loco interest. Quid enim liquido saperet anima tunc Socratis iam sacro nauigio regresso, iam cicutis damnationis exhaustis, iam morte præsenti, vtique consternata ad aliquem motum secundum naturam, aut externum, si non secundum naturam. Quamuis enim placida, atque tranquilla, quam nec con-*

*coniugis fletus statim uiduę, nec liberorum conspectus exinde pupillorum, lege pietatis inflexerat, uel in hoc tamen mota ne moueretur, ipsa constantia concussa est aduersus incõstantię concussionem Quid autem aliud saperet uir quilibet iniuria damnatus, præter iniuriæ solamen, nedũ philosophus gloriæ animal, cui nec consolanda est iniuria, sed potius insultanda. Denique post sententiam obuiæ coniugi, et mulicbriter inclamanti, Iniustè damnatus es Socrates, iam & de gratulatione responderat: Volebas autem iustè? Nihil mirandum si & in carcere lemniscatas Anyti, & Meliti palmas gestiens infringere, ipsa morte coram, immortalitatem uindicat animę, necessaria præsumptione, ad iniurię frustrationem. Adeo omnis illa tunc sapientia Socratis de industria uenerat consultę æquaminitatis, non de fiducia compertæ ueritatis. Cui enim ueritas comperta sine Deo? cui Deus cognitus sine Christo? cui Christus exploratus sine Spiritu sancto? cui Spiritus sanctus accomodatus sine fidei Sacramento? Sanè Socrates facilius diuerso spiritu agebatur. siquidem aiunt dæmonium illi à puero adhæsisse, pessimum reuera pædagogum.* Inter cæteras autem sectas à Socrate descendentes, Stoica fuit, cuius primus autor Zeno extitit, discipulus Cratetis Thebani, qui Diogenem audiuit, vt hic Antisthenem, qui fuit immediatus Socratis auditor, & Platonis condiscipulus. Cornutus autem Persij institutor hanc Zenonis, seu Stoicam philosophiam Romæ profitebatur, & ita discipulos, Persiumque fouebat sinu Socratico, idest philosophia morali, à Socrate per manus accepta.

SOLLERS est industrius, dexter, ingeniosus, & ad negocia pertractanda idoneus, vel acutus, dictus Sollers iuxta Donatum, quia solus, vel totus ex arte, sic enim ait in scenam 2. Actus 3. Eunuchi Terentiani: Solers quasi totus ex arte consistens, vt sit quasi ὅλος ἀρετῇ quasi solus in arte, nam ὅλος est solus, vt ἕξ sex, & ὗς sus. Nisi malis solertem esse à verbo Osco Sollo, quod est totum, & in idem redit cum origine Græca. Sic Virg. 4 Georg. v. 325.

*Quid me Cælum sperare iubebas?*
*En etiam hunc ipsum uitæ mortalis honorem,*
*Quem mihi uix frugum, & pecudum custodia sollers*
*Omnia tentanti extuderat, te matre, relinquo.*

Sic Cicero 2. de Nat. Deorum: *An ne hoc quidem intelligimus, omnia supera esse meliora? terram autem esse infimā, quam crassissimus circumfundat aer, ut ob eam ipsam causam, quod etiam quibusdam regionibus, atque urbibus contingere uidemus, hebetiora ut sint hominum ingenia, propter cœli pleniorem naturam, hoc idem generi humano euenerit, quod in terra, hoc est in crassissima regione mundi collocati sint, & tamen ex ipsa hominum solertia esse aliquam mentem, & eam quidem acriorem, & diuinam existimare debemus.* Et infra eodem lib. 2. *Enumerare possum ad eum pastum capessendum, conficiendumq; quæ sit in figuris animantium, & quam sollers, subtilisque descriptio partium, quam admirabilis fabrica membrorum.* Et idem in Catone: *Nec uero segetibus solum, & pratis, & uineis, & arbustis, res rusticæ lætæ sunt, sed hortis quoque atque pomariis, tum pecudum pastu, apum exa-*

*minibus, florum omnium uarietate. Nec consitiones modo delectant, sed etiam insitiones, quibus nihil inuenit agricultura sollertius.* Et idem Cicero pro Q. Roscio Comœdo: *Iam quo quisque est sollertior, & ingeniosior, hoc docet iracundius, & laboriosius: quod enim ipse celeriter arripuit, id quum tardè p rcipi uidet, discruciatur.* Sic Colum. lib. 8. cap. 13. *Anser præcipuè rusticis gratus est, quod nec maximam curam poscit, & sollertiorem custodiam præbet, quam canis.* Hoc igitur modo sollers fallere nunc intelligitur prudens, cautus, acutus, & ingeniosus.

*FALLERE* est decipere, & iuxta Varronem l. 5. LL. eam designat imposturam, quæ verbis fit. A fando inquit, fallo, falsum, & fallacia, ideo quod fando quem decipit, ac facit contra quam dixit. Itaque si quis re fallat, in hoc non proprio nomine fallacia, sed translatione, vt à pede nostro, pes lecti, & pes betæ. Siue autem propriè, siue metaphoricè frequentes sunt deceptiones, & fallaciæ factę rebus, etiam absq; verbis. Et ita regula à Cornuto apposita, dicta sollers fallere, hoc est callés decipiédi arté. Quod tamen est intelligendum tam de dolo, & fallacia mala, quã de bona, honesta, & innocente, qualis vsurpatur à medicis, vel parentibus, dum infirmis delicatioribus, amara exhibere volunt medicamenta, vt ait Lucretius lib. 4. versu 11.

*Nam veluti pueris absynthia tetra medentes,*
*Quum dare conãtur, prius oras pocula circum*
*Contingunt mellis dulci, flauoque liquore,*
*Vt puerorum ætas improuida ludificetur*

*La-*

*Labrorum tenus, interea perpotet amarum*
*Absynthi laticem, deceptaque non capiatur,*
*Sed potius tali facto recreata valescat.*

Et ita Cornuti regula, deest illius philosophici canones, tales erant, vt nullam præ se ferrēt difficultatis amaritudinem, nam quasi aliud agendo, vitia ex animis abradebant, inserebantque eorum loco virtutes, quæ erat maxima huius magistri commendatio, alioquin præstat non docere, quod discipulus audire renuit, vel non percipit, vel intellecta opere implere contemnit: quibus dicitur Matth. 7. *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcēt eas pedibus suis.* Et Ecclesiastici 32. *Vbi auditor non est, ne effundas sermonem.* Licet enim nonnumquam ex magistrorum defectu proueniat, quod discipuli non proficiant in theoricis, & speculatiuis, & multo magis in moralibus, & practicis: frequētius tamen ex eorumdem discipulorum id venit negligentia. Magna vero laus illius magistri, qui auditores taliter dirigere nouit, vt prius illi se inueniant eruditos, vel emendatos, quam se doceri percipiant, quomodo B. Petrus Apostolus, B. Agatham prius sanitati restituit, quam illa se medeci cognosceret.

*INTORTOS mores* intelligere possumus tam obliquos, à rationis norma deflectentes, quam rectos, & ad honestatis formam compositos. Torquere enim, vnde tortus, est flectere: præpositio vero In, quandoque minuit, vel aufert significatum vocis cui additur, locoque eius ponit contrarium, vt inauspicatum est, in quo

auspicia seruata non fuere: & silua incædua est, quæ cędi non potest: & incautus, vel incallidus est simplex, minimè cauens. Quandoque vero illud auget, & intendit, vt inclamare est intensiori voce clamare; incolumitas est perfecta columitas, idest sanitas. Hinc mores intorti erunt, vel minimè flexi, & à rectitudine nullatenus declinantes: vel valde torti, & omninò extra rectitudinem positi, & quidem obliquitate ab intrinseco inhęrente; hæc enim est vis huius præpositionis, intrinsecam designare inhærentiam. Amphibolia ergo est in hac voce, qua sciēs, & volens vsus est Persius: regula enim Cornuti apposita, vtrumque ostēdit, tortuositatē, vt corrigatur; & rectitudinem vt in ea proficiatur. Et quia vt diximus Instit. Orat. lib. I. Tract. 7. Mores sunt vel vehementes, & concitati, vt amor, ira, & similes, qui propriè sunt morbi, animique perturbationes, & dicuntur πάθοι: vel mites, & lenes generis nomen retinentes, ἤθοι dicti: de vtrisque nunc loquitur, nam regula, moralis nempe sciētia, vtrorumque rectitudinem, aut curuitatem ostendit.

*OSTENDIT* passim legitur: sed Casaubonus, quem sequuntur Farnabius, & Stellutus, legit Extendit, & interpretatur extendere esse corrigere, seu dirigere, translatione ducta à funiculis perpendicularibus, qui, quo sunt magis intensi, siue extensi eo sunt magis recti. Hinc Plinius, corrigebat dixit, pro extēdebat, sic enim ait lib. 7. cap. 20. *Crotoniatam Milonem athletam, quum constitisset, nemo uestigio educebat, malum tenenti, nemo digitum corrigebat.* Et

ita

ita sensus erit: Tua, o Cornute, regula, extendit, ideſt correxit meos prauos mores, quod certè eſt perdifficile, nam vt Pisonibus scribit Horatius: *In vitium ducit culpę fuga, si caret arte.* Interpretationem iſtam fateor eſſe ingeniosam, & laudandam, tollendam tamen cum lectione, quæ anſam illi præbuit: tum quia ostendit eſt lectio vulgatior, tum quia legendo oſtendit, significatur regula vtilis tam corrigendis prauis, quã firmandis bonis moribus, vt ſit ſenſus: Tua regula, ideſt tui philoſophici canones, manifeſtos mihi fecerũt mores intortos, hoc eſt rectos vt in eis firmarer: & intortos, ideſt malos, vt eos emendarem, nullus enim corrigere ſatagit, quod ignorat eſſe prauum, ideoq; oportuit adhibere tuam philoſophiam, ad quam componerentur, & dignoſcerentur mores.

*ET premitur ratione animus, uinciq; laborat.* Premere propriè eſt aliquid cum pondere calcare, ſeu cum pondere alicui rei inniti: animus autem corporei põderis ſentiendi eſt incapax; ideo propriè premi non poteſt: hinc metaphoricè dictus premi ratione, quia per rationem cohibetur à ſequela voluptatis, & vrgetur ad honeſtatem: premitur etiam ne queat volare ad inania. Qui enim premitur, non poteſt facilè ſeſe mouere contra id, quod premit, & ita animus preſſus ratione, nequit alia velle, quã quę ratio propoſuit. Verum quia animus, ſiue voluntas hominis, pro ſtatu præſentis vitæ, eſt libera, nullatenus poteſt per rationem cogi ad amplectendum particulare aliquod bonum, quantumcumque excellens, etiam cogni-

tum,& propositum vt tale (priuilegium enim istud reseruatum est soli Deo clarè viso, qui eam necessitare potest quoad specificationem, & exercitium: & beatitud.ni in communi,quę tamen non necessitat ad exercitium prosecutionis, sed tantum ad specificationem, itaut esto non possit velle eius oppositum, potest tamen non elicerē actum prosecutionis circa illam.) Quod ergo hic dicitur animus premi ratione, non significatur cogi, seu necessitari ad specificationem,& multo minus ad exercitium prosecutionis, sed tantum vehementer inclinari: Animi autem nomine hic intelligitur sensualitas, seu voluntas carnis. Et his verbis exprimitur pugna partis inferioris aduersus superiorem,quam experitur quicumq; incipiens viuere secundum virtutem, saltem quousque domitas deuictasque habeat passiones,& virtutes possideat, quæ dicuntur purgati animi. Sed nec sic potest quispiam in hoc mortali existens corpore,esse omnino securus, quum, etiam si nō sit amplius pugnandum aduersus carnem, & sanguinem, siue sensualitatem,& passiones iam deuictas, superest nihilominus implacabile bellum, vt ait Apostolus Ephesiorum 6. *aduersus Principes, & Potestates,aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitię.* Quæ certè impugnatio, tanto renouatur acrius, quanto quis amplius in virtute profecerit:hostis enim nullatenus puro homini cedere volet,qui homini Deo assultare non dubitauit. Sed quem mihi dabis, qui se omnino ab illa sensualitatis expediuerit pugna, quum habere purgati animi vir-

virtutes, iuxta D.Th.1.2.q.61.a.1 sit tantum *beatorum, vel aliquorum in hac vita perfectissimorum*, maxime quum Apostolus experiretur in seipso hanc pugnam, vnde dicebat Rom.7. *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Pars ergo sensitiua voluptates, & delectabilia sequens, quæ 1. Corinth.2. dicitur animalis homo, non percipiens quæ sunt spiritus Dei, ambulare detrectat viam virtutis, honestatis, strenuitatis illis carentem: ideoq; dum pars superior rationis ductũ vult sequi, & cogere sensualitatem ad honesta, vel ad fugam malorum, illa adhuc pressa ratione, vinci laborans, repugnat, & reluctatur. Laborat autem nedum, qui nititur aliquid facere, sed & qui patitur, vel sustinet, vnde Terent. Andriæ Actu 1. scena 5.

*Laborat è dolore, atq; ex hoc misera, sollicita est die.*

Itaque animus laborans vinci, est sensualitas reluctans rationi, & pugnans ne superetur in eo bello, de quo Apostolus Galat.5. *Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem, hæc enim sibi inuicem aduersantur.* Et in ea pugna maximus est labor, vt cognouit etiam Plaut. Trinummo Actu 2. sc 1.

*Tuas res tibi habe amor; mihi amicus ne fuas vmquam. Sunt tamen*
*Quos miseros, maleq; habeas, quos tibi obnoxios fecisti,*

Cer-

*Certum'ſt ad frugem applicare animum: quā-quam ibi animo*
*Labos grandis capitur.*

I remitur ergo coercetur, & reſtringitur animus ratione, iuxta philoſophię canones, & ſic ſenſualitas menti reluctans, laborat, ægreque ſuſtinet vinci, ſeque priuare voluptatibus conſuetis.

*ARTIFICEMQ; tuo ducit ſub pollice vultū.* Interuenit hic metaphora, ducta à plaſtris, imagines è cera, vel argilla formantibus, nam hi, digito pollice lutum, vel ceram ducentes, intentam formam in materiam inducunt. Sic Iuuenal. ſat. 7. verſu 229.

*Vos ſæuas imponite leges,*
*Vt præceptori verborum regula conſtet,*
*Vt legat hiſtorias, autores nouerit omnes*
*Tamquā vngues, digitoſq; ſuos, vt fortè rogatus*
*Dū petit, aut thermas, aut Phœbi balnea, dicat*
*Nutricem Anchiſæ, nomen, patriamq; nouercę*
*Archemori, dicat quot Aceſtes vixerit annos:*
*Quot Siculus Phrygibus vini donauerit vrnas.*
*Exigite, vt mores teneros, ceu pollice ducat,*
*Vt ſi quis cera vultum facit. Exigite ut ſit,*
*Et pater ipſius cœtus, ne turpia ludant,*
*Ne faciant vicibus. Non eſt leue tot puerorum*
*Obſeruare manus, oculoſq; in fine trementes.*

Sic Statius lib. 1. Achilleidos verſu 321.

*Inceſſum, motumque docet, fandiq; pudorem,*
*Qualiter artificis victuræ pollice ceræ*
*Accipiunt formas, ignemq; manumq; ſequūtur*
*Talis erat Deæ natum monentis imago.*

Ab huiuſmodi artificio ducitur metaphora ad animam pręceptis moralibus informādam, Diſ-

Difficultatem tamen parit, quod dixerit ducit vultum artificem sub tuo pollice, quum tamen vultus, idest imago, & effigies, quæ pollice in materiam, seu ceram inducitur, artefactum sit, artifex vero est vir, cuius est pollex imaginem inducens. Difficultatem istam neque Bond, neque Stellutus attigerunt: Casaubonus autem asserit vnum tantum illius meminisse Britannicum, quem non vidi, eumque docuisse ita dictum per antiptosin, & casus ablatiui commutationem in accusatiuum: hanc eandem interpretationem adhibent huic loco Ioannes Brixiensis, & Io: Baptista Plautius Casaubono non visi; & ita auferendo talem figuratam commutationem, sensus erit planus, Ducit vultum sub tuo pollice artifice. Sed ipse interpretationem istam refellere conatur, asserendo antiptosin locum non habere quando, ea admissa, sensus peruertitur. Ipse difficultatem soluit primo recurrendo ad enallagen casus ablatiui pro accusatiuo, vt etiam facit Farnabius. Sed Casaubonus nec in ista interpretatione quiescit, tandemque textum nititur emendare, asserendo Persium scripsisse. Artificisque tuo ducit sub pollice vultum, adeoque sibi placet hac inuentione, vt dicere non puduerit, ignoratione huius Latinitatis textum corrupisse. Magna certè confidentia, vel temeritas, contra codicum omnium fidem attentare textus mutationem, & ignorantiæ sermonis, vel phrasis Latinæ arguere scriptores, & interpretes huius poetę quotquot fuere per quindecim ferè annorum centurias, Artificem hoc loco constanter legentes. Nec mi-

minus contra codicum fidem asserit, posse in casu dandi legi Artifici. Sed hoc non est commentatorem, & expositorem, sed emendatorẽ, vel potius textus corruptorem agere, quod tamen non est nouum in perfrictæ frontis Caluinista. Brixiensis, & Plautius, Fontiusque interpretantur: artificem esse dictum pro artificioso: vel potius interuenisse hic enallagen, seu casuum commutationem, quam puto hic adhibitam, ad exprimendum opus adamussim, magna cura, diligentiaque elaboratum, vt omnino correspondeat archetypo, seu idolo residenti in mente artificis, quomodo nodum artificem dixit Macrobius Saturnalium lib. 3. cap. 13. *Fortè adnotam seculi sui non sufficit Hortensius, uir alicqui ex professo mollis, & in præcinctu ponens omnem decorem: fuit enim vestitu ad munditiem curioso, & vt benè amictus iret, faciem in speculo quærebat, vbi se intuens, togam corpori sic applicabat, vt rugas non fortè, sed industria locatas, artifex nodus adstringeret, & sinus ex composito defluẽs modum lateris ambiret.* Artifex ergo vultus, vel nodus est, qui mentis conceptui adamussim respondet. Et hæc interpretatio est conformis textui, & intento proportionata, ideo sequenda.

*TECVM etenim longos memini consumere soles, Et tecum primas epulis decerpere noctes, vnũ opus, & requiẽ pariter disponimus ambo, atque verecunda laxamus seria mensa.* Ordo est: Enim memini consumere tecum longos soles, & decerpere tecum primas noctes epulis: ambo pariter vnum disponimus opus, & requiem, atq; verecunda mensa laxamus seria. Describit

cau-

causam feruentis amoris, qui erat ipsius ad Cornutum, esse mutuam familiaritatem, quæ quamuis contemptum pariat inter eos, qui superficietenus tantum incumbunt virtuti, nec naturam audiunt præcipientem: *Quod tibi non vis alteri ne facias*, quin potius quilibet, ex philautia, proprijs studens commodis, suamque impleturam volens voluntatem, penitus nihil habet, quid socio iubeat, nec tantisper illius cōdescendit defectibus, contra illud Galatas 6. *Alter alterius onera portate.* Inter eos tamen qui sibi inuicem in infirmitatibus, defectibusque compatiuntur, & quorum fortior, non spernit, sed subleuare nititur imbecilliorem, iuxta illud Galat. 6. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum ne & tu tenteris,)* Quod est necessarium eorum qui naturæ leges obseruant, virtutemque colunt, longa conuersatio vehementes excitat dilectionis flammas. Et quum tam Persius, quam Cornutus secundum naturæ leges, & honestatem viuere instituissent, immo, vt Stoici, corpori proprio curando parum indulgerent, erga proximum vero vrbanè se haberent, inter eos ex familiaritate amicitia coalescere potuit, quia longos simul consumpserant soles. Sol dictus iuxta Ciceronem 2. de natura Deorum: *Apollinis nomen est Græcum, quem Solem esse volunt; Dianam autem, & Lunam eamdem esse putant, quum Sol dictus sit, vel quia solus ex omnibus sideribus est tantus, vel quia quum est exortus, obscuratis omnibus, solus apparet.* Et Seruius ad Virgilij Eclog. 5.
vet-

versum 65. Constat secundum Porphyrij librum, quem Solem appellauit, triplicem esse Apollinis potestatem, & eumdem esse Solem apud superos, Liberum patrem in terris, Apollinem apud inferos, vnde etiam tria insignia circa eius simulachrum videmus: lyram, quæ nobis Cœlestis harmoniæ imaginem mōstrat, gryphemque, quæ terrenum numen ostendit, & sagittas quibus infernus Deus, & noxius indicatur, vnde Apollo dictus est ἀπὸ τοῦ ἀπολεῖν, quod est perdere. Hinc etiam & Homerus Apollinem tam pestilentiæ dicit, quam salutis autorem, & Horatius ait carmine seculari:

*Condito, mitis, placidusq; telo*
*Supplices audi pueros Apollo.*

Solis ergo nomine, quando singulari effertur numero ipse Planetarū significatur princeps, & fons lucis: sed quando in numero multitudinis, vt hic, Consumere longos soles, non ipse planeta, sed illius effectus, hoc est dies, ex eius præsentia super terram causati, denotantur, vt apud Virg. 3 Æn. versu 203.

*Tres adeo incertos cæca caligine soles*
*Erramus pelago, totidem sine sidere noctes.*

Quod vero dixit soles, seu dies longos, quidā interpretantur de diebus æstiuis, & solstitialibus, qui, physicè sunt cæteris longiores; sed puto intelligendos dicti longos, esse continuatos, nec vnquam interpolatos, longum enim dicitur continuum, vt multum, discretum. Sic Virg. 3. Æn. versu 486.

*Accipe & hæc manuum tibi, quę monumenta*
*mearum,*

Sint

*Sint, puer, et longum, Andromaches testentur amorem ,*

continuatum scilicet, nec vnquam interruptũ. Eadem phrasi dixit idem Virg. Eclog. 9. v. 51.

*Omnia fert ætas, animum quoq. sæpe ego lõges*
*Cantando puerum, memini me condere soles .*

Et ita Persius conniuendo multis diebus, & annis Cornuto, absque interpolatione, arctissimam cum eo familiaritatem habebat.

*DECERPERE* , quum sit verbum compositum ex præpositione De, & verbo Carpo, significat Demere, Auferre, & Detrahere partem. Sic dicimus decerpere fructus ex arboribus: & differt à colligere, colliguntur enim etiam decisi, sed non decerpuntur, nisi adhuc adhærentes. Sic Plin. lib. 4. cap. 12. *Quidam eos* (Hyperboreos) *in prima parte Asiæ littorum posuere, non in Europa, qui sunt ibi similitudine, & situ, Atacorum nomine: alij medios fecere eos inter utrumque solem, An[illegible] d[illegible]n occasum exorientemque nostrum, quod fieri nullo modo potest, tam uasto mari interueniente. Qui non alibi, quam in semestri luce constituere eos, serere matutinis, meridie metere, occidente sole fœtus arborum decerpere, noctibus in specus condi tradiderunt.* Et Columella lib. 5. cap. 9. *Danda est opera , ut dum teneros ramulos habent , ueluti pampinentur, & ad unum stylum primo anno semina redigantur, & quum autumnus incesserit, antequam frigus cacumina adurat , omnia folia decerpere expedit, & ita crassis arundinibus, quæ ab una parte nodos integros habeant , ueluti pelleis induere, atque sic à frigore, & gelicidijs, teneras adhuc uirgas tueri.* Sic Cicero pro Mar-

cello

cello: *Bellicas laudes solent quidam extenuare uerbis, easque detrahere Ducibus, communicare cum militibus, ne propriæ sint Imperatorum. Et certè in armis, militum uirtus, locorum opportunitas, auxilia sociorum, classes, commeatus, multum iuuant, maximam uero partem, quasi suo iure, fortuna bibi uendicat, & quidquid est prosperè gestum, id pene omne ducit suum. At uero huius gloriæ C. Cæsar, quam es paulo ante adeptus, socium habes neminem, totum hoc quantumcumque est, quod certè maximum est, totum est inquā tuum: nihil sibi ex ista laude Centurio, nihil præfectus, nihil cohors, nihil turma decerpit.* Sic Horat. lib. 1. serm. sat. 2.

*Desine Matronas sectarier, unde laboris*
*Plus haurire mali est, quam ex re decerpere fructus.*

Quid autem sit decerpere primas noctes epulis, putant Bond, & Casaubonus, esse assumere epulas, siue cęnare in prima noctis parte. Commessatores enim helluones, siue ebriosi nepotes, & alij huius farinæ, cœnas per totas trahebant noctes: at vero sobrij, sua celebrabant conuiuia ab hora diei decima, ad vsque primam, vel alteram noctis. Vnde quum hic significare vellet suas cū Cornuto cœnationes fuisse sobrias, ait, decerpsisse primas noctes, idest primam, vel alteram noctis horam epulis; vbi apparet interuenisse enallagen, seu casuum commutationem, quum sit dictum decerpere primas noctes epulis, pro decerpere epulas primis noctibus, seu primis partibus, & horis noctis. Commoda sanè interpretatio, sed aliam fortè meliorem dabo. Videtur enim

Per-

Persium, atque Cornutum inter epulas, & cœnandum, philosophicos, vel quos libet eruditos habere sermones, vt cœnæ ipsæ non minus instruendis animis, quam curandis deseruirent corporibus. Et quum decerpere sit detrahere, seu partem demere, isti decerpebāt primas noctes, idest primas noctis horas epulis, quibus etiam sobrij eas deputatas habebant, vt illas darent eruditis sermonibus. Et ita propriè absq; figura dictum est decerpere primas noctes epulis.

*VERECVNDA mensa.* Verecundum à vereor, hoc à ve, & reor, nam quæ veremur, sæpius cogitatione versamus: indeque verecundia, & verecundus, sicut à ioco iucundus. Differt verecundia à timore, & pudore, nam timor, proprius est seruorum, iuxta illud Plauti prologo Amphitruonis.

*intellexeras*
*Vereri Vos se & metuere, itaut æquū est Iouē:*
*Verum pro secto hoc petere me precario.*
*A uobis iussit, leniter dictis bonis*
*Etenim ille quoius huc iussu uenio, Iuppiter*
*Non minus, quam nostrum quiuis formidat malum*
*Humana matre natus humano patre.*
*Mirari non est æquum si sibi prætimet.*
*Atque ego quoq; etiam qui Iouis sum filius*
*Contagione mei patris metuo malum.*

Verecundi vero est proprium ingenuorum. A pudore vero, quia hic est mali commissi, illa vero est etiā recti, & honesti, Quamuis differentia istud non sit perpetuò seruatum. Verecundus ergo est, qui ... metuit ...

henſionem, quaſi vereatur ruborem, quo ſuffundi ſolent in turpi deprehenſi facinore. Transfertur, & ad rem vnde quis erubeſcit, quæ metonymicè verecunda appellatur. Sic Cicero 3. de Oratore: *Si uereare ne paullo durior translatio eſſe uideatur, mollienda eſt, præpoſito ſæpe uerbo: ut ſi olim, M. Catone mortuo, pupillum Senatum quis relictum diceret, paullo durius: ſin, ut ita dicam, pupillum, aliquanto mitius eſt: etenim uerecũda debet eſſe translatio, ut deducta eſſe in alienum locum, non irruiſſe, atque ut precario, non ui ueniſſe uideatur.* Propriè verecundum dixit Ouid. 1. Amor. eleg. 5.

*Illa uerecundis lux eſt præbenda puellis,*
*Qua timidus latebras ſperet habere pudor.*

Hic menſa verecunda dicta eſt illa, qua vtuntur metuentes iuſtam reprehenſionem ob luxum, aut ſimile crimen, qui propterea in cibo & potu ſe, & alios frugaliter excipiunt, nec iocos, & confabulationes niſi liberales, & honeſtas admittunt, quod totum ad menſæ pertinet verecundiam.

*LAXAMVS*, quod tenſum erat remittendo, & ita laxamus rudentem, chordam, vel arcum. Sed metaphoricè laxamus animum, remittendo intentam contemplationem, aut cogitationem moleſtam. Hinc Cicero lib. 5. epiſt. 14 *Quod ſi non poſſumus aliquid proficere ſuadendo, gratia tendimus, & rogando ſi quid noſtra cauſa uis, ut iſtis te moleſtijs laxes, & ad conuictum noſtrum redeas.*

*SERIA* eſt res oppoſita ludicræ, vel iocoſę, ideſt grauis, triſtis, ſeuera, & quandam præſe ferens dignitatem. Sic Cicero Officiorum l. 1.

*Quum*

*Quum reliquis in rebus, tum in sermone communi vicissitudine nonnumquam utendum putet, videat in primis, quibus de rebus loquatur, si serijs, seueritatem adhibeat, si iocosis, leporem.* Sic Horat. 1. serm. sat. 1.

*Sed tamen amoto quæramus seria ludo.*

Sic Ouid. rationem reddens quare in Floralibus tanta foret lasciuia, ait 5. Fastor.

*Nulla coronata peraguntur seria fronte.*

Res igitur graues cuiusmodi erāt disputationes de arcanis philosophiæ, laxabantur, seu remittebantur dum corpora curabant.

*NON equidem hoc dubites, amborum fœdere certo, consentire dies, & ab vno sidere duci, nostra vel æquali suspendit tempora libra Parca tenax veri, seu nata fidelibus hora diuidit in geminos concordia fata duorum, Saturnumq; graue nostro Ioue frangimus vnà: Nescio, quod certè est, quod me tibi temperat astrum.* Ordo est: Equidem non dubites hoc, dies amborum consentire fœdere certo, & duci ab vno sidere, vel Parca tenax veri suspendit tempora nostra æquali libra, seu hora nata fidelibus, diuidit fata concordia duorum in geminos, & frangimus vnà Saturnum grauem Ioue nostro: Nescio quod certè est astrum, quod temperat me tibi. Aliā nunc profert causam sui erga Cornutum amoris præter familiaritatem, videlicet astrorum influxum. Astrologi namque Gentiles & utinam non etiam aliqui ex nostratibus solo nomine Christiani, asserunt eos, qui sub eodem sidere nascuntur, esse eorumdem morum, & se inuicē impensè amaturos. Huiusmodi vigilantium deliria refellunt acriter sacri nostri Do-

ctores

ctores Basilius, Ambrosius, Chrysostomus, & alij, quorũ verba hic transcribere non vacat. Dicere sufficiat, non posse astra amicitias, vel amorem conciliare, quia ipsa, vtpotè corporalia, nullum, directum, supra spiritualem voluntatis potentiam habere possunt influxum. Quum autem amor sit actus proprius voluntatis, extra directam astrorum erit subiectionem, & influentiam, nec ab illorum pendebit influxu. Et quamuis astra influant reuera in quæcumque corpora sublunaria: voluntas autem sit potentia animæ informantis corpus vtique sublunare, pro præsenti statu: non tamen inde fit eam debere, infallibiliter, & multo minus, necessario, sequi Cœlorum, aut stellarum influxum, delapsum in corpus sibi coniunctum, quum semper libera maneat, nec cogi queat ab aliqua creatura. Hinc etiam Cicero lib. de Fato ait: *Stylphonem Megarium philosophum, acutum sanè hominem, & probatum temporibus illis accepimus hunc, scribunt ipsius familiares, & ebriosum, & mulierosum fuisse: neque hæc scribunt uituperantes, sed potius ad laudem, uitiosam enim naturam ab eo sic edomitam, & compressam esse doctrina, ut nemo unquam uinolētum illum, nemo in eo libidinis uestigium uiderit. Quid Socratem? nonne legimus quemadmodum notarit Zopyrus physiognomus, qui se profitebatur hominum mores, naturasque ex corpore, oculis, uultu, fronte, pernoscere, stupidum esse Socratem dixit, & bardum, quod iugula concaua non haberet, obstructas eas partes, & obturatas esse dicebat: addidit etiam, mulierosũ, in quo Alcibiades cachinnum dicitur sustulisse.*

Sed

*Sed hæc ex naturalibus causis uitia nasci possunt, extirpari autem & funditus tolli, ut is ipse qui ad ea propensus fuerit, à tātis vitijs auocetur, non est id positū in naturalibus causis, sed in voluntate, studio, disciplinaque tolluntur omnia.* Sed melius dixisset si, vt auocationem à vitijs iam contractis retulit in volūtatem, ita & eorundem ortum in eamdem reiecisset, quæ maluit sensualitati subijci, quam eidem, resistendo, dominari. Quod si Ethnici, absque sacramentis, destituti gratia gratum faciente, & fide mentem illuminante, cum solo obtenebrato lumine rationis naturalis, & vulnerata arbitrij libertate, naturalem vincere potuere inclinationem, ex astris, aut aliunde causatam, quis Christicolarum dicere audebit, siderea se aut fatali necessitate, adductum ad peccādum? blasphemia est ista, proculdubio igne luenda, vtpote quæ peccatum, à sola creata voluntate ortum, Deo audet tribuere, à quo, vt naturalia omnia, ita astra sunt ipsa. Valeant ergo, abeantq; sic sentientes, vt & ille de quo Psalmista psalmo 48. *Homo quum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*: siquidem creatus sui iuris per liberum arbitrium, quo omnes corporeas excellit creaturas, vt de eo dicatur psalmo 8. *Minuisti eum paulominus ab Angelis, & constituisti eum super opera manuum tuarum*, asseritur ab ipsis detrusus in seruitutem, & desperabiliter corporibus, id est corporeis cœlorum influxibus, mancipatus. Merito ergo à Sancta Sede, per binas Constitutiones Xisti videlicet Quinti, & Vrbani Octaui, damnata

est Astrologia iudiciaria, & eorum temeritas, qui, ex siderum motu, & aspectu, pronunciare quidquam auderent de alicuius morte, vitâ, vel moribus certo futurum, quum eorum nihil queat ex sideribus infallibiliter cognosci, maximè quum hominum nullus plenam habeat astrorum notitiam. Tempore certè Regis Alphonsi, stellæ nonnisi mille, & viginti duæ ab Astronomis obseruabantur, ne plurium est hodie cognita natura. Num ergo tot tantum in Cœlo locatæ consistunt? & vbi est illud Genesis 15. *Suspice Cælum, & numera stellas si potes.* Et illud psalmi 146. *Qui numerat multitudinem stellarum?* Sunt ergo prócul dubio innumeræ. Rogo autem de illis, quas Astronomi non considerant, num sint in Cœlo otiosæ? Nō vtique: nihil enim à Deo factum frustra. Influunt ergo in hæc inferiora. Et quum stellæ asserantur contrarios inuicem habere influxus, quid si, quum illa maior, ideoque efficacioris virtutis, quā tu consideras, tempestatem, aut aliquid tale molitur, alia minor, quā tu non obseruas, veluti ex insidijs, illius infringat & elidat conatum? Non poterit, inquies, minor enim stella, debiliorem habet influxum, nequeuntem vincere influxum maioris. At saltem, reluctando, retardabit effectum, vt non eueniat hora, qua pronūciaueras futurum. Et quid si interea constellatio oriatur adiuuans stellæ debilioris influxum? nonne totaliter sublatus erit effectus inducendus ab illa efficaciori considerata ab Astrologo? & ita huius prædictio vana erit, & fallax. Adde deinde materiæ indispositionem, quæ quando-

que

que adest, vnde, etiam si astra influant, effectus non ponitur, & quandoque acceleratur. Et hoc sistendo in solis corporalibus, in quibus astra directum habẽt influxum. Quod si in istis Astrologia fallitur, qua temeritate Genethliacus se ingeret de ijs, quę à solo libero pendent arbitrio?

*NON equidem hoc dubites amborum fœdere certo consentire dies, & ab vno sidere duci.* Non dubites, Negat Casaubonus valere idem ac, Credas: Mihi videtur plus valere, ac Credas, nā quum dicat Nō equidem dubites, videtur dixisse: Certo tibi persuadeas, vel Infallibiliter tene, vtrorumque nostrum dies consentire, & duci ab vno sidere: hoc est vtriusque nostrum mores esse consentaneos, tamquam si proficiscerentur ab eadem Cœli constellatione. Dies autem dicti per metonymiam adiuncti adhærentis, pro moribus, & habitibus, quibus ornamur nos in die viuentes. Qui mores consentire dicuntur, quia sunt adeo similes, vt existentes in vno, videantur ijdem cum ijs, qui sunt in altero. Idque vult accidisse eo, quod vterque natus fuisset sub eadem Constellatione. Sic Horat. 2. Carm. Ode 17.

*Me nec Chimerę spiritus igneæ,*
*Nec si resurgat Centimanus Gyas*
*Diuellet vnquam, sic potenti*
*Iustitię, placitumque Parcis,*
*Seu Libra, seu me Scorpius aspicit*
*Formidolosus, pars violentior*
*Natalis horę, seu Tyrannus*
*Hesperiæ, Capricornus, vnde*
*Vtrumque nostrum incredibile modo*

 *Con-*

*Consentit astrum: te Iouis impio*
*Tutela Saturno refulgens*
*Eripuit, volucrisque fati*
*Tardauit alas.*

Verũ sõnia sunt ista,& deliria Genethliacorũ, maximè Gentiliũ, à quibus abhorrere debent quicumque benè eruditi sunt in fide Catholica,mores enim tam recti,quam peruersi,num. quam astris,aut alijs causis extrinsecis adscribendi; sed praui, libero tantum cuiusque arbitrio, recti uero, & innocentes eidem arbitrio,& Diuinæ gratiæ illud excitanti, & cum eo simul operanti. Non quod negem astra, cacodæmones,& alias causas exteriores,inclinare, & impellere nonnumquam hominem ad malum,nam vt ait Augustinus in psalmum 61. *Diabolo potestas quædam est, plerumque tamen vult nocere, & non potest, quia potestas ista sub potestate est:nam si tantum posset nocere diabolus quantum vult, non aliquis iustorum remaneret, aut aliquis fidelium esset in terra. Ipse per vasa sua impellit quasi parietem inclinatum, sed tantum impellit quantum accepit potestatem: vt autem non cadat paries, Dominus suscipiet, quoniã qui dat potestatem tentatori, ipse tentato præbet misericordiã:ad mensurã enim permittitur tẽtare diabolus.Et potabis,inquit,nos in lacrymis in mensura.Noli ergo timere nisi permissum aliquid facere tentatorem, habes enim misericordissimum Saluatorem : Tantum permittitur ille tentare, quantum tibi prodest,vt exercearis, vt proberis.* Non ergo potest homo ad casum cogi, quum etiam, stante extrinseco impulsu, possit idem per liberum arbitrium se continere. Maximè

quum

quum ei, renici volenti, numquam desit, se confirmans, & roborans gratia, qua adiutus, fortior euadit quacumque tentatione, etiam si totum eum impeteret infernus: fortior enim est, qui, in eo existens, pro eo pugnat, quam qui impugnat. Non ergo in astra, sed in propriam malitiam, referenda peccata.

P ARCÆ tres sorores esse fabulantur, necessitatis, iuxta Plotinum, Iouis atque Themidis iuxta Hesiodum: Herebi noctisqu iuxta alios filiæ, vocatæque Clotho, Lachesis, atque Atropos, quorum Clotho colum baiulat, Lachesis trahit, Atropos occat. Latini eas Nonam, Decimam, atque Mortam appellant, de quibus Gellius lib. 3. cap. 16. ait: *Antiquos Romanos, Varro dicit, non recepisse huiuscemodi quasi monstrosas raritates, sed nono mense, aut decimo, neque præter hos alios, partionem mulieris secundum naturam fieri existimasse: idcircoq; eos nomina Parcis tribus fecisse à pariendo, & à nono atque decimo mense: nam Parca, inquit, immutata littera una, à partu nominata: item Nona, & Decima, à partus tempestiui tempore; Cesellius autem vindex in lectionibus suis antiquis, tria inquit nomina Parcarum sunt Nona, Decima, Morta, & versum hunc Liuij antiquissimi poetæ ponit ex Vlyssea. Quando dies aduenerit, quem profata Morta est. Sed homo minimè malus Cesellius Mortam quasi nomen accepit, quum accipere quasi accidēs deberet.* Communiter tres esse Parcas finxere, quia tria sunt tempora vitæ, præsens, præteritum, & futurum. Sic Lactantius lib. 2. c. 11. ait: *Omnia tribus temporibus contineri necesse est,*

*preterito, præsenti, futuro: præteriti est origo, præsentis substantia, futuri dissolutio, quæ omnia in singulis hominibus apparent, & incipimus enim quum nascimur, & sumus quum uiuimus, & definimus, quum interimus: unde etiam tres Parcas esse uoluerunt: unam quæ uitam hominibus ordiatur, alteram, quæ contexat: tertiam, quæ rumpat, & finiat* Hinc sorores istas lanificas fingebant, quæ humanam nerent vitam, itaut stamen circa fusum inuolutum præteritum indicaret vitæ tempus: quod digitis torquetur, momentum illud quo actu viuimus: nondum vero è colo extractum, tempus designaret futurum. Sic lanificas eas dixit Martialis lib.1. Epig.133.

*Lanificas nulli tres exorare puellas*
*Contigit, obseruant quem statuere diem*
*Diuitior Crispo, Trasea constantior ipso*
*Lautior, & nitido sis Meliore, licet*
*Nil adijcit penso Lachesis, fusosque sororum*
*Explicat, & semper de tribus una secat.*

Et lib.6. Epig 58.

*Si mihi lanificæ ducunt non pulla sorores*
*Stamina, nec surdos uox habet ista Deos.*

Et Ouidius epist.15.

*Molle meum leuibus cor est uiolabile telis,*
*Et semper causa est, quur ego semper amem,*
*Siue ita nascenti legem dixere sorores,*
*Et data sunt uitæ fila seuera meæ.*

Et Ouidius lib.8. Metam.

*Stipes erat, quem quum partus enixa iaceret*
*Thestias, in flammam triplices posuere sorores,*
*Staminaque impresso fatalia pollice nentes,*
*Tempora, dixerunt eadem lignoque, tibiq;*
*O modo nate damus.* Erant

Erant etiam forores istę inexorabiles, vnde hic dicitur Parca tenax veri: sunt enim idem ac fatum, de quo dictum: Desine fata Deum flecti sperare precando. Sic Iuue.sat.9.v.135.

*Hæc exempla para felicibus: at mea Clotho,*
*Et Lachesis, gaudent si pascitur inguine uéter.*

Ob earum inexorabilitatem inflexibilitatemque, docebat Martianus Capella esse Cęlitum librarias, archiuique custodes, quæ Iouis sententias, ortographę studio veritatis excipiant. Ideoque Lactantius lib.1.cap.12.inquit: *Illud uero quale est, esse Fata, quibus Dij omnes, & ipse Iuppiter pareat? Si Parcarum tanta uis est, ut plus possint, quam Cælestes uniuersi, quamq; ipse Rector, & Dominus, quur non illæ potius regere dicantur, quarum legibus, ac statutis parere omnes Deos necessitas cogit?* Quamquam autem, vt ex Gellio vidimus, Varronis opinio fuerit, Parcas à partu esse dictas, quod rebus vniuersis, dum nascuntur, conferant quę illis sunt euentura, siue bona, siue mala, alijs tamen placet, Parcas dictas per Antiphrasin, vel Euphonismum, nemini enim parcunt, quum sint inexorabiles. Verum nec ista ethymologia scrupulo vacat: ideo alij verè à parcendo autumant dictas, quia earum vna tantum filum incidit, duarum vero reliquarum, vna vitam donat, alia datæ vsum extendit, & nomen trahere debuerunt à pluribus potius, quam ab vna, quæ etiam parcit, sustinendo, per aliquod saltem tempus, munus aliarum. Parcæ etiam istæ Fata dicuntur, nam vt docet Seruius ad illud Eclogæ 4. versu 46.

*Talia secla suis dixerunt currite fusis*

*Concordes stabili fatorum numine Parcæ.*

Quæ Parcæ dixerunt, euenire credebantur mortalibus: quod voluit etiam Varro lib. 5. LL. dicens: quod pueris constituunt Parcæ fando, dictum Fatum, & res fatalis, siue quod id Iuppiter sit fatus Parcis, quæ idipsū æneis inscribunt tabulis: siue quia ipsę Parcæ id sint fatæ. De Fati necessitate, impia Gentiles credidere. Nam Chrysippus ait: fatum esse sempiternam, & indeclinabilem rerum seriem: ideoque, volentem ducere, nolentem trahere. Seneca loquitur multoties de Fati ineuitabili necessitate, sed maximè quæstionum naturalium lib. 2. cap. 36. vbi ait: *Quid intelligis Fatum? Existimo necessitatem rerum omnium actionumque quam nulla uis rumpat Hanc si sacrificijs, & capite niueæ agnæ exorari iudicas, Diuina non nosti. Sapientis quoque uiri sententiam, negatis posse mutari, quanto magis Dei? quum sapiens, quid sit optimum in præsentia sciat, illius Diuinitati omne præsens sit.* Sic Cicero lib. de Fato ait: *Descendis in Academiam Carneades, nec tamen sine causis: sed interest inter causas fortuito antegressas, & inter causas cohiben es in se efficientiam naturalem, ita & semper uerum fuit: Morietur Epicurus quum duo, & septuaginta annos uixerit, Archonte Pitarato, neque tamen erant causę fatales, quur ita accideret, sed quod ita cecidisset, certè casurum sicut cecidit, fuit. Nec ij, qui dicunt immutabilia esse, quæ futura sint, nec posse uerum futurum conuertere in falsum, Fati necessitatem confirmāt, sed uerborum uim interpretantur, atque introducunt causarum seriem sempiternam; hi mentem hominis*

*uoluntate libera spoliatam, necessitate Fati deuinciunt.* Et infra eodem libro de Fato subdit: *Si Fatum tibi est ex hoc morbo conualescere, siue medicũ adhibueris, siue tu nõ, non conualesces. Et alterutrum Fatum est. Medicũ ergo adhibere nihil attinet. Rectè genus hoc interrogationis ignauum atque iners nominatum est, quod eadem ratione omnis è uita tolletur actio, licet etiam immutare, ut fati nomen ne adiungas, & eamdem tamen sententiam teneas, hoc modo. Si ex æternitate uerum hoc fuit, ex isto morbo conualesces, siue adhibueris medicum, siue non adhibueris, conualesces: itemque si ex æternitate hoc falsum fuit, de isto morbo conualesces, siue adhibueris medicum, siue non adhibueris, non conualesces. Deinde cętera. Hęc ratio à Chrysippo reprehenditur: quædam enim sunt, inquit, in rebus simplicia quędam copulata: semper est: morietur eo dies Socrates; huic, siue quid fecerit, siue non fecerit, finitus est moriendi dies. At si ita fatum sit; Nascetur Oedipus Laio, non poterit dici, siue fuerit Laius cum muliere, siue non fuerit, copulata enim res est, & confatalis, sic enim appellat: quia ita fatum sit, & concubiturum cum uxore Laiũ, & ex ea Oedipum procreatum. Ut si esset dictum; Luctabitur Olympijs Milon, & referret aliquis, ergo siue habuerit aduersarium, siue non habuerit, luctabitur, erraret, est enim copulatũ, Luctabitur, quia sine aduersario nulla luctatio est. Omnes igitur huius generis captiones eodem modo refelluntur. Siue tu adhibueris medicum, siue non adhibueris, conualesces, captiosum; tam enim est fatale medicum adhibere, quam conualescere. Hæc, ut dixi, confatalia ille appellat. Carneades*

*genus hoc totum non probabat, & nimis inconsiderate concludi hanc rationem putabat; itaque premebat alio modo, nec vllam adhibebat calumniam, cuius erat hæc conclusio. Si omnia antecedentibus causis fiunt, omnia naturali colligatione conserte, contexteque fiunt: quod si ita est, omnia necessitas efficit: id si verũ est, nihil est in nostra potestate: est autẽ aliquid in nostra potestate: at si omnia fato fiunt, omnia causis antecedentibus fiunt: non igitur fato fiunt quęcumque fiũt. Hoc arctius, adstringi ratione non potest, nam si quis velit idem referre, atque ita dicere: Si omne futurum ex æternitate uerum est, vt ita certè eueniat quemadmodũ sit futurum, omnia necessè est colligatione naturali consertè, contextèque fieri, nihil dicat: multum enim differt vtrum causa naturalis, ex æternitate futura vera efficiat, an etiam sine ęternitate naturali futura, quæ sint, ea vera esse possint intelligi. Itaque dicebat Carneades, ne Apollinem quidam futura posse dicere, nisi ea quorum causas natura ita cõtineret, ut ea fieri necesse esset. Quid enim spectãs Deus ipse, diceret: Marcellum eum qui ter Consul fuit, in mari esse periturum? Erat quidem hoc uerum ex ęternitate, sed causas sicut id efficientes non habebat, ita ne præterita quidem ea, quorum nulla signa tamquam vestigia extarent, Apollini nota esse censebat, quo minus futura. Causis enim efficientibus quamq; rem, cognitis, posse denique sciri, quid futurum esset. Ergo nec de Oedipode potuisse Apollinem prędicere, nullis in rerum natura causis propositis, quur ab eo patrem interfici necesse esset, nec quidquam eiusmodi.* Et hæc quidem vera sunt de creaturis nedum hominibus,

nibus,sed etiam Angelis tam bonis, præcisa re uelatione,& visione in verbo,quã malis, sed sistendo in sola cognitione naturali, non enim futura cognoscere possunt, nisi in causis : & quia contingentia,& multo minus libera, non continentur necessario in causis,nequeunt ab eis certo cognosci. Cœterum Deus,nedum in causis secũdis,sed in suis decretis infallibilib⁹ omnia nouit,necessaria,contingentia,& etiam libera,cum suis modis,& circumstantijs,vt in rebus ponentur.Et præterea quum sua cognitio mensuretur æternitate ambiente omne tempus vnico præsentissimo nunc,suus intuitus fertur in quodcumque, quocumque æuo præteritum, vel futurum,vt in præsens:quod de suis Parcis,vel Apolline, Ethnici affirmare non potuere . Idem Cicero 1.de Diuinat. parum à fine ait : *Fatum id appello , quod Greci ἱμαρμένην, idest ordinem,seriemque causarum, quum causa causam ex se gignat , ea est ex omni æternitate fluens veritas sempiterna.Quod quum ita sit, nihil est factum , quod non futurum fuerit: eodemque modo nihil est futurum, cuius non causas idipsum efficientes natura contineat . Ex quo intelligitur, ut fatum sit non id quod superstitiosè, sed id quod physicè dicitur , causa æterna rerum, quur & ea, quę præterierunt facta sint,& ea, quæ instant, fiant, & quæ sequuntur futura sint.* Impia sunt ista,contra quæ pluribus disputant Theologi , & sacri Doctores , quorum rationes referre non vacat. Isidorum tantum Pelusiotam adducemus dicentem epistola 117 *Si quæ vis cogitatio,atque omne animi propositum hominibus à fato immittatur, ab-*

*surdissimum quid ipsi fato accidere deprehendes, siquidem alijs rationes suggerat, quibus defendatur, alijs uero artem, & scientificas rationes, quibus id ipsum subuertant. Quare si seipsum euertit enthimematis illis, quæ subuertentibus suppeditat, quomodo quęso fatum subsistere potest?* Rem explicat Boętius de Consol. lib. 4. prosa 6. dicens: *Omnium genaratio rerum, cunctusq: mutabilium naturarum progressus, & quidquid aliquo mouetur modo, causas, ordinem, formas ex Diuinæ uoluntatis stabilitate sortitur: Hæc in suæ sublimitatis arce composita multiplicem rebus gerendis modum statuit. Qui modus, quum in ipsa Diuinę intelligentię puritate conspicitur, Prouidentia nominatur; quum uero ad ea, quæ mouet, atque disponit, refertur, Fatum à ueteribus appellatum est. Quæ diuersa esse facilè liquebit, si quis utriusque uim mente conspexerit. Nam Prouidentia est illa ipsa Diuina ratio, in summo omnium Principe constituta, quę cuncta disponit; Fatum uero, inhærens rebus mobilibus dispositio, per quam Prouidentia, suis quæque connectit ordinibus: Prouidentia namque cuncta pariter, quamuis diuersa, quamuis infinita, complectitur: Fatum uero singula digerit in motu, locis, formis, ac temporibus distributa: ut hæc tẽporalis ordinis explicatio, in Diuinæ mentis adunata prospectu, Prouidentia sit: eadem uero adunatio digesta, atque explicata temporibus, Fatum uocetur. Quæ licet diuersa sint, alterum tamen pendet ex altero, ordo namque fatalis, ex Prouidentię simplicitate procedit: sicut enim artifex, faciendæ rei formam mente percipiens, mouet operis effectum, & quod simpliciter, præsentarieque per-*

perspexerat, per temporales ordines ducit, ita Deus Prouidentia quidem singulariter, stabiliterque facienda disponit, fato vero hęc ipsa quę disposuit, multipliciter, ac temporaliter administrat. Siue igitur famulantibus quibusdam Prouidentię diuinis spiritibus fatum exercetur, seu anima, seu tota inseruiente natura, seu Cælestibus siderum motibus, seu Angelica virtute, seu dæmonum varia solertia, seu aliquibus horum, seu omnibus; fatalis series texitur, illud certe manifestum est, immobilem, simplicemque gerendarum formam rerum esse Prouidentiam, fatum vero eorum, quę diuina simplicitas gerenda esse disposuit, mobilem nexum, atque ordinem temporalē. Quo fit vt omnia, quę fato subsunt, Prouidentiæ quoque subiecta sint, cui ipsum etiam subiacet fatum. Quædam vero, quę sub Prouidentia locata sunt, fati seriem superant. Ea vero sunt, quę primæ propinquæ Diuinitati stabiliter fixa, fatalis ordinem mobilitatis excedunt. Nam vt orbium circa eumdem cardinem sese vertentium, qui est intimus ad simplicitatem medietatis accedit, cęterorumque extra locitorum, velut cardo quidam, circa quem exercentur existit: extimus vero, maiore ambitu rotatus, quanto à puncti media indiuiduitate discedit, tanto amplioribus spatijs explicatur: si quid vero illi se medio connectat & societ, in simplicitatem cogitur diffundique, & diffluere cessat. Simili ratione, quod longius à prima mente discedit, maioribus fati nexibus implicatur, ac tanto aliquid fato liberum est, quanto illum rerum cardinem vicinius petit. Quod si supernę mentis hæserit firmitati, motu carens, fati quoque supergreditur necessitatem.

Quum

Quum autem liberum arbitrium,&,ab eo pendentes liberæ operationes, supra corporalium causarum influxum sint eleuatæ,fato nullatenus, benevero Prouidentiæ subduntur. Gentiles autẽ Veri Dei notitia carẽtes,quod erat propriũ Prouidẽtiæ,fato tribuebant in rebus mobilibus existenti. Hinc quum verè Prouidentia sit immobilis vtpotè attributum Dei, & realiter idem cum ipso Deo,de quo Numerorum 23 *Non est Deus quasi homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis ut mutetur.* Et Malachiæ 3. *Ego Dominus, & non mutor*, id ipsi de fato dixerunt in rebus mobilibus existente, vnde hic dicta est *Parca tenax veri*. Putant quidam Persium hic dicere voluisse,inclinationes moresque omnes,etiam liberas, esse in homine ex Cœlestibus Cõstellationibus,& vniformes, siue consimiles nasci ex Libra,septimo Zodiaci signo. Diuidunt enim Astrologi Zodiacum in duodecim partes,seu Constellationes,quarum nomina sunt, Aries,Taurus, Gemini,Cancer,Leo,Virgo,Libra,Scorpio,Sagittarius,Capricornus,Aquarius, & Pisces. Nec mireris,Zodiacum,qui circulus est, asseri habere principium, contra circuli rationem principio,& fine carentis. Non enim principiũ assignatur quasi realiter insit, sed iuxta rationabilem designationem: quæ ratio multiplex est: Vel quia sole existente in Ariete, ob huius constellationis virtutem, & qualitatem, eminenter calidam,& humidam, fit rerum sublunarium, & vegetabilium generatio, vel multiplicatio:& quia generatio,seu noua productio,dignior est,& excellẽtior corruptione, & mi-

& minutione, merito Arieti debebatur signorũ principium. Vel quia sole Arietem ingrediente, lux incipit contra tenebras præualere: lux autem tenebris melior est, ideo Aries signorũ primus. Vel quia communior habet opinio, mundi creationem factam fuisse, quum Aries Cœli teneret medium, creatumque fuisse in mundi vertice, & ita in loco digniori, ideoque ab eo incipienda numeratio. Asserunt vero Astrologi, in prima mundi creatione, Arietem Cœli tenuisse medium, Solem creatum in Oriente Leone; Lunam in Cancro occidente: Mercurium in signo Virginis: Venerem in Libra: Martem in Scorpione: Iouem in Sagittario: Saturnum denique in Capricorno. Ideoque asserunt Planetas harum Constellationũ tamquam propriarum domorum, fuisse dominos ab autore naturæ constitutos. Sed quia præter septem numeratas Cõstellationes, quę Planetarum domus dicuntur, supersunt in Zodiaco alię quinque, Astrologi, verentes fortasse ne ruerent aliquando, destitutæ habitatoribus, qui earum gererent curam, easdem liberaliter dono dederunt quinque planetis, idest singulis à luminaribus, quæ iusserunt singulis esse domibus contenta: easque assignauerunt ita, vt ordine procederent retrogrado ad custoditum in prima assignatione facta ab Autore naturę: Inde quia Saturnus supremus Planetarum, propriam domum Capricornum habuerat, liberalis misericordia Astrologorum, languido compatiens seni, noluit ipsum, pro alia domo quærenda, obligare ad longum iter conficiendum: ideo contiguam

illi

illi concessit, nempe domum Aquarij. Quia vero Iuppiter domum obtinuerat Sagittarij, Capricornum proximè antecedentis, ijdem Astrologi, ne Regiam grauarent maiestatem volentem in aliam domum diuerti, si eum obligassent ad cursum incitatiorem, contiguā secundæ Saturni ei permiserunt, nempe domum Piscium. Sic quia Mars Scorpionem propriam habebat domum, antecedentem Sagittarium, Arietem præterea accepit subsequentem Pisces: nec putauerunt dedecere virum militarem, longè à prioribus, castra habere secunda: Venus quoque nedum Libram habuit, præcedentem ad Scorpionem, sed ab Astrologorum munificentia, insigne obtinuit Tauri palatium, subsequens Arietem, in quo secunda erant Martis castra. Nec Mercurius honore caruit secundæ habitationis: metuebant enim fortè Astrologi, ne si sponte non concederent, ipse furum Deus, suis dolis clam eam occuparet; inde præter Libram, habitam in prima ordinatione, Geminos in secunda accepit subsequentē Taurum. Sed præter istam Zodiaci in se, & absolutè considerati in duodecim signa diuisionem, Astrologi aliam inuexerunt, qua ipsum in alias duodecim secant partes, siue domos, per respectum tamen ad ortum cuiuslibet. Et harum domorum primā appellant Vitam, Horoscopum, vel Angulum orientālem: Secundam, Spem, Anaphoram, & Portam infernam: Tertiā, Deam: Quartam, Angulum Terræ, vel Imum Cœli: Quintam, & Sextam, Bonam, & Malam fortunam: Septimā, Coniungentem, aut Angulum occidentalem;

Octa-

Octauam Mortam: Nonam, Domum fidei: Decimam, Angulum medij Cœli, quam domum plurimum valere dicunt ad dignitates, quia patis est in excelsiore mundi parte: Vndecimā denique, & Duodecimam dixerunt Bonum, & Malum dęmonem: de quorum nominum ratione, si tanti res sit facienda, vide Astrologos ex professo tractantes. Existimant isti multum valere signum, vel Planetam, ex inferiore ad nostrum HemisphERium surgentem, tunc quum quis siue ex vtero, siue in vtero nascitur: & specialiter pro amicitijs siue contrahendis, siue fouendis: somniant eos fore coniūctissimos, qui signa inter se habuerint commutata, vt illud, quod vni fuerit in angulo orientali, sit alteri in medio cœli, & maxime si accesserit permutatio luminarium, & fortunarum. Delitia sunt ista, præcipuè applicata liberis hominum operationibus, vt sunt amicitiæ. Sed non libet tempus terere ad talia confutanda, quæ tantum indicauimus, vt i[llis] satisfaceremus, qui credidere Persium nunc locutum de Libra, quæ est septimum Zodiaci signum. Sed absque vlla dubitatione tenendū, poetam intellexisse de instrumento, quo res ponderosæ trutinantur, & examinantur, asseruisseq; Parcam tenacem veri, siue Fatum, &, vt Catholicè loquamur, Diuinam Prouidentiam ęquali libra, id est iusta examinatione, distribuisse aliquibus inclinationes ad eadem studia, eosque ornasse eisdem moribus, qui est maximus ad mutuum amorem stimulus: similitudo enim amorem causat. Quum ergo ambo Persius, atque Cornutus ijsdem moribus, studijsq;

dijſque præditi eſſent, potuit inter eos ſumma coaleſcere beneuolentia, quum adeſſent etiam inſtitutio recta, longaque conſuetudo, quæ amoris philtra eſſe conſueuerunt. Aſſerit itaque Parcas, ſiue Fatum, aut, vt nos loqui debemus, Prouidentiam, iuſta & æquali libra ſuſpendiſſe, ponderaſſe, & examinaſſe tempora Perſij, atque Cornuti, eorum ſcilicet mores, ſtudia, conuenientias, & neceſſitudines, eàſdemque, vel ſimillimas vtrique contuliſſe. In qua etiam ſignificatione ponderandi verbum accepit Cicero pro Cn. Plancio dicens: *Sed ego hoc meis ponderibus examinabo, non ſolum quid cuique debeam, ſed etiam quid cuiuſque interſit, & quid à me cuiuſque tempus poſcat.* Et idem nunc valet ſuſpendere tempora libra.

*SEV nata fidelibus hora.* Fideles hic appellat natos, in quantum ſibi correſpondent in eiſdem moribus prouenientibus (iuxta deliria Genethliacorum) ab eodem ſidere, ſeu Conſtellatione aſcendente. Hora vero, quæ dicitur nata fidelibus, eſt punctus, ſiue momentum aſcenſionis cuiuſcumque ſideris ab inferiori ad noſtrum Hemiſpherium, quæ dicitur Horoſcopus, quaſi horæ inſpectio. Horoſcopus enim eſt illa Cœli pars, quæ, in cuiuſque natiuitate, ex Oriente emergens, incipit apparere, ex cuius obſeruatione geneſes fiunt, prædictioneſque genethliacæ. Hora ergo, cuius inſpectio eſt Horoſcopus, non intelligitur vigeſimaquarta pars diei, ſed abſolutè tempus illud, quo quis primum prodit in lucem. Duo ergo inſpiciuntur ſimul naſcentia, homo, & pars Cœli, quæ dicitur Aſcendens, quę obſer-

ari volunt genethliaci, vt certo de cuiusque ccidentibus, & moribus possit pronunciari. ius tamen Firmicus vult, obseruandam se nedum horam Ascendentis, sed etiam to-m Natiuitatis diem, immo & tertium æquè primum, vt certius fieri possit iudicium de uiuscumque moribus, & accidentibus reliuis. Melius tamen dixisset, si vt Solon de iuicio felicitatis, sic ipse pro diuinanda tota ita, eiusdem exitum expectandum monuisset. Hác autem Mathematicorum, seu Genethliaorum, & Chaldęorum temeritatem, nedum Scholastici, & Patres passim impugnant, Sed Gellius lib. 14. cap. 1. ait: [ Si Principes Chalæi, qui in patentibus campis colebant, Stelarum motus, & vias, & discessiones, & cœtus, tuentes, quid ex ijs efficeretur, obseruauerunt, procedat inquit hæc sanè disciplina, sed ub ea modo inclinatione cœli, sub qua tunc Chaldęi fuerunt. Non enim potest inquit, ratio Chaldæorum obseruationis manere, si quis ea vti velit sub diuersis cœli regionibus. Nam quanta inquit partium, circulorumque cœli ex deuergentia, & conuexionibus mundi varietas fit, qui non videt? Eædem igitur stellæ, per quas omnia Diuina, humanaque fieri contendunt, sicuti ne vsquequaque pruinas, aut calores cient, sed mutant, & variant: tempestatesque eodem in tempore alibi placidas, alibi violentas mouent, quur non euenta quoque rerum, ac negotiorum, alia efficiunt in Chaldæis, alia in Getulis, alia apud Danubiū, alia apud Nilum? Per autem inquit, inconsequens, ipsum quidem corpus, & habitum tam pro-

profundi aeris, sub alio, atque alio cœli curuamine, non eumdem manere. In hominum autem negotijs, stellas istas opinari idem semper ostendere, si eas ex quacumque terra conspexeris. Præterea mirabatur id cuique pro percepto liquere, stellas istas, quas à Chaldæis, & Babiloniijs, siue Ægyptijs obseruata ferunt, quas multi Erraticas, Nigidius Errones vocat, non esse plures, quam vulgo dicerentur. Posse enim fieri existimabat, vt & alii quidam planetæ pari potestate essent, sine quibus recta, atque perpetua obseruatio perfici non quiret, neque eos tamen cernere homines possent, propter exuperantiam splendoris, vel altitudinis. Nam & quędam inquit, sidera è quibusdam terris cōspiciuntur, earumque terrarum hominibus nota sunt: sed eadem ipsa ex omni terra alia non videntur, & sunt aliijs omnino ignotissima. Atque vt videmus inquit, & has tantummodo stellas, & ex vna parte terræ obseruari debuisse, quæ tandem finis obseruationis istius fuit, & quæ tempora satis esse visa sunt ad percipiendum quid prę monstaret, aut cætus stellarum, aut circuitus, aut trāsitus? Nam si isto modo cœpta fieri obseruatio est, vt animaduerteretur quo habitu, quaque forma, quaque positura stellarum, aliquis nasceretur, tum deinceps ab ineunte vita fortuna eius, & mores, & ingenium, & circumstātia rerum negotiorumque, & ad postremum finis etiam vitæ spectaretur: eaque omnia, vt vsu venerant, litteris mandarentur: ac postea longis temporibus, quum ipsæ illæ eodem in loco, eodem habitu forent, eadem

cœ-

cœteris quoque euentura existimarent, qui eodem illo tempore nati fuissent. Si isto inquã modo obseruari cœptum est, exque ea obseruatione composita quędam disciplina est, nullo id pacto potest procedere. Dicant enim quot tandem annis, vel potius quot seculis, orbis hic obseruationis pe fi i quiuerit. Constare quippe inter Astrologos dicebat, stellas istas quas erraticas dicerent, quę esse omnium rerum fatales dicerentur, infinito prope, & innumerabili numero annorum ad eumdem locum, cum eodem habitu simul omnes profectę sunt, regredi, vt neque vl us obseruationis tenor, neque memoriæ vlla effigies litterarum tanto æuo potuerint edurare. Atque illud etiam cuiusmodi esset cõsiderandum putabat, quod aliud stellarum agmen foret, quo primũ tempore conciperetur homo in vtero matris, aliud postea quum in decem mensibus proximus in lucem ederetur. Quærebatque qui cõuenire rec diuersam super eodem fieri demõstrationem, si, vt ipsi putarent, alius atque alius earumdem stellarum situs, atque ductus, alias atque alias fortunas daret? Sed & nuptiarum tempore ex quibus liberè quærerentur, atque ipso etiam illo maris, atque fœminæ coitu iam declarari oportere dicebat, certo quodam & necessario stellarum ordine, quales, qualique fortuna homines gignerentur, ac multo etiam ante quam pater ipse, atque mater nascerentur, ex eorum genitura debuisse iam tum prospici, qui nam olim futuri essent, quos ij creaturi forent, & supra longè, atque longè per infinitum: vt si disciplina ista fundamẽto aliquo

ve-

veritatis nixa est, centesimo vsque ab hinc seculo, vel magis primo cęli, atque mundi exordio, atque inde iam deinceps continua significatione, quoties generis autores eiusdem homines nascerentur, stellæ istę præmonstrare debuerint, qualis, qualique fato futurus sit, quisquis hodie natus est. Quo autem inquit pacto credi potest vniuscuiusque stellarum formæ, & positionis sortem, atque fortunam vni omnino homini certam, destinatamque esse, eamque formam post longissima seculorum spatia restitui, si vitæ, fortunarumque eiusdem hominis indicia, in tam breuibus interuallis per singulos maiorum eius gradus, perque infinitum successionum ordinem, tam sæpe ac tam multipliciter eadem ipsa, non eadem stellarum facie denotantur? Quod si id fieri potest, eaque diuersitas, atque varietas admittitur, per omnes antiquitatis gradus ad significanda eorum hominum, qui post nascentur exordia, imparilitas hęc, turbat obseruationem, omnisque ratio disciplinæ confunditur. Iam vero id minimè ferendum esse censebat, quod non modo casus, & euenta, quæ euenirēt extrinsecus, sed consilia quoque hominum ipsa, & arbitria, & varias volūtates, adpetitiones que, & declinationes, & fortuitos, repentinosque in leuissimis rebus, animorum impetus, recessusque, moueri, agitarique desuper è cœlo putarent. Tamquam si fortè ire in balneas volueris, ac deinde nolueris, atque id rursum volueris, nō ex aliqua dispari, variaq; animi agitatione, sed noua necessaria quadam errantium siderum reciprocatione contigerit,
vt

vt planè homines, non quod dicitur λογικὰ ζῶα *rationalia animalia*, sed ludicra, & ridenda quædam νευρόσπαστα *neruis mouentia* esse videantur, si nihil sua sponte, nihil arbitratu suo faciunt, sed ducentibus stellis, & aurigantibus. Ac si, inquit, potuisse prædici affirmant, Pyrrhus ne Rex an Manius Curius prælio victurus esset, quur tandem non de alea quoque, ac de calculis, & alueolo audeãt dicere, quinam ibi ludentium vincat? An videlicet magna sciunt, parua nesciunt? & minora maioribus imperceptibiliora sunt? Sed si magnitudines rerum sibi vendicant, magisque esse perspicuas, & facilius comprehendi posse dicunt, volo, inquit, mihi respondeant, quid in hac totius mundi contemplatione præstantis naturæ operibus, in tam paruis, atque breuibus negotijs, fortunisque hominum magnum putent? Atque id velim etiam, inquit, vt respondeant, si tam paruum, atque rapidum est momentum temporis, in quo homo nascens, fatum accipit, vt in eodem illo puncto, sub eodem circulo cęli, plures simul ad eamdem competentiam, nasci non queant: etsi idcirco gemini quoque, non eadem vitæ sorte sunt, quoniam non eodem temporis puncto editi sunt; peto, inquit, respondeant, cursum illum temporis transuolantis, qui vix cogitatione animi comprehendi potest, quo nam pacto, aut consulto adsequi queant, aut si ipsi perspicere, & deprehendere, quum in tam præcipiti dierum, noctiumque vertigine, minima momenta ingentes facere dicant mutationes? Ad postremum autem, & quid esset,
quod

quod aduerſum hoc dici poſſet, requirebat
quod homines vtriuſque ſexus, omnium æta-
tum, diuerſis ſtellarum motibus in vitam edi-
ti, regionibus ſub quibus geniti ſunt long
diſtantibus, omnes tamen iſti, aut h antibu
terris, aut labentibus tectis, aut oppidorum
expugnationibus, aut eadem in naui fluct
obruti, eodem genere mortis, eodemque ict
temporis interirent? Quod ſcilicet, inquit
numquam eueniret, ſi momenta naſcendi ſin-
gulis attributa, ſuas vnumquodque leges ha-
berent. Quod ſi quædam, inquit, in hominum
morte, atque vita etiam diuerſis temporibu
editorum, per ſtellarum pares quoſdam poſt
conuentus, paria nonnulla, & conſimilia poſ
dicuntur obtingere, quur non aliquando poſ
ſint omnia quoque paria vſuuenire, vt exiſtā
per huiuſmodi ſtellarum concurſiones, & ſi
militudines Socrates ſimul, & Ariſthones, &
Platones multi genere, forma, ingenio, mori
bus, vita omni, & morte pari? Quod nequaqu
inquit, prorſus fieri poteſt: nō igitur hac cau
ſa probe vti queunt aduerſum hominum im
pares ortus, interitus pares. Illud autem co
donare ſe ijs dicebat, quod non id quoque re
quirerēt, ſi vitæ mortiſque hominum, rerum
que humanarum omnium tempus, & ratio, &
cauſa in Cęlo, & apud ſtellas foret, quid de
muſcis, aut vermiculis, aut echinis, multiſqu
minutiſſimis terra marique animantibus di
cerent: An iſta quoque ijſdem quibus homi
nes, legibus, naſcerentur, ijſdemque itidem
extinguerentur, vt aut ranunculis quoq; &
culicibus naſcendi fata ſint de Cęleſtium
ſide-

ſiderum motibus attributa, aut id non putarent, nulla ratio videretur, quur ea ſiderum vis in hominibus valeret, deficeret in cęteris.]

Vana itaque Genethliacorum obſeruatio.

*NAT fidelibus hora diuidit in geminos concordia fata duorum.* Mirum quantum aberrarint à ſcopo huius intelligentiæ, Antonius Foquelinus, Stellutus. Bond, & Caſaubonus, qui eo quod Manilius lib. 2. dicat:

*Magnus erit geminis amor, et cōcordia duplex,*
*Magnus & in multos veniet ſucceſſus amicos,*

arbitrati ſunt, Perſium volentem nunc aliam tradere cauſam mutuæ beneuolentię inter ipſum & Cornutum, hanc tribuere Natiuitati ſub ſigno Geminorum, quia hoc ſignum ad amandum mouet. Sed quantumuis daremus Conſtellationem iſtam diſponere ad aliquam morum ſimilitudinem, quæ plerumque amorē conciliat, nihil tamen minus voluit Perſius, quam loqui de natis ſub ſigno Geminorum: non enim dixit: Gemini diuidunt fata concordia duorum, ſed Hora nata fidelibus, diuidit fata concordia duorum in geminos, ideſt in duos natos ſimul ex eodem vtero, & eodem partu, inter quos, cum forte etiam diuerſa, cōſueuit eſſe maximus amor, ſic Plaut. Menech. Actu 2. ſcena 1.

*Operam præterea numquam ſumam querere*
*Verum inter viuos numquam deſiſtā, exequē*
*Ego illum ſcio, quam cordi ſit carus meo.*

Et eadem fabula Actu 5. ſcena 9.

*Frater et tu, quem ego multis, miſeris laboribus, gaudeo.*
*Vſq; adhuc quæſiui, quemq; ego eſſe inuentum*

Et Horatius lib. 1 epist. 10.

*Vrbis amatorem Fuscum saluere iubemus*
*Ruris amatores, hac in re scilicet vna*
*Multum dissimiles, ad cætera pene gemelli*
*Fraternis animis quidquid negat alter, & alter.*

Sed in hac re nequit certa constitui regula, quum Iacob, & Esau gemini fuerint, moribus tamen, & habitu corporis penitus dissimiles, vt in ipso adhuc matris vtero inuicem se persequerentur. Geminos ergo hic dixit, non, natos sub geminorum Constellatione, nec eos, quos mater vno eodemque gestauit vtero, & partu est enixa: sed illos qui, sub quauis Constellatione editi, essent similes in lineamentis, & colore corporis, & maximè in moribus, & inclinatione ad eadem studia. Nam & qualitates similes, geminæ apud Ciceronem dicuntur, tum alibi sæpe, tum pro Roscio Comœdo: *Simillima, & maximè gemina societas hæreditatis est, quemadmodum socius in societate habet partem, sic heres in hæreditate habet partem: vt hæres sibi soli non cohæredibus petit. sic socius sibi soli, non socijs petit: & quemadmodum vterque pro sua parte petit. sic pro sua parte dissoluit, hæres pro sua parte qua hæreditatem adijt, socius pro ea, qua societatem coijt.* Et pro Roscio Amerino: *Quid tandem quæso Iudices? num aut ille lanista omnino iam à gladijs recessisse videtur, aut is discipulus magistro tantulum de arte concedere? Par est auaritia, similis improbitas, eadem impudentia, gemina audacia.* Hinc quum inter Persium, atque Cornutum summa foret morum, studiorumque similitudo, merito gemini

dici

dici potuerant, etiam si nec nati sub eadem Geminorum constellatione, nec vno partu editi. Et vt hic de Geminorum signo aliqua memoremus, dicimus hoc signum positum in Cælo in memoriam duorum fratrum, quos Lada ex duobus viris, ouisque siue membranis duabus, enixa est: Lada enim Thyestis filia, Tyndaro Micenarum Regi nupta, & ex eodem iam grauida, à Ioue concupita, & transformato sub forma Cycni, compressa, grauida iterum ex eo facta, quum partus tempus aduenisset, duo peperit oua, proportionata conceptioni ex cycno, ex quorum vno, formato ex concubitu ipsius cum Tyndaro, duo quasi pulli exclusi fuere, Castor, & Clytemnestra illa, quæ deinde nupta Agamemnoni, quum virum ex Ilij reuersum excidio, ab adultero Ægysto adiuta, necasset, in patris vltionem à proprio filio Oreste, vna cum Ægysto adultero, occisa est. Ex alio vero ouo, quod erat ex concubitu cum Ioue, duo quoque exclusi sunt pulli, Pollux & Helena illa, quæ nupta Menelao Spartharum Regi, & à Paride rapta, Troiæ incendij, & euersionis causa fuit. Sed prius, antequam nuptui traderetur, dum Castor, & Pollux, cum Iasone, & alijs in Colchos militatum abijssēt, Thęseus Athenarum Rex eam rapuit, intactamque castro conclusit: Reuersi Castor, & Pollux, cognitoque quid de sorore actum esset, dū Thęseus longè abesset, Aphidnam vrbem, in qua Thæsei nomine Helena seruabatur, expugnauerunt, illamque adhuc integram, & à viro intactam, receptam, Menelao vxorem tradiderunt. Castor verò, & Pol-

lux quamuis ex diuersis ouis parentibusque nati, vnanimes nihilominus semper vixere,& simul mare, Pyratarum tũc infame latrocinijs purgauerunt, ideoque inter Deos maris, & Apotræpæos,id est malorum depulsores habiti fuere. In Colchos etiam cum Argonautis nauigauerunt, in qua expeditione Pollux, Amycum Bebryciorum Regem, insidias sibi molientem, occidit. Annis multis concorditer vixerunt, & quum demum Castor, vtpotè mortalis quia Tyndaro genitus, diem clausisset extremum, Pollux illius non ferens absentiam, licet, vt Ioue satus, foret immortalis, à patre precibus impetrauit immortalitatis cũ fratre diuisionem, vt alternis viuerent temporibus, indeque inter sidera translati. Sic Virg. 6. Æneid. versu 121.

*Si fratrem Pollux alterna morte redemit.*

Cui fabulæ ansam præbuit huius Constellationis natura, quæ talis est, vt geminorum, vno oriente, alter occidat. De his Hyginus lib. de signis Cœlestibus lib. 2. ait: *Geminos cõplures Astrologi Castorem, & Pollucem esse dixerunt, quos demonstrant omnium fratrum inter se amantissimos fuisse, quia neque de principatu contenderunt, neque vllam rem sine communi consilio gesserunt. Pro quibus officijs eorum, Iuppiter inter notissima sidera eos constituisse existimatur. Neptunum autem pari consilio eos munerasse: nam equos his quibus vtuntur donauit, & dedit potestatem naufragis saluti esse. Alij dixerunt Herculem esse, & Apollinem: nonnulli etiã Triptolemum, quem supra diximus, & Iasona à Cerere dilectos, & ad sidera perlatos. Sed qui de*

*Ca-*

*store, & Polluce dicunt, hoc amplius addunt, vt Castor in oppido Ariadnis sit occisus, quo tempore Lacedemones cum Athenienfibus bellum gesserunt. Alij autem quum oppugnarent Spartam, Lynceus, & Idas, ibi periisse dixerunt. Pollucem, ait Homerus, concessisse fratri dimidiam vitam : itaque alternis diebus eorum quemque lucere.*

*CONCORDIA fata.* Diximus fatum propriè esse dispositionem inhærentem rebus mobilibus. At hic fata concordia intelliguntur inclinationes, siue bonæ, siue malæ, & tam naturales, quam fortuitæ, & morales. Siquidem ab Ascendente, siue Horoscopo, & Constellatione surgente ab Oriente, in eo puncto, quo aliqui nascuntur, volunt Genethliaci descendere in eosdem nascentes eosdem mores, & inclinationes ad eadem vitia, & virtutes. Inde quidã exponunt, quod Hora seu Horoscopus diuidit, dispertit, aut distribuit natis sub eodem Ascendente fata concordia, idest eadem bona, vel mala, siue naturalia, vt sũt agilitas, robur, sanitas: siue moralia vt modestia, temperantia: siue fortuita vt libertas, opulentia, potentia. Vt si eorum fideliũ, vnus habuerit acumẽ intellectus, cliẽtelas, &c. alius similia possideat. Falsa sunt ista, ideoque à Persio Hora sub dubio ponitur, dicitque se nescire an id præstare potuerit; quod nos absque dubio non posse affirmamus.

*SATVRNVMQ; grauem nostro Ioue frangimus vna.* Non est nunc sermo de Rege Saturno, de quo abundè dictum ad illa verba satyræ 2. versu 59. *Saturniaque impulit æra*, sed de stella, siue planeta Saturni. Hæc autem

 stel-

ſtella poſita ſupra omnes errantes, in ipſo concauo Cœli ſtellati, tardiſſimus eſt motus, adeo vt vix annis triginta, vnam per Zodiacum abſoluat circulationem, indeque potuit ei adhęrere epitheton, grauis, ſiquidem quod graue eſt, tardè atque difficile (niſi deorſum) mouetur. Hoc Saturni ſidus, licet ſit adeo magnum, vt terram vniuerſam nonagies, & ſemel dicatur excedere, exiguum nihilominus apparet, tum ob illius maximam à terra elongationē, tum ob luminis exiguitatem, videtur enim coloris plumbei, ſiue cinerei. Eidem tribuunt Aſtronomi terræ qualitates, ſiccitatem, & frigiditatem, cum alijs ex eis prouenientes, non quod qualitates iſtę poſſint in eo, aut alio Cęleſti corpore eſſe, quod aiunt, formaliter, ſed quia ab eo cauſantur, & deſcendunt in corpora ſublunaria ſibi ſubiecta. Et quum iſtæ ſint qualitates noxiæ, Saturnus ipſe malignus, quaſi malorum cauſa, iudicatur. Quamuis enim nati ſub Saturni dominio, ab eo virtutes quaſdam ſortiantur, vt inclinationem ad Religionem, ad ſubtiliores, & metaphyſicas ſpeculationes, & ſimilia: longè tamen maiora ſunt mala ab eo venientia. Nati enim ſub ipſo obnoxij ſunt melancholiæ, ſiue atræ bili, & propterea manię, & ſtoliditati inde prouenienti: inclinantque ad necromantiam, & huic annexas ſuperſtitiones, arteſque perniciosas: ſub Saturno etiam naſcuntur homines tardi in conſilijs exequendis, & in omni ſua operatione, & interim ſycophantæ, doloſi, & ingeniati ad fraudes ordiendas. Quapropter Saturnus reputatus eſt malus, & maleficus, & appella-

tus.

tus Infortuna maior, minor enim infortuna est Mars. Sicut ex opposito, planetarum Iuppiter dicitur Fortuna maior, Venus vero Fortuna minor, Mercurius autem, tamquam Deorum nuncius, & interpres, per semetipsum neque Fortuna est, neque Infortuna, sed vt cuique coniungitur, sic mores commutat: coniunctus enim alicui, ex Fortunis, Ioui puta, aut Veneri, felicitatem auget: vt alicui ex Infortunis, Saturno vel Marti, earum exaggerat miserias. De Saturni frigiditate, ac malignitate inquit Pontanus lib. 1. de Stellis:

*Vltima forte senex loca possides, vltimus auras*
*Ambis, & aeterno constrictas frigore terras.*

Eiusdem malignitatis meminit Iuuenalis dicens sat. 6. versu 569.

*Hec tamen ignorat quid sidus triste minetur*
*Saturni, quo laeta Venus se proferat astro.*

Et Propertius lib. 4. eleg. 1.

*Aspicienda via est Cœli, verusque per astra*
*Trames, & ab Zonis quinque petenda fides*
*Felicesque Iouis stellae, Martisque rapacis,*
*Et graue Saturni sidus in omne caput.*

Vbi Propertius etiam, vt Persius graue denominat Saturni sidus, quod epitheton, grauis potuit Saturno adhesisse, nedum quia fingitur senex, vt pater Iouis, Neptuni, Plutonis, & aliorum: nec tantum ob motus tarditatem, vt diximus: sed etiam propterea, quia atram bilem, seu melancholiam excitat, melancholici autem graues sunt tam physicè, quam moraliter. Dictus etiam grauis, quia multis malis, nedum fortuitis, sed & physicis, & moralibus onerat natos sub eius dominio, quorum

aliquos iam enumerauimus: eorum ergo merito, grauis dici debuit.

*NOSTRO Ioue frangimus vna*. Non intelligit de Ioue Saturni filio, qui patrem, Cretæ expulit Regno, de quo ad versū 59. satyræ 2. sed de stella ex numero errantium, siue planetarum, posita in concauo Saturni, & Martis conuexo, vt plures volunt. Hoc sidus formæ clarioris, & amplioris, splendet maximè in oppositione solis, terrámque excedere dicitur nonagies quinquies, habereque suos asseclas, siue laterones, hoc est quatuor minores stellas quasi satellites, ipsum vt Regem perpetuo comitantes, circaque ipsum gyrantes, non quidē æquali, sed alias explicatiori, aliasque minori circuitu: nam quæ est illi vicinior, tribus tantum minutis ab eo elongata; intra quatraginta duarum horarum spatium, suum perficit cursum: remotissima vero, tredecim ab eo distans minutis, intra sexdecim dies, & horas octodecim, gyrum absoluit: reliquæ in medio existentes, vt magis, minusue ab eo discedunt, circuitum citius complent, vel tardius. Ipse vero cursum super Zodiaci polos, duodecim, vel circiter annorum spatio absoluit; sed exacta eius periodus, vt & motus reliquorum planetarum, est adhuc etiam Astronomis incomperta, & in eo semper antiquiores à recentioribus corriguntur. Obseruatumque istud volui circa proprium axem spatio horarum circiter decem, esseque exactè quidem orbiculare, habere tamen faciem veluti intersectam duabus saltem nigricantibus lineis, & quasi fascijs, vt Thelescopio cerni potest.

Sed

Sed de his videant Astronomi. Huius planetæ complexio, seu natura est eminenter calida, & humida, indeque, quum hæ qualitates sint maxime vitales, est ipse beneficus vitæ hominum, animalium, & cæterorum generabilium; & præter prosperam valetudinem, quam confert natis sub eius dominio, dare etiam putatur potentiam, vt Regna, & præfecturas, vel potentum amicitias, ideoque sidus illud dicitur Fortuna maior. Dicit ergo poeta: Nostro Ioue frangimus vna Saturnum grauem, quia benignitate huius sideris fortunantis, & nobis fauentis, vincimus, & superamus malignitatem, qua Saturni stella nos grauabat, & ea vitamus infortunia, quæ illa nobis inferre minabatur.

*FRANGIMVS*. Frango dictum est æuo posteriore, quum prius esset Frago: sicut prius dicebatur Tago, & Pago, quibus verbis quum N, insertum fuisset, factum est Tāgo, Pango, & frango. Creditur verbum factum per œnomatopoijam, à sono quem ædunt, quæ frangūtur, & quem exprimit littera R, antecedente consonanti. Sic Seruius ad illud 1. Georgicæ versu 357.

*Et aridus altis*
*Montibus audiri fragor*,

ait: *Aridus fragor*, *sonitus qualis solet fieri*, *ex aridis quum franguntur arboribus*. *ergo aridus*, *nimius*, *omne enim*, *quod aridum est*, *quum frangi cæperit*, *nimium efficit sonum*. Fragor etiā à fractarum rerum nominatus est sonitu. Sumitur etiam sæpe pro rumpere, siue id cum sonitu fiat, siue non; vnde nedum dicimur frā-

gere lignum, vel nucem, quod fit cum sonitu, sed etiam, absque eo crura, vel ceruices: immo metaphoricè pro incutere timorẽ, vel alterius consilia debilitare, illius audaciam, vel animum frangere dicimus. Sic Cicero lib. 1. epist. 4. ait: *Ad xvi Kalendas Februarias, quum in Senatu pulcherrimè staremus, quod iam illam sententiam Bibuli de tribus Legatis, pridiè eius diei fregeramus, vnumque certamen esset relictũ, sententia Volcatij, res ab aduersarijs nostris extracta est, varijs calumnijs.* Et eodem lib. 1. epist. 9. inquit: *Ille perennis inimicus amicorum suorum, qui tuis maximis beneficijs ornatus, in te potissimum fractam illam, & debilitatam vim suam contulit, nostram vicem vltus est ipse sese, ea est enim conatus, quibus patefactis, nullam sibi in posterum, non modo dignitatis, sed ne libertatis quidem partem reliquit.* Et eadem epist 9. ait: *Itaque eius omni, & gratia, quæ summa est, & opibus, quas intelligis esse maximas, sic fruor, vt meis Nec mihi aliter potuisse videor hominum perditorum de me consilia frangere, nisi cum præsidijs ijs, quę semper habui, nunc etiam potentium beneuolentiam coniunxissem.* Sed omissis alijs huius verbi significationibus, vtuntur eo Astrologi ad exprimendum impedimentum, quo vnum sidus prohibet, ne alterius eueniat effectus. Sic Statius 1. Siluar. carmine 3. versu 7.

*Talis hyems tectis, frangũt sic improba solem*
*Frigora, Pisæumque domus non æstuat annum.*

Nec solum id dicebant frangere, sed etiam mitigare, & ita Firmicus non semel dixit Saturnum Iouis radiationibus mitigari. Idemque si-

significatur per verbum temperandi, quo vsus Seneca 4. de benefic. js cap. 23. dicens: *Num dubium est, quin hic humani generis domicilium circuitus Solis, ac Lunæ vicibus suis temperet, quin alterius calore alantur corpora, terræ relaxentur, immodici humoris comprimantur, alligantis omnia hyemis tristitia frangatur: alterius tepore efficaci, & penetrabili rigetur maturitas frugum, &c.* Propriè igitur dictum est. Nostro Ioue frangimus Saturnum grauem, sicut Firmicus dixerat, Saturnum Iouis radiationibus mitigari, hoc est impediri ne nobis noceat. In eo autem, quod ait: Nostro Ioue frangimus Saturnum, vtitur metonymia effectus, nam causæ, idest Ioui, tribuit quod est in nobis: sidus enim nobis fauens, frangit seu impedit alterius malignitatem, ne nobis noceat.

*TEMPERAT*, aliquando est, concinnat, vel administrat. Sic Cicero initio Tusculanarum: *Meum iudicium semper fuit, omnia Nostros, aut inuenisse per se sapientius, quā Græcos, aut accepta ab illis, fecisse meliora, quæ quidem digna statuissent, in quibus elaborarent: nam mores, & instituta vitæ, resque domesticas, ac familiares, Nos profectò, et melius tuemur, & lautius. Rem vero publicam nostri maiores certè melioribus temperauerunt institutis, & legibus.* Verum hic temperare, est formare ad genium alterius, illius videlicet, cui res temperatur, vt illi placeat.

*ASTRVM*, & aster eo distinguuntur modo apud Græcos, sicut sidus, & stella apud Latinos, vt aster sit stella singularis, astrum earum multitudo, hoc est constellatio, vt Aries, Taurus,

rus,&c. Confunduntur tamen passim, vnde Virg. Eclog.9. versu 47.

*Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum.*

Et tamen Cæsari non aliqua constellatio, sed singularis tantum stella fuit attributa: ideoq; Seruius ibi ait: Astrum Græcè dixit, nam stellam debuit dicere, catachresticè astri vocem vsurpans. Volunt quidam Asteris, & Astri nomen esse à στῶ, aut στηριτικῶ, sto, quia manet & mouetur cũ cœlo, cuius est pars dẽsior, & veluti nodus in tabula. Vel vtrumq; Græcũ est à PersicoSter, sic enim ab eis dicitur stella; Hinc Persæ Esther Mardochęi appellarunt adoptiuã, & Zoroastrũ, quasi astrorũ Sacerdotem, Regem Battrianorum. Stella autem dicta, vel quod sit luminis, seu ignis stilla: Peripateticis enim tantum exceptis, cæteri ferè omnes, stellas igneę putabant esse naturæ: vel à stando, non enim credebantur moueri, nec etiam erraticas, seu planetas, nisi ad cœli motum. Vel à σελας, lumen, interposito T, vel à τέλλω orior, præposito sibilo, S: vel ab ἀστέρο astro, dempto A. Sidus autem iuxta Varronem, propriè dictum, quia insidat, stet, & consistat, inde non dicitur propriè nisi de stellis cœli octaui, seu fixis: non vero de planetis quorum vagus est cursus, quiue nec ab inuicem, nec ab alio, eamdem seruant perpetuò distantiam. Vel dictum sidus, quia sidet, vel subsidet, occidens enim in mare delabi, & subsidere videtur. Vel à συνοδ᾽ἐνο conuenio, quũ sit plurium stellarum conuentus. Vel à σύν καὶ εἰδεῖν simul & videre, nam plures stellæ simul conspiciuntur. Et ethymologiæ istæ nituntur

eo, quod ſtella ſit ſimplex, ſidus vero, conſtellatio ex multis coaleſcens. Sic Manilius lib. 5.

*formas diſtinguere tantum*
*Contenta, & ſtellis diſtinguere ſidera certis.*

Alij putant ſidus eſſe quidem ab εἴδειν, ideſt videre, ſed litteram ſerpentinam non eſſe à σύν, ſed ab eo, quod ſæpe ſpiritus mutatur in S, vt patet in ἱδὼς ſudor, ἕρος, ſerũ, & alijs, & ſic ſidus erit εἶδος forma, ſeu ſpecies, quia ſidera ſunt ſpecies, & figuræ Cœleſtes è ſtellis conſtantes, & in hæc inferiora influentes, à quibus aliqui dicuntur ſiderati. Qua voce licet Iulius Firmicus vtatur in bonum, dicens lib. 4. cap. 13. Hæc omnia licet à malo ſignata fuerint, talis ſiderationis influxu, beneuolarum ſtellarum, vt plurimum teſtimonijs minuuntur, Plinius nihilominus ait lib. 17 c. 24. *Sideratio tota cælo conſtat, quapropter grando in his cauſis intelligi debet, & carbunculatio, & quod pruinarum iniuria euenit. hæc enim uerno tempore inuitatis, & erumpere audentibus ſatis, mollibus inſidens, adurit lacteſcentes germinum oculos, quod in flore carbunculum vocant. Pruinæ perniciosior natura, quoniam lapſa perſidet gelat. que, ac ne aura quidem vlla depellitur, quia non fit niſi immoto aere, & ſereno. Proprium tamen ſiderationis eſt ab ortu canis ſiccitatum vapor, quum inſitæ, ac nouellæ arbores moriuntur, præcipuè ficus, & vites.* Siderationis morbus eſt etiam in hominibus, hinc Plin. ait l. 28. c. 16. *Sideratis vrina pulli aſinini, nardo admixto, per. unctione prodeſſe dicitur.* Hunc morbum Baccharæ imprecatur Martial. l 7. epigr. 90.

*Hoc opus eſt ſubito fias vt ſidere mutus*

Di-

*Dicere ne possis Baccbara quid sit opus.*

Concludit ergo nunc Persius, se nequaquam exploratam habere causam tantæ suæ erga Cornutum beneuolentiæ, refundendam tamen esse in aliquod astrum, sidus, & constellationē, proportionantem vnum alteri, & infundentem vtrisque inclinationes ad eadem studia, moresque consimiles. Quod vero ait, me tibi: dictum per metonymiam subiecti pro adiuncto: mores enim, siue stud a, in quibus est mutua temperatura, seu conformitas, sunt adiuncta accidentia personis. Nota Persij modestiam, qui, eques, & diues, non exigebat, vt Cornutus mores verteret ad ipsius voluntatem, sed ipse suos emendabat ad Cornuti normam.

## PARAPHRASIS TEXTVS PRIMI SATYRÆ QVINTÆ.

POetarum est consuetudo, optare sibi centum voces, totidemque linguas & ora, vt dignè valeant enunciare, quod intendunt, siue Tragœdias, seu scribere aggrediantur heroica, & res gestas Romanorum aduersus Parthos, spicula, seu sagittas extrahentes è pharetra pendente à latere, & circa inguina. Hic superueniens Cornutus, quærit quur talia concipiat vota, vel qualem verborum congeriem, etiam nolentibus, obtrudere paret, vt ad quendum, centum indigeat gutturibus? Grãdia certè loquentes, steriles colligunt ex monte Helicone nebulas, vt illi quibus feruet ahenum Prognes elixantis Itydis carnes à Tereo manducandas; Vel quo Atreus coxit carnes filio

liorum Thyestis: quas cœnas sæpius gustauit, ineptus Mimo Glyco: Tu vero neque folle ventos coherces, dum conceptuum massa disponitur in ardenti camino pectoris tui: Nec clausus tacito murmure ad modum cornicū, tecum graue aliquid ruminas; nec intendis sonum edere ex inflatis, & subito discissis buccis: immo veteris verbis Latinis, in foro Rom. vsu receptis, quibus prudens iudicaris censor morum alienorum, licet acer, vegetusque in compositione, nec absq; lepore, & iocis libero homine dignis, quibus vitia trāsfigas. Ex his tuis institutis deducere debes dicenda, & omittere cum Mycenæis cœnis, Tragica, reliqua, vel heroica, ad quæ tendere videris tot ora desiderans, contentus mensa paupere, sed secura, in qua non sint capita, & pedes filiorum absumptorum, vt in mensis Tyrannorum. Ad hæc Persius: Certè, mi Cornute, mea mens non fuit, vt mihi inflatis verbis grandescat pagina, apta addere ad fastum, & superbam opinionem, quam de me habeo: siquidem nunc tibi loquor absque testibus, secretè, tibi permitto examinare meas intimas cogitationes, vt videas quæ, & quanta pars meæ affectionis sit in tuo arbitrio. Tibi enim expedit aperire intima cordis mei, nam tua prudentia verum à falso secernere vales, & verum quæ voce exprimuntur, vera sint, an voces tantum adulatoriæ. Itaque optaui centum ora, vt exprom[e]rem quousque tuum amorē meo implantauerim cordi, & verbis, latentes manifestare[m] cogitationes. Nam quum primum à me relicta est prætexta puerilis,

que

quæ me custodierat, & ab ingresso iam ætatem maiorem, ad propriam vtilitatem assumpta est toga: Quādo bulla cum amuletis fuit à me donata Laribus: quando mihi adiungi potuere comites adhortantes ad voluptatem, & mihi tyroni concessus clypeus militaris, quo fretus impune meretrices aspicere, & alloqui poteram, quando inquam vitæ iter est ambiguum, & stultitia veram ignorans vitam, consistentem in virtutis, & honestatis sequela, & propterea ducit mentes fluctiuagas, incertasque, in biuium, vnde proponitur tam miseriæ via, quam semita felicitatis, meipsum tuo tradidi magisterio. Tu vero in illa ętate me susceptum, philosophico fouisti sinu, doctrinis erudiens, & vt prudens in tradendis præceptis, ostendisti mores prauos, vt eos emendarem, rectos etiam vt in eis proficerem. Animus vero rationum tuarum efficacia conuictus, etiamsi, vt sensui alligatus, vellet niti in oppositum, sequeretur nihilominus ductum rationis, & honestatem, quam ostendebas: ac ita, sub tuo magisterio, virtutis propositæ formam accipiebat: Itaque tecum memini consumere plures continuatosque dies, & tecum noctibus absumere epulas moderatas, conditasque studiosis, & honestis confabulationibus. Disponebamus enim pari voto, & consilio tam de agendis, quam de otiando, & quiescendo: & simul liberali, frugalique mensa resoluebamus, laxabamusque seria. Inde ambigere non debes, quin potius certo tibi persuadere, mores nostros certo quodam fœdere consentire, & deriuari ab vna

Cœ-

Cœlesti constellatione, siue quia Parca inexorabilis, & inflexibilis, quę est Fatum, æquali libræ trutinatione, nostra tempora & nos ipsos cum moribus, & inclinationibus suspendat, & libret: siue quia ascendens, idest Horoscopus, vel hora nata fidelibus, idest quæ apparuit dum nos fideles nasceremur, diuidat fata concordia, euenta & accidentia, seu inclinationes, & mores nostrum duorum, in geminos, hoc est in nos eosdem: vt nostro Ioue benefico, frangamus simul, vincamusque grauem Saturni malignitatem. Certè, quamuis nesciam in particulari dicere quodnam sit, aliquod tamen astrum, siue constellatio esse oportet, temperans, & proportionans me, moresque meos tibi, vnde mutua nascitur inter nos beneuolentia.

*Finis Textus primi Satyræ quintæ.*



TEX-

# TEXTVS SECVNDVS SATYRÆ QVINTÆ.



Vam erga Cornutum prædicauerat Persius beneuoléciam, illiusq; causas enumerauerat. Nunc Cornuti in se, Romanos, & mortales omnes exponit merita: omnes enim ille demereri, sapientiaque ornare paratus erat. Commendat autem Cornutum ex opposito ad mores, & studia inquinatorum, & vitiosi palam habitorum, vt enim vitijs virtutes, sic vitiosis contrarij, studiosos esse oportet. Vitia autem quibus Cornutum immunem dicit, sunt auaritia, libido, luxuria, & ambitio, ad quæ, vt ad fontes, alia reduci possunt: à quibus asserit Cornutum nedum liberum, sed docentem rationem, qua possint alij liberari ab eisdem, & malis quæ secum illa adferunt. Ideo exhortatur omnes, petere ex Cornuto præcepta, quibus possint esse felices. Et videns aliquos procrastinari, asserit moram illã nasci ex vitiorum seruitute, & quod nisi quis in libertatem se vindicauerit, beatus vel sapiens numquam esse poterit: ostenditque, vitijs inquinatos, duram seruire seruitutem, licet iure Ciuili sint liberi. Ait ergo:

*Mille*

*Mille hominum species, & rerum discolor vsus.*
*Velle suum cuique est, nec voto viuitur vno.*
*Mercibus hic Italis, mutat sub sole recenti*
*Rugosum piper, & pallentis grana cumini.*
*Hic satur, irriguo mauult turgescere somno*
*Hic campo indulget, hunc alea decoquit, ille*
*In Venerem est putris, sed quum lapidosa chiragra*
*Fregerit articulos veteris ramalia fagi,*
*Tum crassos transisse dies, lucemq; palustrem,*
*Et sibi iam seri vitam ingemuere relictam.*
*At te nocturnis iuuat impallescere chartis:*
*Cultor enim iuuenum purgatas inseris aures*
*Fruge Cleanthea. Petite hinc iuuenesq; senesq;*
*Finem animo certum, miserisq; viatica canis*
*Cras hoc fiet. Idem cras fiet. Quid? quasi magnum,*
*Nempe diem donas. Sed quum lux altera venit*
*Iam cras hesternum consumpsimus, ecce aliud cras*
*Egerit hoc annos, et semper paullum erit vltra*
*Nam quamuis prope te, quamuis temone sub vno*
*Vertentem sese frustra sectabere canthum,*
*Quum rota posterior curras, & in axe secundo*
*Libertate opus est, non hac qua ut quisque Velina*
*Publius emeruit, scabiosum tesserula far*
*Possidet. Heu steriles veri, quibus una Quiritẽ*
*Vertigo facit! Hic Dama est non tressis agaso?*
*Vappa, et lippus, & in tenui farragine mẽdax?*
*Verterit hunc Dominus, momento turbinis exit*
*Mar-*

Marcus Dama. Papæ, Marco spondente recusas
Credere tu nummos? Marco sub iudice palles?
Marcus dixit, ita est, assigna Marce tabellas;
Hęc mera libertas, hanc nobis pilea donant
An quisquã est alius Liber, nisi ducere uitam
Cui licet ut uoluit? licet ut uolo uiuere, non sum
Liberior Bruto? Mendose colligis inquit
Stoicus hic, aurem mordaci lotus aceto.
Hoc, reliquum accipio, licet illud, &, Vt uolo, tolle.
Vindicta postquam meus à Prætore recessi,
Quur mihi non liceat iussit quodcumque uoluntas
Excepto si quid Masuri rubrica notauit?
Disce, sed ira cadat naso, rugosaque sanna
Dum ueteres auias tibi de pulmone reuello.
Non Prætoris erat stultis dare tenuia rerum
Officia, atque usum rapidæ permittere uitæ.
Sambucam citius caloni aptaueris alto.
Stat contra ratio, & secretam gannit in aurem
Ne liceat facere id, quod quis uitiabit agendo.
Publica lex hominum, naturaque continet hoc fas,
Vt teneat uetitos inscitia debilis actus.
Diluis helleborum certo compescere puncto
Nescius examen? uetat hoc natura medendi.
Nauem si poscat sibi peronatus arator
Luciferi rudis, exclamet Melicerta, perijsse
Frontem de rebus. Tibi recto uiuere talo
Ars dedit, & ueri speciem dignoscere calles
Ne qua subærato mendosum tinniat auro?
Quæq; sequenda forent, et quę uitanda uicissim
Illa prius creta, mox hęc carbone notasti?

Et

*Et modicus uoti, presso lare, dulcis amicis*
*Iam nunc adstringas, iam nũc granaria laxes,*
*Inque luto fixum possis transcẽdere nummum,*
*Nec gluto sorbere saliuam Mercurialem ?*
*Hęc mea sunt. Teneo. Quum verè dixeris, esto*
*Liberque, ac sapiens, Prætoribus, ac Ioue dextro .*
*Sin tu quũ fueris nostræ paullo ante farinę*
*Pelliculam ueterem retines, & fronte politus*
*Astutam uapido seruas sub pectore uulpem,*
*Quę dederam supra, repeto, funemque reduco:*
*Nil tibi concessit ratio, digitum exere, peccas:*
*Et quid tam paruum est ? sed nullo thure litabis*
*Hęreat in stultis breuis, ut semuncia recti:*
*Hęc miscere nefas, nec quum sis cętera fossor*
*Treis tantum ad numeros satyri moueare Bathilli .*
*Liber ego ? Vnde datum hoc sumis tot subdite rebus ?*
*An dominum ignoras nisi quem uindicta relaxat ?*
*I puer, & strigiles Crispini ad balnea defer.*
*Si increpuit, Cessas nugator: Seruitium acre*
*Te nihil impellit? nec quidquam extrinsecus intras,*
*Quod neruos agitet ? sed si intus, & in iecore ęgro*
*Nascuntur domini, qui tu impunitior exis,*
*Atque hic quem ad strigiles, scutica, & metus egit herilis ?*

# COMMENTARIVM IN TEXTVM SECVNDVM SATYRÆ QVINTÆ.

*Mille hominum species, & rerum discolor usus, Velle suum cuique est, nec uoto uiuitur uno.* Mille hominum species, subintellige substantiuum, sunt, omissum elegantiæ causa. Est autem species, idea, forma, imago, vel effigies alicuius rei: & licet per metonymiam aliquando ponatur pro actu aspiciendi, proprie tamen importat obiectum ad quod aspectus terminatur. Sic Virg. 2 Æn. versu 403.

*Ecce trahebatur passis Priameia uirgo*
*Crinibus, à téplo Cassandra, adytisq; Mineruæ,*
*Ad cælum tendens ardentia lumina frustra:*
*Lumina, nã teneras arcebant uincula palmas.*
*Non tulit hanc speciem furiata mẽte Chorœbus,*

idest non sustinuit Chorœbus id videre. Et quia quod excellit specie, idest forma, & pulchritudine, vt aspici dignum, intuentium oculos trahit, inde species pro pulchritudine ponitur, dictumque, speciem Priami dignam esse imperio, vel, speciem esse regnum sine satellitio, confunditurque cum pulchritudine. Sic Ouid. 7. Metam.

*Nempe tenens, quod amo, gremioque in Iasonis hærens* (timebo,
*Per freta longa ferar? Nihil illum amplexa*
*... ut si quid metuam, metuam de coniuge solo.*
*Coniugiumne putas? speciosaq; nomina culpæ*

*Im-*

*Imponis Medea tuæ? quin aspice quantum*
*Aggrediare nefas,& dum licet effuge crimen.*
*Dixit,& ante oculos rectum, pietasq; pudorq;*
*Constiterant,& victa dabat iã terga Cupido.*
*Ibat ad antiquas Hecates Persefdos aras,*
*Quas nemus umbrosum,secretaq; silua tegebat:*
*Et iam fractus erat,pulsusq; resederat ardor:*
*Quũ uidet Æsonidẽ,extinctaq; flãma relaxit,*
*Et rubuere genę, totoque recanduit ore.*
*Vt solet à uentis alimenta resumere,quæque*
*Parua subinducta latuit scintilla, fauilla*
*Crescere,& in ueteres agitata resurgere uires,*
*Sic iam lenis amor,iã quem languere putares,*
*Vt uidit iuuenem,specie præsentis inarsit.*

Sic Plautus Milite glorioso Actu 4. sc.2.
*Quę amat hunc hominem nimium lepidum,&*
*nimia pulchritudine*
*Militem Pyrgopolinicem.*
Miles. *Satin hæc quoque me deperit*
*Meam laudat speciem.*

At Dialectici,eam dicunt esse speciem,quæ de pluribus solo numero differentibus prædicatur, vt homo de Socrate, atque Platone & alijs: ita dicta quia multitudo collecta, vno quasi mentis aspectu complecti, cognoscique potest. Verum nullo ex his modis propriè accipi potest,quod hic dictum est, Mille hominũ species:sed parum deflectendo ab hac vltima, quam diximus dialecticorum, habebimus quod querimus. Vt enim Socrates, Plato, & alij singulares homines, humanam cõstituunt speciem, eo quod conueniant in vnica humanitatis natura, & essentia, etiam si ab inuicem differant numericis, idest materialibus, & ac-

ci-

cidentalibus differentijs, ita qui conueniunt in vno aliquo studio, vel professione, mercatura puta, militia, vel agricolatione: & differunt circumstantijs indiuidualibus, dicentur constituere illam speciem, non quidem substantialem, quia non in eo, quod sunt homines, sed accidentalem, ratione studiorum, habituum, vel inclinationum. Et quia plures sunt huiusmodi professiones, ad quas homines propendent, hinc, ponendo determinatum, pro numero indeterminato, dictum est esse *mille hominum species*.

*ET rerum discolor usus*. Discolor est tum res diuersis distincta, & variata coloribus, tum cuius color subinde mutatur. Sic Martial. lib. 14. epigr. 17.

*Hæc mihi bisseno numeratur tessera puncto*
*Calculus hic gemino discolor hoste perit*.

Horatius metaphoricè dixit lib. 1. epist. 18.

*Vt matrona meretrici dispar erit, atque*
*Discolor, infido scurræ distabit amicus*.

Cuius oppositum est concolor, idest eiusdem, vel similis coloris; sic Martialis lib. 2. epigrammate 42. ait:

*Immodici tibi flaua tegunt Chrysendeta mulli*
*Concolor in nostra Cammare lance rubes*.

Vult ergo rerum vsum, speciem, & apparentiam esse discolorem, variam atque mutabilem, quia vt quisque est in se affectus, sic sibi exteriora videntur, quia vt ait Augustinus Palato non sano pœna est panis, qui sano est suauis, & oculis ægris odiosa lux, quæ puris est amabilis. Et ita res eędem aliter sæpiune eidem homini in pueritia, aliter in stata, vel de.

decrepita ætate, aliter dum prospera, aliter dum infirma vtitur valetudine. Ex quo fit plerosque iudicare magis secundum affectum & apprehensionem, quam secundum rei veritatem, quia vnumquodque recipitur ad modum recipientis. Vnde quamuis vnusquisque profiteatur se cupere beatitudinem, & ad illã suas derigere operationes, difficultas est tamen in iudicando de obiecto beatifico, num more Epicureorum ponatur in corporeis voluptatibus, vt ab illis, de quibus dicitur Philippensium 3. *Quorum Deus venter est*: an in virtutum honestate, vel sola, vel coniuncta alijs bonis, vt à Stoicis, & Academicis. Nam de huiusmodi finis constitutione, controuersia erat, apud philosophos, quorum tamen quilibet, felicitatem suis asseclis promittebat.

*VELLE suum cuique est, nec voto viuitur vno*. Idem repetit, quod præcedenti dixerat versu, nam paucis verbis quater eandem repetit sententiam: quod adeo absurdum visum Casaubono, vt in Persiana Horatij imitatione, affirmare non dubitauerit, horum versuum alterum esse superfluum, & additum sine causa, quia nedum bis dicit idem ( id quod in Eschilo Comicus reprehendit ) sed ter, immo quater. At nobis locus iste videtur elegantissimus, non enim, vt Casaubono placeamus, Exergasiam ab oratione ablegabimus, quam ad ornatum adhibuerunt summi viri, nedum poetæ, quorum est licentia maior, sed etiam Oratores, & ipse Romanæ eloquentiæ pater, non tantum in 2. Catilinaria, quam sic inchoat: *Tandem aliquando Quirites, L. Catilinam*

*furentem audaciæ, scelus anhelantem, pestem patriæ nefariè molientem, vobis atque huic Vrbi ferrum, flammamque minitantem, ex Vrbe vel eiecimus, vel emisimus, vel ipsum egredientem Vrbe, prosecuti sumus: Abijt, excessit, euasit, erupit.* Sed etiam in illa clarissima pro Milone vbi ait: *Hæc noua iudicij forma terret oculos, qui quocumque inciderint, veterem consuetudinem fori, & pristinum morem iudiciorum, minimè vident.* Et idem sæpissimè in alijs. Vel dices hic esse Epinome, idem præstans quod Exergasia, schema quidem elegantissimum, & frequens nedum apud poetas, & oratores, sed etiam in sacris litteris, vt ostendimus in Inst. Orat. lib. 3. Tract. 3. cap. 1. Valeat ergo Casaubonus, nosq; dicamus: Persium quater eãdem repetẽdo sententiam eleganter locutum, & generalem thesin diuersis expressisse verbis, quod vsurpauit etiam Horatius 2. serm. sat. 1. nisi quod præposuit exempla particularia, ex quibus generalem collegit thesin: Persius è contra à generali descendit ad singularia, vt videbimus. Verba Horatij sunt:

*Quid faciam? saltat Milonius, vt semel icto*
*Accessit feruor capiti, numerusque lucernis.*
*Castor gaudet equis; ouo prognatus eodem*
*Pugnis: Quot capitum viuunt, tot studiorum*
*Millia.*

Sic Terentius Phormione Actu 2. scena 3.

*Quot homines, tot sententiæ, suus cuique mos.*

Et Ouid. 1. de Arte:

*Pectoribus mores tot sunt, quot in orbe figuræ.*

Quod autem hic dicitur: Velle suum cuique est, to Velle, non est verbum, desiderare, vel ap-

appetere, sed est nomen importans, appetitum seu desiderium. Sic Martial. lib. 5. epig. 124.

*Insequeris? fugio. Fugis? insequor, hæc mihi mens est,*

*Velle tuum nolo Dindyme, nolle volo.*

Inde quod hic dicere intendit, est, vnumquemque propriam habere voluntatem, qua plerumque appetit ea, quæ alius respuit: nec omnes viuere vno voto idem desiderante, & sentiente.

*MERCIBVS hic Italis mutat sub sole recenti rug sū piper, et pallētis grana cumini* Ordo est: Hic sub sole recenti, mutat piper rugosum, & grana cumini pallētis, mercibus Italis, idest Italicis. Incipit nunc specialiter recensere ea, quæ generaliter dixerat, quosdam his, alios diuersis studijs oblectari, & ita aptissimè ad hominum vitia reprehendenda descendit. Ait ergo: quosdam inclinare ad mercaturam, eamque exercere commutando merces Italicas, cū Indicis, Ethiopicis, vel Orientalibus. Et refert hanc mercium commutationem fieri sub sole recenti: quod esto possit commodè intelligi dictum, ad innuendam mercatorum solertem vigilantiam, qua, valde mane, seu primo diluculo expergiscuntur, & surgunt, vt suis incumbant negotijs: melius tamen dicemus, sub sole recenti esse terras Orientales, in quibus (saltem per respectum ad nostram Italiam, & Europam) sol nasci videtur, & ita esse ibi recens. Piper enim quo commutari iubentur merces Italicæ, in India Orientali nascitur, vnde, nedum tempore, quo Romanum florebat imperium, sed etiam quum, post eius decli-

nationem, Ægyptus in Mahometanorum venit poteſtatem, Alexandrinum deferebatur in Emporium, indeque, cum alijs Indicis, vel Ethiopicis mercibus, precio, vel æquiualenti ſpecie data, Europæi mercatores, etiam Chriſtiani, ipſum adſportabant: quouſque ſub auſpicijs Alphonſi Luſitaniæ Regis, inſtituta fuit nauigatio in Indiam per Oceanum Atlanticum, Africæ coſtam legendo: nam ex tunc eiuſmodi merces, & aromata omnia, cunctaq; Orientalia precioſa, & peregrina, Luſitaniam exportari cœperunt, ingenti cum mœrore Caliphæ, ſeu Sultani Ægyptiorum, qui nullum non mouit lapidem, quo Luſitaniæ Regem ab huius nauigationis incepto, diſtraheret, vel deterreret. Perſtitit tamen ille, non minore cum ſui nominis gloria, quam cum ſui Regni, & totius Chriſtianitatis vtilitate. Merces autem Italæ intelliguntur hic, quę in Italia proueniunt, & quæ inde ad alias partes aſportantur, (quandoquidem non omnis fert omnia tellus) vt cum exoticis commutarentur: & ita aſſerit, mercatores, datis mercibus Italicis, accipere piper, aliaque Indica: nam quãuis piperis arbor viuat etiam in Italia, iuxta Plinium dicentem lib. 12. cap. 7. *Piperis arborem iam & Italia habet, maiorem myrto, nec abſimilem: amaritudo grano eadem, quæ piperi muſteo creditur eſſe: deeſt toſta illa maturitas, ideoque & rugarum, colorisque ſimilitudo*. Et lib. 16. cap. 32. ait: *Viuit in Italia piperis arbor*: non tamen tam copioſè fructificat, vt ſufficere poſſit tot ganeonum ſcitamentis. Meritò etiam piper denominatum eſt rugoſum, nam

vt

vt ait Plinius loco citato lib. 12. cap. 7. *Passim quæ piper gignunt, iuniperis nostris similes, quã-quam in fronte Caucasi solibus opposita gigni tã-tum eas aliqui tradidere, semine à iunipero di-stãt paruulis siliquis, quales in faseolis videmus. Hæ priusquam dehiscant, decerptæ, tostæque sole, faciunt, quod vocatur, piper longum: paulatim vero dehiscentes, maturitate ostendunt candidum piper, quod deinde tostum solibus, colore, rugisq; mutatur.* Matthiolus lib. 2. in Dioscoridem cap. 13. ait: Piper mense Octobri per maturitatem decerpi, & sub feruenti sole tegetibus palmeis expansum, torreri, quousque nigrescat, & rugosum euadat, quod tridui spatio, plerumque fit. De qualitatibus huius speciei, & quomodo quum calida sit, & sicca, ciborum condimentis censeatur aptissima, passim loquuntur medici, naturalistæ, & cupedinarij, nobis ea referre sufficit, quæ dicit Plinius lib. 12. cap. 7. *Vsum eius adeo placuisse mirum est; in alijs quippe suauitas cæpit, in alijs species inuitauit: huic nec pomi, nec baccæ commendatio est aliqua, sola placere amaritudine, & hanc in Indos peti. Quis ille primus experiri cibis voluit? aut cui in appetenda auiditate, esurire non fuit satis?*

*ET pallentis grana cumini.* Afferit nedum piper commutatum esse mercibus Italicis, sed etiam cuminum, siue dicas cyminum, nam y frequenter abit in V, vt patet in Amphitryo, Amphitruo, Cypressus, Cupressus, & alijs: à quo auarus, qui nec minutum cymini granum integrum dare sustineat, quin illud secet in partes, dictus Cymino prifles. Est autem cu-

minus herba, & semen, in Ægypto, vel Ethiopia nascens, vehementis adeo palloris, vt eum transfundat in bibentem, vel eo perunctum, ita vt mulier, etiam cerussata, si cumini granum mandat, ruborem, nedum naturalem, & sanguineum, sed etiam tectorium ex minio, vel alio fuco, perdat, cõtrahatque pallorem. Hinc ait Plinius lib. 20. cap. 14 *Cuminum siluestre est prætenue, quaternis, aut quinis folijs, veluti serratis: sed satiuo magnus vsus, in stomachi præcipuè remedijs: discutit pituitas, & inflationes, tritum & cum pane sumptum, vel potũ ex aqua, vinoque tormina quoque, & intestinorum dolores. Verumtamen omne pallorem bibentibus gignit: Ità certè ferunt Porcij Latronis, clari inter magistros dicendi, adjectatores. similitudinem coloris, studijs contracti, imitatos. Et paulo ante Iulium Vindicem adsertorem illum, à Nerone libertatis, captatione testamenti sic lenocinatum: Narium sanguinem, pastillis inditum, vel ex aceto, recens sistit: & oculorum epiphoris per se impositum, tumentibus cum melle; prodest infantibus, imponi in ventre satis est. Morbo regio in vino albo, à balneis datur.* Et subdit cap. 15. *Æthiopicum maximè in posca illinitur cum melle: Africano priuatim urinæ incontinentiam cohiberi putant. Satiuum datur ad iocineris vitia tostum, tritum in aceto: item ad uertiginem: ijs vero, quos acriore ui urina mordeat, in dulci tritum uino. Ad uuluarum uitia in uino, præterque impositis uellere folijs: testium tumoribus, tostum, tritumque cum melle, aut rosaceo, & cera. Siluestre ad omnia eadem efficacius: præterea ad serpentes cum oleo, ad scorpiones, ad scolopendras:*

*dras: sistit uomitiones nauseasque ex uino, quantum apprehenderint tres digiti. Propter colum quoque bibitur, illiniturque uel penicillis feruens adprimitur fascijs. Strangulationes uuluæ potum in uino aperit, tribus drachmis in tribus Cyathis uini. Auribus instillatur ad sonitus atque tinnitus, cum seuo uitulino, uel melle. Sugillatis illinitur cum melle, & una passa, & aceto: lentigini nigræ ex aceto. Est cumino simillimum, quod Græci uocant ammi: quidam uero Æthiopicum cuminum id esse existimant: Hippocrates regium appellat, uidelicet quia efficacius in Ægypto iudicauit: plerique alterius naturæ in totum putant, quoniam sit exilius, & candidius. Similis autem, & huic usus: namque & panibus Alexandrinis subditur, & condimentis interponitur: inflationes, & tormina discutit, urinam, & menstrua ciet, sugillata & oculorum epiphoras mitigat: cum lini semine scorpionum ictus in uino potum drachmis duabus, priuatimque cerastarum, cum pari portione myrrhæ: Colorem quoque bibentium similiter mutat in pallorem. Suffitum cum uua passa, aut resina, uuluas purgat. Tradunt facilius concipere eas, quæ odorentur id per coitum.* Ad hunc pallorem respexit Horatius dicens lib. 1. epist. 19.

*Decipit exemplar uitijs imitabile, quod si*
*Pallerem casu, biberent exsangue cuminum.*

Sic & Q. Serenus de medicando oculorum dolore loquens ait cap. 14.

*Si uero horrendum ducent glaucomata peplū,*
*Spiritus alterius prodest, qui grana cumini*
*Pallentis mandens, uisus exhalat in ipsos.*

Et loquens de medendo typo tertianæ, ait

idem Q. Serenus Samonicus cap. 51.

*Vt poſſis igitur talem prohibere furorem,*
*Inuolues cera pallentis grana cumini*
*Puniceæque indes pelli, colloque ligabis.*

Ideo autem dixit, mercatorem iſtum mutaſſe merces Italas cum Indicis, & Æthiopicis, pipere, & cumino, quia, vt docet Ariſtoteles 5. Ethicorum cap. 8. Antiquitus ita commercia exercebantur, vt vnus, hanc, alius illam habẽs mercem, inuicem ea traderent, & permutarẽt, indeque dictum commercium, quaſi mercium commutationem : ſed quum non omnibus ſuperfluerent ea, quibus alij indigebant, abundantes ijs quæ erant etiam apud alios, quum non poſſent merces mercibus commutare, inuenerunt pecuniæ vſum, & veluti ſubſidium cõmutandarum merciũ nũmus cõpoſitus eſt, & ob hoc nũmus vocatur, quod non à natura, ſed à lege (quæ nomos dicitur) eſt inductus. Et ſubdit ibidem Ariſtoteles. [ Si non indigeant ad inuicem, vel ambo, vel alter, non fit permutatio, quemadmodum quando eius, quod ipſe habet, quis indiget, veluti ſi vino indigeant, & triticum exportandum tradant, opus eſt igitur hoc adæquari. Pro futura vero permutatione facienda, quum opus fuerit, ſi nunc nihilo indiget, nummus quaſi expromiſſor quidam nobis eſt: patet enim, quod qui hunc adfert, accipere poſſe patitur, certè hoc idem! non enim ſemper æquum valet, verumtamen vult manere magis, quamobrem oportet omnibus rebus precium eſſe, nam ſic permutatio erit ſemper, ſi autem hæc erit, & ſocietas erit : nummus ergo tamquam menſurã

adæ-

adæquat. Neque enim sine permutatione societas esset, neque permutatio sine adæquatione, neque adæquatio sine mensura. Re igitur vera impossibile est adeo inter se diuersa conuenire: verum pro indigentia vnum quiddam esse conuenit, & hoc ex instituto, itaque nummus vocatur, hoc enim omnibus mensuram adhibet, nam omnia metitur nummus.] Sic Virg. Ecloga 4. versu 37.

*Hinc, ubi iam firmata uirum te fecerit ætas*
*Cedet, & ipse mari uector, nec nautica pinus,*
*Mutabit merces, omnis feret omnia tellus.*

Eiusdem commutationis mercium meminit Horatius, dicens 1. serm. sat 4.

*Hic mutat merces surgente à sole, ad eum quo*
*Vespertina tepet regio.*

Et idem 2. serm. sat. 7.

*An hic peccat sub noctem qui puer uuam*
*Furtiua mutat strigili: qui prædia uendit*
*Nil seruile gulæ parens habet?*

Vbi Horatius visus Enallage, seu casuum commutatione, vt etiam Persius hic: res enim tradita, vt strigil furtiuum, vel merx Itala, accusandi requirebat casum, vua vero & piper, vel cuminum, pro quibus illa dabatur, auferendi. sed ferè ad mercimonium peragendum, adhibita est enallage. At Salustius propriè locutus de bello Iugurthino dicit: *Statuit Metellus quamquam, & æstiuorum tempus comitiorum mora imminuerat, &, expectatione euentus, Ciuium animos intentos putabat, non prius bellum attingere, quam maiorum disciplina milites laborare coegisset. Nam Albinus Auli fratris exercitusque clade perculsus, postquam*

*decreuerat non egredi Prouincia, quantum temporis æstiuorum in imperio fuit, plerumque milites in statiuis castris habebat, nisi quum odor, aut pabuli egestas locum mutare subegerat. Sed neque more militari uigiliæ deducebantur, uti cuique libebat ab signis aberat: lixæ permixti cum militibus, diu noctuque uagabantur, & palantes agros uastare, uillas expugnare, pecoris, et mancipiorum prædas certatim agere, eaque mutare cum mercatoribus uino aduectitio, & alijs talibus.*

*VB sole recenti.* Recens propriè dicitur nouum, quod nuper esse incœpit. Sic Cicero pro Cæcina; *Commemorarem non solum ueterum, sed horum etiam recentium, uel Ducum, uel Comitum suorum grauissimos casus.* Sic Virg. 3 Georg. versu 300.

*Post hinc digreßus iubeo frondentia capris*
*Arbuta sufficere, & fluuios præbere recentes.*

Et eodem lib. 3 versu 155.

*armentaque pasces*
*Sole recens orto, aut noctem ducentibus astris,*

vbi recens est aduerbium idem valens, ac recenter, siue nuper. Et quia, quod nuper incepit opus, validum esse solet, vt è contra, quod diu fuit in opere, defatigatum, & quasi viribus effœtum, ac languidum, hinc recens sumitur pro forti, & vegeto. Et ita Phœbus, vt Phætontem filium à proposito deterreret regendi currum solarem, ait apud Ouidium 2. Metamorph.

*Ardua prima uia est, & qua uix mane recētes*
*Enituntur equi.*

Sed quod hic dicitur *Sub sole recenti*, denotat par-

partes Orientales, vbi primum sol ex Oceano prodire videtur, & ita esse recens, vt in Occidente putabatur, vt lassus tendere in requiē in Thetidis sinu, & Oceano Lusitanico, quasi ad eluendum exantlati laboris sudorem.

*HIC satur irriguo mauult turgescere somno.* Satur est à sat, vel à satis, à quo etiam est satiare, & satietas, & saturare, & saturitas. Et licet quidam velint, saturare, & saturitatem dici tantum de cibis: de aljs vero rebus satietatem, & satiare, discrimen tamen istud ab optimis negligitur scriptoribus, vt legendo quiuis poterit obseruare, nobis vnus Plinius sufficiat, dicens saturum pro pleno, & copioso, sic enim ait lib.37. cap.10. *Ion apud Indos violacea est, sed raro saturo colore lucet.* Fateor nihilominus frequentius accipi pro pleno cibi, potionisque. Sic Terent. Adelphis Actu 5. scena 1.

*Sed postquam intus sum omnium rerū satur,*
*Prodeambulare huc lubitum est.*

Et idem Terentius Hecyræ Actu 5. scena 2.

*Sed quum tu satura, atque ebria eris, puer ut*
*satur sit facito.*

Et hoc modo nunc sumitur, nam qui cibis, potuque se ingurgitauerunt, crapulam obdormiscere solent.

*IRRIGVO somno.* Irriguum sumi potest tam passiuè, pro eo quod facilè potest rigari: quam actiuè pro disposito ad rigandum. Passiue accepit Horatius, dicens 2. serm. sat. 1.

*neque dormire, ter uncti*
*Transnāto Tiberim: somno quibus est opus alto*
*Irriguumque mero sub noctē corpus habento.*

Sic Cato de RR. cap 1. *De omnibus agris optimoq; loco si emeris iugera agri centum, uinea est prima. si uino multo fiet: secundo loco hortus irriguus: tertio salictum, quarto oletum, quinto pratum, sexto campus frumentarius: septimo silua cædua, octauo arbustum: nono glandaria silua.* Actiuè verò sumpsit Virgilius dicens 4 Georg. versu 32.

*irriguumque bibant uiolaria fontem.*

Et 3. Æneid. versu 509.

*Sternimur optatæ gremio telluris, ad undam*
*Sortiti remos, passimque in littore sicco*
*Corpora curamur, fessos sopor irrigat artus.*

Itaque somnus dictus irriguus actiuè, irrigat enim, hoc est humectat corpora, adeout dormientes facilius, & copiosius plerumque quam laborantes in sudorem resoluãtur. Hinc Lucretius lib 4. versu 904.

*Nunc quibus ille modis somnus per membra quietem*
*Irriget, atque animi curas è pectore soluat,*
*Suauidicis potius, quã multis uersibus edam.*

A cibo siquidem somnus obrepere solet, vnde hic dictum: *Satur irriguo mauult turgescere somno.* Tunc enim calor confugit ad intima, vt ciborum vacet concoctioni, & vapores extractos ex esculentis, poculentisque materijs, submittit in cerebrum, quod inde grauatum, obrutumq; cogitur in somnum, qui est quedã epilepsię species: & per poros humorẽ in sudorem emittit. Ex eadem igitur causa veniunt somnus, & sudor, ideo per metonymiam potuit hic somnus dici irriguus. Nisi malis somnum denominatum irriguum, quia vt herbæ, plan-

plantæque, post lõgam terræ ariditatem, aqua irrigatę, situm deponunt, refocillantur, & reuirescunt, ita corpora diurno fessa labore, somno, & quiete recreantur.

*MAVULT*, asseritur dictum per epenthesin, quasi aliquid sit additum in medio dictionis, & sit idem ac malit, vt idem significat. At mihi videtur in Mauult esse tantum syncopen, vel apocopen; in malit vero esse, vel duplicem syncopen, vel apocopen simul, & aphęresin. Vtraque enim hęc dictio est composita ex magis, & vult, cum hac tamen differentia, quod dicendo malit, aufertur finis prioris dictionis, magis, & initium posterioris, vult, & ita est apocope, & aphęresis, seu duplex sincope; at dicendo mauult, integra seruatur posterior pars componens, & tantum aufertur finis prioris, dictionum componentium, & propterea interuenit, vel simplex sincope, vel apocope tantum.

*TURGESCERE*, quid sit, dictum supra ad illa verba versus 21. *Pagina turgescat.* Sic Varro de RR. lib. 3. cap. 9. *Obijciendum pullis diebus quindecim primis, mane, subiecto puluere, (ne rostris noceat terra dura) polentã mixtã cum nasturtij semine, & aqua aliquanto ante facta intrita: & ne tum deinde in eorum corpore turgescat aqua prohibendum.* Sic Plinius de capris loquens ait lib. 8. cap. 50. *Concipiunt Nouembri mense, ut Martio pariant, turgescentibus virgultis.* Verum hic turgescere, non est modo quocumque inflari, sed adipari, & pinguedinem, obesitatemque cõtrahere; nam vt plantę irrigatæ crescunt quaqua versus, ita animalia

fon-

ſonno ſaginantur: vnde glis ait apud Martial. lib. 13. epigr. 53.

*Tota mihi dormitur hyems, & pinguior illo*
*Tempore ſum, quo me nil niſi ſomnus alit.*

*HIC campo indulget.* Campus iuxta Varronem l. 4. LL. à capiendo dicitur, nam ex agro plano copioſiorem capiebant fructum. Alij dictum volunt à καμπτῆς, hippodromo, ſeu flexu equorum circa metam, vnde camptare eſt flectere, & camptores dicti, qui pecunias ex vno in alium locum flectunt, ideſt transferunt per litteras colibiticas. Campus ergo in primis eſt planities ampla. Sic Virg. 7. Æneid. verſu 485.

*Tyrrheuſq; pater, cui regia parent*
*Armenta, & latè cuſtodia credita campi.*

Et eodem l. 7. Æneid. v. 781.

*Filius ardentes haud ſecius æquore campi*
*Exercebat equos curruq; in bella ruebat.*

Et talis planicies eſſe ſolet in agris culturæ aptis, vt in campis dictis Diomedis in Apulia Daunia, vel in eadem Apulia illi, in quibus à Carthaginenſibus, & Annibale tot Romanorum millia ſub Terentio Varrone, & Paulo Æmilio cęſa fuere pugna Cannēſi, vt Romanū credi potuerit nomen deletū; & ita accipiendo nomen campi, indulgere campo, eſſet vacare agriculturæ. Verum quum hic poeta ea commemoret hominum ſtudia, quæ ſunt reprehenſione digna; agricolatio vero laudetur paſſim ab omnibus, non eſt ita intelligendus. Campus etiam, licet metaphoricè, dicitur mare placatum, hoc enim vt à ſuperficiei æqualitate dicitur æquor, ita ab eiuſdem plana latitu-

dine

dine appellatur campus. Sic Virg. 1. Æneid. versu 39.

*Vela dabant læti, & campos salis ære ruebāt.*

Et ita indulgere campo esset vacare nauigationi, quod certè studium, vt plenum temeritatis, ita dignum reprehensione: sed quia solet institui causa commutationis mercium, de quo proximè dictum, non videtur de eo iterum meminisse. Campus vlterius est locus, spacium, vel planicies, in qua pugiles exercebantur, vt Campus Martius, Vaticanus, & alij Romæ in quibus pugnabāt lucta, cursu, saltu, disco, cestu: vel à gladiatoribus, bestijs, & alijs certabatur; in eisdē cāpis etiam fiebant equorum, & quadrigarum cursus, & inundatis aqua, naumachiæ: ad quas pugnas conueniebat multitudo, nedum pugnantium, sed etiam spectantium. Eorumq; meminit Augustinus ad Bonifacium contra duas epistolas Pelagianorum lib. 1. cap. 16. *Neque enim primi homines sibi tunicas, ut totum corpus tegerent, post peccatum, sed succinctoria consuerunt, quę nonnulli interpretes nostri minus diligentes, tegmina interpretati sunt: quod quidem verum est, sed generale nomen est tegmen, quo indumentum, & operimentum omne possit intelligi, Et ideo debuit ambiguitas euitari, ut quemadmodum Græcus perizomata posuit, quibus non teguntur, nisi pudendæ corporis partes, sic & Latinus, aut ipsum Græcum poneret, quia & ipso iam consuetudo vtitur pro Latino: vel, sicut quidam, succinctoria: uel, sicut alij melius, campestria nominarunt: ex illo quippe hoc nomen est, quod pudenda iuuenes tegebant, antiquo mo-*

*re Romano, quando nudi exercebantur in campo, unde campestrati appellantur hodie, qui eadem membra, cingendo, cooperuerint. Quamquam si ea, quibus peccatum est, tegenda fuerunt post peccatum, ne tunicis quidem indui debuerunt, sed manum, & os tegere, quia sumendo, & vescendo peccauerunt: quid sibi ergo vult, quod accepto prohibito cibo, quum fuisset precepti facta transgressio, in illa membra aspectus intenditur? Quę ibi nouitas ignota sentitur, & se compellit aduerti, quod apertione significatur oculorum? Neque enim eis, vel quando ille nomina pecoribus, & uolucribus imponebat, vel quando illa pulchrum lignum uidit, & bonum, oculi non patebant, sed aperti, hoc est, intenti ad intuendum facti sunt. Sicut scriptum est de Agar ancilla Saræ, quod aperuit oculos suos, & vidit puteum, quos clausos utique non habebat. Vt ergo nuditatis suę, quam quotidie profecto intuebantur, nec confundebantur, eos subito sic puderet, ut membra illa iam nuda ferre non possent, sed statim operire curarent, nonne & ille in motu aperto, & illa in occulto, contra suæ uoluntatis arbitrium, inobedientia illa membra senserunt, quibus utique nutu voluntario, sicut cæteris, dominari debuerunt? Quod merito passi sunt, quia & ipsi obedientes suo domino non fuerunt. Erubuerunt ergo ita se creatori suo non exhibuisse seruitium, vt in eis membris, ex quibus filij essent procreandi mererentur accipere dominatum.*
Et de tali campo puto nunc loquutum. Erat enim reprehensione dignum, quod quis, vt campo indulgeret, siue in eo pugnando, siue pugnantes aspiciendo, propria omitteret negocia.

gocia. Ex quo fiebat, vt tales, nec virtutes mẽtis, nec corporis ſibi pararent alimenta, ſed aliena ſemper quadra, & ſportulis viuere geſtirent, & indigerent.

*INDVLGET*, quidam dictum putant ab algendo, quia indulgens, frigidè, tepidèque ſe gerit circa opus. Alij ab indu, ideſt non, & vrget, quia indulgens non vrget contra negãtes. Vel eſt à negatiuo non, & verbo vrget, quaſi inurget, addita littera D, vt indoles eſt ab oleſcere hoc eſt creſcere, & mutata R, in L, vt in quouis idiomate talia elementa facilè inuicem permutantur. Vrgere autem propriũ eſt exactoris, penſum acriter, ſeuerèque exigentis: & ita indulgere erit eius, qui aliquid de ſuo iure remittit. Sic Plinius lib. 17. c. 10. ait: *Nutricem indulgentiorem eſſe, quàm matrem ſæpe conuenit.* Et Cicero lib. 16 epiſt. 18. *Si me amas, quod quidem, aut facis, aut perbelle ſimulas, quod tamen in modum procedit; ſed ut ut eſt, indulge ualetudini tuæ.* Et idem Cic. lib. de amicitia: *Moleſta ueritas eſt, ſiquidem ex ea naſcitur odium, quod eſt uenenum amicitiæ; ſed obſequium multo moleſtius, quod peccatis indulgens, præcipitem amicum ferri ſinit.* Itaque indulgere eſt inſeruire, obſequi, facilè concedere, & aliorum ſatisfacere voluntati, quod eſt proprium ſuperiorum. Princeps enim quum rem populis ſibi ſubditis gratam facere volũt, dimittentes eiſdem debitorum, ſiue fiſcalium, & vectigalium, ſiue pœnarum reliqua, eis indulgere dicuntur. Sæpe tamen indulgere ſumitur pro vacare, attendere, dare, vel nauare operam, & ita quidam dicuntur indulgere lit-

litteris, alij rei militari, agriculturæ, mercaturæ, &c. & qui corpori lautè, opiparèque curando dant operam, Genio indulgere dicuntur, vt & Veneri, qui fœdis ſeſe immergunt voluptatibus. Sic Virg. 4. Georg. v. 197.

*Illum adeo placuiſſe apibus mirabere morem,*
*Quod nec concubitu indulgent, nec corpora ſegnes*
*In Venerem ſoluunt, aut fœtus nixibus edunt.*

Et Terent. Eunuch. Actu 2. ſc. 1.

*Eijcienda hercle hec mollicies animi, nimis me indulgeo.*

Vnde indulgere campo eſt vacare, vel dare operam edẽdis, aut ſpectandis cãpi operibus.

*HVNC alea decoquit.* Deſcribit nunc pernicioſiſſimum vitium eorum, qui per ludum teſſerarum, aut taxillorum, aut alium, in quo fortuna dominatur, ſubſtantiam, rem familiarem, & patrimonia prodegerunt. Alea eſt tam teſſera, quam teſſerarum ludus, & extenditur ad omnem, in quo fortuna dominatur. Dicta alea, iuxta Iſidorum, ab Alea milite eius inuentore in otio belli Troiani: vel ab ἀλᾶσϑαι vagari, & incertum eſſe: nihil enim incertius victoria in aleæ, vel teſſerarum ludo. Quidam eius inuentorem faciunt Palamedem in bello Troiano, vnde Euſtachius in 1. Odyſſeæ refert ex Sophocle de Palamade. Inuenit is calculos teſſeraſque, iucundum otij, inertiæque remedium. Sed Herodotus in Clio ait: *Lydi legibus propemodum utũtur Grecorum ſimilibus, niſi quod Lydi filias ſuas patiuntur proſtitui. Hi primi, eorum dumtaxat, quos nouimus, nummum aureum, argenteumque ad vtendum percuſ-*

ſe

*ferunt, & primi caupones, institoresq; extiterunt. Aiunt, et ipsi se ludos inuenisse, qui etiamnũ apud Græcos cũ illis cõmunes sũt: simul autẽ hæc inuenisse, et in Thyrreniã; hoc est Thusciam colonos deduxisse: id quod hunc in modũ accidisse referunt. Tempore Atydis, Manis Regis filij, annonę difficultas per vniuersam Lydiam valde grassabatur; adeout Lydi, qui tum misere degebant, non cessantes remedia huic malo quærere, alius aliud excogitauit, inuentumque tunc ab ijsdem aleæ tesserarumque ludum, & pilæ, cæterorumque ludorum omnium genera, preterquam talorum; horum enim inuentionem sibi non vendicant Lydi; porro ad famem discutiendam, altera quidem dierum in totũ lusibus occupabantur, ne videlicet ciborum quærendorum sollicitudine distinquerentur; altera vero à lusibus abstinentes, pascebantur, &c.* Talorum vero, & latrunculorum inuentionem passim tribuunt Palamedi: Tessera vero, quæ eadem est ac alea, non est ita dicta, quod quatuor habeat latera, sed à radice constitutionis, vt dicunt Mathematici, quia est vndiq; quadrata. De ea Martial. l. 14. epi. 15.

*Non sim talorum numero par tessera, dum sit*
*Maior, quam talis alea sæpe mihi.*

Et eodem lib. 14. epigr. 17.

*Hæc mihi bisseno numeratur tessera puncto.*

Alea etiam est ludus, talis, vel tesseris exercitus: immo ludus quicumque, in quo potius quam ars, vel ingenium, dominatur fortuna, alea dicta. Et ita Martial. l. 14. epig. 18.

*Alea parua nuces, & non damnosa videtur.*
*Sæpe tamen pueris abstulit illa nates.*

Quia ergo alea dicebatur ludus, in quo fortu-

na

na dominaretur, alea sæpe posita pro fortuna. Sed quod hic dicitur, *Hunc alea decoquit*, est, istum, ludendo, facultatem consumpsisse, vt, redactus ad inopiam, fidem fefellerit, nec nomen à creditoribus liberare potuerit.

*DECOQVIT*, ideſt paulatim absumit, & coquendo imminuit. Translatum ex eo, quod in liquoribus fieri videmus, qui per coctiones ad medias, tertias, vel minores partes rediguntur. Hinc Plinius lib.31. cap.3. ait: *Neronis principis inuentum est decoquere aquam, vitroq; demissam, in niues refrigerare: ita voluptas frigoris contingit sine vitijs niuis; omnem vtique decoctam vtiliorem esse conuenit: item calefactam magis refrigerari, subtilissimo inuento. Vitiosæ aquæ remedium est si decoquatur ad dimidias partes.* Sic Columella lib.12. cap.12. *Nonnulli quibus non fuit curæ Cælestem inueterare aquam, recentem sumunt, eamq; in quartam partem decoquunt.* Et eodem lib.12. cap.19. ait: *Cura adhibenda est, ut expressum mustum perenne sit, aut certè vsq; ad venditionem durabile, quod quemadmodum fieri debeat, & quibus conditurîs adiuuari, deinceps subijciemus. Quidam partem quartam eius musti, quod in vasa plumbea coniecerunt, nonnulli tertiam decoquunt: nec dubium quin ad dimidiam si quis excoxerit, meliorem sapam facturus sit, eoq; vsibus utiliorem.* Et iusdem lib. cap.20. subdit: *Si natura tenue mustum erit, quum ad tertiam partem fuerit decoctum, ignis subtrahendus est, & fornax protinus aqua refrigeranda, quod si fecerimus, nihilominus defrutum infra tertiam partem uasis consedit. Sed id quamuis aliquid detrimenti habeat,*

*beat, prodest tamen, nam quanto plus decoquitur, (si modo non est adustum) melius, et spissius fit.* Et cap. 21 inquit: *Mustum, quam dulcissimi saporis decoquatur ad tertias, & decoctum sicut supra dixi, defrutum uocatur.* Et hinc ducta metaphora, decoctores, & decoquere dicti, qui, scortando, helluando, ludendo, vel alias quomodolibet, patrimonia consumpserunt, ex quo suos fefellerunt creditores, eis debita persoluere nequeuntes, quod Antonio obijcit Cicero dicens Philippica 2. *Visne igitur te inspiciamus à puero, sic opinor. A principio ordiamur. Tenesne memoria, prætextatum te decoxisse? Patris, inquies, ista culpa est, concedo, etenim est pietatis plena defensio: illud tamen audaciæ tuæ, quod sedisti in quatuordecim ordinibus, quum ex lege Roscia decoctoribus certus locus constitutus, quãuis quis fortunæ uitio, non suo, decoxisset?* Et ita nunc sumitur, dum ait aleam hunc decoxisse, quia per ludum substantiam consumpserat vniuersam, vt nomen liberare, fidemque creditoribus seruare non posset, illis sibi creditas pecunias restituendo. Et est hic metonymia subiecti ad se recipientis, hunc enim dixit, pro, huius bona, quum tamen nõ hunc quoad personam, sed quoad rem consumpserit familiarem.

*ILLE in Venerem est putris.* Non sumitur hic Venus ad mẽtem Astronomorum, pro planeta, ordinato, vt quidam volunt, inter Mercuriũ, & Solem, natura, calido, & humido, ideoq; benefico, vt putetur Fortuna minor. Is certè nudis etiam oculis, videtur stellarum omnium fulgentissimus, vt nonnumquam de die con-

spi-

ſpiciatur,& vmbram cauſare valeat. Excurrit vltra citraque Solem, vt nunc mane illum Orientem præcedat,& tunc appellatur Phoſphorus,Lucifer, & Stella matutina: nunc eũdem ſubſequatur,& dicitur Heſperus,Veſperus,& Veſperugo. Numquam tamen à Sole elongatur plus ſemiſigno, hoc eſt gradibus quadragintaquinque. Per teleſcopium deprehenſum eſt ſtellam iſtam non minus,ac Lunã eſſe nunc corniculatam, nunc falcatam, biſsectam,extuberantem, & planè orbiculatam, ſeu plenã, prout variè ad ſolem ſituatur,eiuſque ſuſcipiens illuminationem,partem illuminatam ad nos conuertit. Ex quibus apparitionibus deducitur, eam non eſſe ſemper infra,ſed aliquando etiam ſupra ſolem. Nec ſumitur hic Venus pro aliqua ex illis,quarum meminit Cicero 3. de Natura Deorum,aſſerens fuiſſe quatuor Veneres,primam natam Cęlo, & Die, cuius in Ciuitate Eleos videbatur Delubrum: Aliã ortam ex maris ſpuma, & Cœli teſticulis à Saturno exſectis, de qua Auſon.epigr.33.

*Orta ſalo,ſuſcepta ſolo, patre ędita cælo,*
*Æneadum genitrix hic habito alma Venus.*

Ex qua & Mercurio volunt natum Cupidinẽ ſecundum: nam primus Cupido, Mercurio,& Diana prima natus dicitur: vt tertius qui, & Antheros Marte,& Venere tertia. Tertiam Venerem dicit natam Ioue, & Diana, quæ nupſit Vulcano,ſed ex Martis concubitu Antherum genuit, cui vt famoſiori,& Ioue natæ tribuuntur omnia,quorum pleraque alijs cõuenire conuincunt hiſtoriæ. Quartam dicit

Sy-

Syram, Cypro conceptam, appellatam Aftarten, quæ nupsit Adonidi, vnde mulieres in eius sacris Adonidem plangebant, quod innuit Ezechiel. cap. 8. dicens: *Videbis abhominationes maiores, quas isti faciunt. & introduxit me per ostium portæ domus Domini, quod respiciebat ab Aquilonem: & ecce ibi mulieres sedebāt, plangentes Adonidem.* In quo sensu Venus habita fuit gratiarum mater, amorum, deliciarū, voluptatis, & pulchritudinis Dea: indeque Veneres ponuntur pro gratia, venustate, lepore, & elegantia, etiam in opere, & sermone, nam aliquem eloquentem, dicimus, assecutum omnes dicendi Veneres, significantes eum salibus, iocis, alijsque orationis lenocinijs refertum. Nullo tamen ex his modis nūc sumitur, sed metonymicè pro libidine, cui Venus præsidet, & pro actu commixtionis, ad quam inclinat. Sic accepit Terentius dicens Eunucho Actu 4. scena 5.

*Verbum hercle uerum hoc est; Sine Cerere, & Libero friget Venus,*

quia sine epularum, & vini proportionato saltem haustu, languet incentiuum carnalis copulę. Sic Virg. 3 Georg. versu 97.

*Frigidus in Venerem senior, frustraq; laborem Ingratum trahit.*

Sic etiam Ouid. lib. 1. de arte amandi.

*Nos Venerem tutam, concessaq; furta canamus*
*Inq; meo nullum carmine crimen erit.*

Vnde quod hic dicitur, *Ille in Venerem est putris*, significat: Ille supra modum est affectus ad opera carnalis commixtionis.

*PVTRIS*, corruptus, & in saniem resolutus

vt

vt consistere nequeat. Hinc ait Macrobius lib. 4. cap. 16. [ Nuper mihi de Tyburti agro meo exhibiti sunt apri, quos obtulit silua venantibus: & quia diutule continuata venatio est, perlati sunt alij interdiu, noctu alij. Quos perduxit dies, integra carnis incolumitate durarunt: qui vero per noctem, lunari plenitudine lucente, portati sunt, putruerũt. Quod vbi scitum est, qui sequenti nocte deferebant, infixo cuicumque parti corporis acuto æneo, apros carne integra pertulerunt. Quæro igitur, quur noxam, quam pecudibus occisis Solis radij non dederunt, lunare lumen effecerit? Facilis est, inquit Disarius, & simplex ista responsio: nullius enim rei fit aliquando putredo, nisi calor, humorque conuenerint: pecudum autem putredo nihil aliud est, nisi quũ defluxio quædam latens, soliditatem carnis in humorẽ resoluit: calor autẽ si tẽperatus sit & modicus, nutrit humores; si nimius, exiccat, & habitudinem carnis extenuat. Ergo de corporibus enectis, sol, vt maioris caloris, haurit humorem: lunare lumen, in quo est non manifestus calor, sed occultus tepor, magis diffundit humecta: & inde prouenit iniecto tepore, & hausto humore, putredo. Quod autem dixisti de acuto æneo, ni fallor, coniectura mea à vero non deuiat. Est enim in ære vis acrior, quam medici scipticam vocant: vnde squamam eius adijciunt remedijs, quę contra perniciem putredinis aduocantur. Deinde qui in metallo ęris morantur, semper oculorum sanitate pollentis; & quibus ante palpebræ nudatæ fuerant, illic conuestiuntur; aura enim

quæ

quæ ex ære procedit, in oculos incidens, haurit & exiccat, quod malè inflauit; vnde & Homerus modo σύνοπα, modo νώροπα χαλκὸν, has causas secutus appellat: Aristoteles vero autor est, vulnera, quæ ex æreo mucrone fiũt, minus esse noxia, quam quæ ex ferreo, facilius curari, quia inest, inquit, æri vis quædam remedialis, & siccifica, quam demittit in vulnere. Pari ergo ratione, infixum corpori pecudis, lunari repugnat humori.] Nec solum animaliũ corpora resolui dicuntur, sed etiam terra, & glebæ. Nam Virg. 1. Georg. versu 43. ait:

*Vere nouo gelidus canis, quũ montibus humor*
*Liquitur, & Zephyro putris se gleba resoluit.*

Sic Columella lib. 2. cap. 2. ait: [ Ex omnibus quę terra progeneret, plura campo magis, quã colle, plura pingui solo, quam macro lætari. De siccaneis, & riguis, non comperimus vtra numero vincant, quum vtique penè infinita sint quæ siccis, quæque humidis locis gaudẽt. Sed ex his nihil non melius resoluta humo, quam densa prouenit: quod noster quoque Virgilius, quum & alias fecundi arui laudes retulisset, adiecit 2. Georg. versu 204.

*Et cui putre solum, namq; hoc imitamur arãdo.*

Neque enim aliud est colere, quam resoluere, & fermentare terram, ideoque maximos quæstus ager præbet: idem pinguis, ac putris, quia quum plurimum reddat, minimum poscit, & quod postulat, exiguo labore, atque impensa conficitur.] Sed iuxta præsentem metaphoram, de putrescentibus in operibus carnis, ait Horatius 1. carm. ode 36.

*Omnes in Damalin putres*

*Deponent oculos, nec Damalis nouo*
*Diuelletur adultero*
*Lasciuis hederis ambitiosior.*

Vbi oculos putres dixit, vt noster Persius satyra 1. versu 18. *Patranti fractus ocello*, hoc est nimia intemperantia resolutos in opus, & languescētes. Nec sic tamen Damalis à nouo reuocatur adultero, quin eum arctius ambiat & complectatur, quam hedera truncū cui adhæret. Eleganter autem, & propriè de libidinosis dictum est eos esse putres in Venerem, nam per hæc opera, ipsorum, nedum animi, sed & corpora corrumpuntur, marcescūt, resoluantur, & putrefiunt, vt merito de talibus dictum intelligatur illud Ioelis 1. *Computruerunt iumenta in stercore suo.*

*SED quum lapidosa chiragra fregerit articulos veteris ramalia fagi, tunc crassos transisse dies lucemque palustrem, & sibi iam seri vitam ingemuere relictam.* Ordo est: sed quum chiragra lapidosa fregerit articulos ramalia fagi veteris, tunc seri ingemuere, transisse dies crassos, & relictam sibi lucem palustrem, & vitam. Chiragra est morbus articularis, articulos, maximè manuum, ac pedum infestans, qui à pedibus podagra, à manibus vero, vel digitis est dicta chiragra. Sic Martial. l. 1. epigr. 65.

*Litigat, & podagra Diodorus Flacce laborat,*
*Sed nil patrono porrigit, hæc chiragra est.*

Qui morbus, vt alij multi, ex corporeis voluptatibus, crapula, ebrietate, & carnali commixtione nascitur, quia ex humorum cruditate, ideoque inferitur hic præter institutum sermonis, de studijs hominum, sed non præter

in-

intentum de laudibus Cornuti, qui, sua recta institutione, homines ab his liberabat malis. Denominatur autem chiragra lapidosa, nam tot lapides in affectis illis partibus generantur, vt res prodigio similis videatur, maximè si verum sit, quod hic refert Casaubonus, se scribente hæc in Persium Commentaria, vixisse non procul ab Vrbe, hominem, è cuius corpore plus lapidum exciderat, vel extractū fuerat, quam ipse totus penderet. Volunt medici chiragram, siue podagram tunc tophi, seu lapidis induere naturam, quum humor illapsus, tempore crassescit, & virtute medicamétorum, vel circumstantis caloris, duritiem contrahit. Inde ergo dicta est chiragra lapidosa, & ab Horatio iusta 2. serm. sat. 7.

*Scurra Volanerius, postquā illi iusta chiragra*
*Contudit articulos, qui pro se tolleret, atque*
*Mitteret in pyrgum talos, mercede diurna*
*Conductum pauit.*

*FRANGERE* quid sit, dictum sup. v. 50 ad illa verba *Nostro Ioue frangimus vna*. Sed hîc sumitur pro impedire, & debilitare, etiam absque fragore, vel ruptura. Et licet sæpe ponatur passiuè, vt, fregi crus, vel os, hic tamen sumitur actiuè, nam sermo est de chiragra, actiuè impediente, vel debilitante articulos, ne operentur, vel moueantur.

*ARTICVLOS* ab artus, quod adiectiuè est angustum: substantiuè est compago. Quidam deriuant ab arceo, nam vt à farcio est farcitum, & per syncopen, farctum, & fartum, ita ab arceo, arcitum, & per syncopen, arctum, & artum, nam absque c scriptum inuenitur in

melioris notæ autoribus. Alij deducunt ex ἄρθρω abiecto secundo ρ, vel ab artare, & cõpingere. Hinc Festus ait: Artus ex Græco appellantur, quos illi ἄρθρα dicunt: siue arctus dicti, quod membra membris artentur. Ab huiusmodi artubus sunt articuli, nam artus sũt maiorum memborum compagines, articuli, minorum. Immo articuli voce diuersi professores ad diuersa significanda, eadem retenta ethymologia, vtuntur: apud Grammaticos articuli sint signa generum, & numerorum: apud rhetores, sunt orationes non redditæ, quas chola dicunt. Naturales articulum dixere cliuum, vel collem leniter assurgentem. Et sic Plinius ait lib. 37. cap 13. *Iam peractis omnibus naturę operibus, discrimen quoddam rerum ipsarum, atque terrarum facere conueniat. Ergo in toto orbe, & quacumque Cæli conuexitas vergit, pulcherrima est omnium, rebusque merito principatum naturæ obtinens, Italia, rectrix, parensq; mundi altera, viris, fæminis, ducibus, militibus, seruitijs, artium præstantia, ingeniorum claritatibus, iam situ, & salubritate Cæli, atque temperie, accessu cunctarum gentium facili, littoribus portuosis, benigno ventorum afflatu. Etenim contingit recurrentis positio in partem vtilissimam, & inter Ortus, Occasusque mediam, aquarum copia, nemorum salubritate, montium articulis, ferorum animalium innocentia, soli fertilitate, pabuli vbertate. Quidquid est, quo carere vita non debeat, nusquam est pręstantius, fruge, vinum, olea, uellera, lina, uestes, iuuenci, ne equos quidem in trigarijs præferri ullos uernaculis animaduerto; Metallis auri, argenti, æris,*

*gris, ferri, quamdiu libuit exerceri, nullis cessit & ijs nunc in se grauida, pro omni dote varios succos, & frugum, pomorumque sapores fundit. Ab ea, exceptis Indię fabulosis, proximè quidem duxerim Hispaniam, quacumque ambitur mari.* Sed quia, vt diximus articulus est ab artubus, qui sunt nodi in corpore animalis, resultantes ex coitione extremitatum ossium: sic dicti ab artandis, colligendis, & continendis ossibus, idem faciet articulus in minoribus saltem ossibus, & membris. Et ita nunc sumitur, nam articulos dixit coniunctiones ossium in digitis manuum, qui morbo arthitrico, seu podagra, & chiragra infestantur.

*RAMALIA veteris fagi.* Quid sit ramale, dictum ad illud satyræ I. versu 97.

*..s ramale vetus vegrandi subere coctum:* diximus enim esse truncum aridum, spoliatum nedum pomis, floribus, fructibusque, sed etiã vita vegetatiua, & inutile cuicumque vsui, preter quam igni nutriendo. Huic trunco cõparantur membra, articulari morbo mortificata, & inutilia reddita, similitudine satis concinna, nam homo dictus fuit arbor euersa, cuius caput, correspondet arboris radicibus, & capillamentis; manus vero, & pedes, eiusdẽ ramis. Quando huiusmodi membra fiunt inutilia, vt in arthitricis, ramalia dicuntur, vt trunci aridi, quasi vitali priuati virore.

*TVNC crassos transisse dies.* Crassum propriè est à multa carne, quasi carassus, vel creassus à *κρέας*, quæ est etiam caro, dictum per syncopen: vnde crassum est pingue; & quod est tale, iuxta suum modum, multum habet substan-

tiæ, inde metaphoricè omne abundans, in eo, quod exuberat, crassum appellatur, vt crassā hęreditatem, crassum stipendium. Et quia, qui opibus abundant, Genio plurimum solent indulgere, diesque in delicijs, conuiuijs, & voluptatibus transigere, inde dies crassi dicti illi, quos quispiam consumpsit helluando, corporeisque voluptatibus operam dando. Quæ nostra interpretatio aptior videtur, quam adducta à Pond, & Stelluto, volentibus dies crassos intelligi vitam ingloriam: lucem vero palustrem, vitam cœnosam, & lutulentam, litterarum expertem atque virtutum. Et ea quam adfert Casaubonus, asserens dies crassos, lucemque palustrem significare vmbram balineorum, vel similium locorum, in quibus est sedes nequitiæ, & molliciei: vt dies crassus sit tempus consumptum in aere crasso, qualis est aer vaporariorum, locorumque illorum, quos sol, suis radijs penetrare non potest. Lux vero palustris sit aer ille impurus, qui videtur in paludibus, seu locis palustribus, densis vaporibus oppressis. Iudicent eruditi quænam ex his interpretationibus sit conuenientior.

*LVCEMQ. palustrem.* Palustre est quidquid ad paludem pertinet, siue in ea natum, vt salices, populi, iunci &c. siue in ea viuat, vt anates ranæ &c. Palus autem iuxta quosdam est à Dorico παλός pro πηλός lutum, nam omnis palus est cęnosa. Iuxta alios est à παλαιός vetus, nam in ea aqua est inueterata: παλαιός enim est à πάλαι quondam, siue olim. Iuxta Varronem 4. LL. est à palam, nam vult esse paululum aquæ in altitudinem, & latius diffusam,

fuſam. In hoc enim à lacu differt, quod lacus perpetuam, palus aquam ſeruet temporariam, hyeme ſcilicet ex imbribus, vel liqueſcentibus collectam niuibus, æſtate vero areſcat. Ex his aquarum collectionibus, lacubus, ſtagnis, vel paludibus, vapores, nebulæ, & caligines excitari ſolent, quibus aer inficitur, redditurque humanis maximè peſtilens corporibus, & ſolis claritas obſcuratur, vnde hic dicitur lux paluſtris, quaſi ſuboſcura, vel non clara. De his Columella ait lib. 1. cap. 5. *Præſtat à mari longo potius interuallo, quam breui refugiſſe, quia media ſunt ſpatia grauioris halitus, nec paludem quidem vicinam eſſe oportet ædificijs, quod caloribus noxium virus eructat, & infeſtis aculeis armata gignit animalia, quæ in nos denſiſſimis examinibus inuolant. Tum etiam natricum ſerpentiumque peſtes, hyberna deſtitutas vligine, cœno & fermentata colluuie venenatas emittit, ex quibus ſæpe contrahuntur cæci morbi, quorum cauſas ne medici quidē percipere queūt. Sed & anni toto tempore ſitus, atque humor inſtrumentum ruſticum ſuppellectilemque, & inconditos, conditoſque fructus corrumpit.* Ita quidem, loquendo phyſicè de palude, & luce paluſtri. At nunc poeta de luce paluſtri loquitur metaphoricè ad mores, nempe de luce ſenſualitatis, & prudentia carnis, quæ comparata ad ſpiritum, & mentem, ſubobſcura, & quaſi paluſtris eſt: lux enim, ſiue perſpicacitas carnis, omnino tenebroſa eſt, vt caro ipſa ad intellectum comparata: & quia lucis nomine plerumque intelligimus vitam, vnde relinquere alicui lucis vſuram, eſt, ſinere eum viuere,

lux paluſtris erit vita conformis ſapientiæ, ſeu prudentiæ carnis, quæ eſt vita pſychica, & brutalis, quæ nulla virtutum, & ſolidæ ſapientiæ laude niteſcit. Poſſunt autem verba iſta conſtrui, vel ita, vt ipſi inſipientes gemant, videntes ſibi, vna cum vita, relictam lucem paluſtrem, vt vitæ nomine intelligatur naturalis, conſurgens ex præſentia informatiua animæ ad corpus organicum, quarum ſeparatio eſt mors naturalis: nomine vero lucis paluſtris, intelligatur vita moralis, ſed vitioſa, quæ ſub ignorantiæ, & prauarum affectionum tenebris agitur: quam vtramque gemunt ſibi relictam, qui virtutem, & ſapientiam ſequi contempſerunt, vt dixit etiam ſatyra 3. verſu 35.

*Magne pater diuum ſæuos punire tyrannos*
*Haud alia ratione velis, quum dira libido*
*Mouerit ingenium feruenti tincta ueneno*
*Virtutem vt videant, intabeſcantque relicta.*

Et Sapientiæ 5. *Ergo errauimus à uia ueritatis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol intelligentię non eſt ortus nobis: laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, uiam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit ſuperbia? aut diuitiarum iactatio quid contulit nobis?* Vel ita vt gemant tranſiſſe lucem paluſtrem, nempe actam ſibi vitam infamem, iuxta carnis prudentiam, ex qua ſibi adhæſit macula, ne totis quidem Oceani aquis eluenda. Qui confuſionis dolor excitari ſolet in ſenectute, & poſtremis vitæ momentis, quando ex virium defectu, animi mollitie, & habitibu prauis inueteratis, deſpe-

ſperat quis ſe poſſe ad meliorem frugem reuerti, vt virtutes, ſapientiamque acquirat. Sperare tamen quilibet debet: nam quidquid ſit de mundana, ſpeculatiua, & ſterili ſapientia, Diuinam certè in quouis temporis momento quilibet acquirere poteſt, ſiquidem dictum eſt ex perſona Dei: *In quacumque hora ingemuerit peccator, ſcelerum eius non recordabor amplius*. Et ipſa ſapientia Apocalipſis 3. ait: *Ecce ſto ad oſtium & pulſo; ſi quis audierit uocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cęnabo cum illo, & ipſe mecum*. Et Iſaię 30. *Ad uocem clamoris tui, ſtatim ut audierit reſpondebit tibi*, gratiam, virtutes, & ſapientiam conferendo: Peccatorum namque remiſſio, non fit abſque gratię ſāctificantis infuſione: hanc autem ancillantes comitantur virtutes omnes, cum vera ſapientia, quæ eſt ſtella fidei: ideoque nec in extremo vitę ſpiritu eſt deſperandum, immo viriliter incumbendum operi deteſtationis vitæ malè actæ, & petitioni diuinorum donorum, quibus nouit ſe indigere. *Si quis*, ait Iacobus 5. *ueſtrum indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei: poſtulet autem in fide nihil heſitans*. Hinc Iſidorus Peluſiota ait epiſt. 155. *Quũ non nemo mihi occurreret, ac diceret, Fac me iuſtum: ei reſpondi. Qui nam iuſtus euadere poſſis, ſi peccare pergas? Subinferenti illo. Non pecco amplius. Dixi: ſiquidem quæ dicis uera ſunt, iam euaſiſti qualis eſſe uolebas.* Verum illi ſtultè faciunt, qui gementes ſemetipſos, ſuaſque ſordes deflentes, ab eis recedere nolunt, nec à ſuis animis extorque-

re, ne in illis amplius computrescant, quemadmodum isti, qui querebantur relictam sibi lucem palustrem, a qua, ad clarã migrare nolle videbantur. Lux ergo palustris est cognitio sensitiua, & brutalis, quæ dicitur prudent a carnis, & humana sapientia, incapax verarum virtutum.

*ET sibi iam seri, uitã ingemuere relictã.* Serũ est tardum. Ex quo lusit Milonis patronus, qui interrogatus quando nam P. Clodius à Milone fuisset occisus? sero, respondit: ludens vocis ambiguitate, nam quum significare videretur, P. Clodij necem patratam hora vespertina, illud potius volebat, illũ tardius, quam oportuisset, interemptum. Putat Isidorus l. 5. c. 30. serum dici à clausis seris, quia veniente nocte, vt homines securi sint in somno, seras claudũt. Alij deriuant ab ὅρος finis, seu terminus, nã serum ad finem pertinet. Sic Martial. lib. 1. epigr. 71.

*Non est, crede mihi, sapientis dicere, Viuam*
*Sera nimis uita est crastina, Viue hodie.*

Et Virg. 2. Georg. versu 403.

*Et iam olim seras posuit quum uinea frondes.*

Vnde quod isti iam seri ingemuerint, relictam sibi vitam, & lucem palustrem, idem est, ac si dictum fuisset, tardè aduertisse, doluisseque se aliud non habere, quam vitam, & cognitionem brutalem. Ingemere autem hic, vt satyra 4 versu 30. est ex intimis dolere visceribus, & corde ægre ferre.

*AT te nocturnis iuuat impallescere chartis. Cultor enim iuuenũ purgatas inseris aures fruge Cleanthea.* Enarratis vitiosorum studijs, ser-

sermonem ad Cornuti laudes conuertit, & ad exhortandos quoslibet, vt Cornuto se tradant instituendos si rectè viuere, & felicitatem assequi velint, vt de his dicere potuerit Augustinus in Ioannem Tract. 43. *Fuerũt quidam philosophi de uirtutibus, & uitijs subtilia multa tractantes, diuidentes, definientes, ratiocinantes, acutissimè concludentes, libros implentes, suam sapientiam buccis concrepantibus uentilantes, qui etiam dicere auderent hominibus: Nos sequimini, sectam nostram tenete, si uultis bene uiuere.* Asserit ergo, quod sicuti supramemorati, vitiosis erant occupationibus mancipati, ita Cornuti studiũ erat impallescere chartis nocturnis, seu scientiarum speculationi: quæ applicatio, quum est diuturna, pallorem inducit, vt diximus ad illa verba proœmij: *Pallidamq; Pirenem*. Dixit etiam, pallescere, pro, pallorem contrahere chartas euoluẽdo, librorumq; sententias ad rationis trutinam examinando. Idque Cornutum iuuabat, quum ei erat delectabile: iuuat enim, quod delectat, vel quod est honestum, per senecdochen vnius speciei bonitatis pro alia. Sic Iuuen. sat. 7. versu 96.

*Tunc par ingenio pretium, tunc utile multis*
*Pallere, & uinum toto nescire Decembri.*

*CHARTÆ* quid sint, dictum ad illud sat. 3. versu 11. *Inque manus chartæ.* At hic per metonymiam continentis, intelligũtur libri philosophici, vel philosophica præcepta, chartis tradita, quibus Cornutus studebat, vt intellectum satiaret, & suos erudire posset discipulos. Denominantur autem chartæ nocturnæ, per metonymiam adiuncti adhærentis, hoc est

temporis, in quo res commodè fieri solet, pro ipsa re: tempus autem nocturnum, est studijs aptius quam diurnum, ratione silentij, & tenebrarum, non auocantium mentem à contemplatione. Nam tempore diurno, quum multæ versentur species circa sensus, illis mens distrahitur, rapiturque ad diuersa, & ita auocatur ab attentione studijs necessaria.

*CVLTOR enim iuuenum*. Delectat Casaubonum communis lectionis mutatio, etiam si nihil ad rem, vel ad maiorem intelligentiam: hic autem etiam cum elegantiæ dispêdio vult legere. Cultor enim es iuuenum. Cuius textus alteratio intolerabilior videtur ea, quam nobis frustra obtrudere conatus fuerat supra versu 58. vbi pro *In Venerem est putris*, legere maluit, In Venerem putret. Nil ergo mirum, si, singularitatis, & nouitatis amator, passis, quod aiunt, brachijs, Nouatorum, & Caluinistarum errores in rebus fidei, amplexus fuerit, qui in his nugis nouitatem adeo dilexit. Sed de his alias, nunc obiter tantum. Cultor, est à verbo colo, quod quum est primæ coniugationis, & primã producit, significat, paulatim, siue guttatim liquorem emitto. Sed quum est tertiæ, & primam corripit, Apuleius loquens de Gymnosophistis ait 1. Floridorum: *Non illi norunt aruum colere, vel aurum colare, vnum pro his omnibus norunt, sapientiam percolunt.* A colo tertiæ coniugationis est cultor: & ita colo in primis est veneror. Sic Virg. 11. Æneid. versu 785.

*Summe Deus sancti custos Soractis Apollo,*
*Quem primi colimus, cui pineus ardor aceruo*

Pa-

*Pascitur, & medium, freti pietate per ignem*
*Cultores multa premimus vestigia pruna*
*Da pater hoc, &c.*

Et ita maiores colimus obsequio, pares amore, minores beneficijs. Colere etiam est habitare Virg. eclog. 2. versu 60

*habitarunt Di quoque siluas*
*Dardaniusq; Paris Pallas, quas condidit arces*
*Ipsa colat, nobis placeant ante omnia siluæ.*

Hinc dicti cœlicolæ, regnicolæ, ruricole. Colere etiam est arare, inde agricultura. Est etiã ducere Virg 2. Georg. versu 532.

*Hanc olim veteres vitam coluere Sabini*
*Hãc Remus, et frater, sic fortis Hetruria creuit.*

Est & ornare. Sic Ouid de medicamine faciei.

*Fœminea vestri potiuntur lege mariti,*
*Et vix ad cultus, nupta quod addat, habet*
*Rure latẽt, finguntq; comas, licet arduus illas*
*Celet Athos, cultas altus habebit Athos.*

Colere etiam est amare. Hinc Terent. Heautontumorumeno Actu 2. scena 3.

*Quippe forma impulsi nostra nos amatores colũt.*

Tandem colere est exercere, inde dicimur colere militiam, studia, & similia. Quod ergo Cornutus dicatur cultor iuuenum, potest intelligi, vel quod illos exerceat, tradendo eis præcepta moralis philosophię, in quibus exercerẽtur, & formarẽtur ad virtutem, & sapientiam: vel quod eisdem præceptis eos ornaret. Et innuitur, translationem esse ductam ab agrorum ad animi culturam, vt enim colens, & exercens agrum, prius sentibus, tribulis, alijsque noxijs ipsum purgat, deinde ei sementem committit, sic philosophia animum

vitiorum spinis purgatum, virtutibus ornare aggreditur, nam vt dicitur Sapientiae 1. *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis*. Et psal. 36. *Declina a malo, & fac bonum*. Sic etiam Cicero 2. Tusculan. *Vt agri non omnes frugiferi sunt, qui coluntur, falsumque illud, ac improbe*. Etsi in segetem sunt deteriorem datae. Fruges, tamen ipsae suapte natura enitent, *sic animi non omnes culturae fructum ferunt atque vt in eodem simili verser, vt ager quamuis fertilis sine cultura fructuosus esse non potest, sic sine doctrina animus; ita est vtraque res, vna sine altera debilis: Cultura autem animi philosophia est, quae extrahit vitia radicitus, & praeparat animos ad satus accipiendos, eaque mandat his, &, vt ita dicam, serit, quae adulta fructus vberrimos ferant*. Haec ergo praestabat Cornutus erga suos discipulos, vitia ab illorum animis expellendo, inserendoque virtutes, ideo merito dictus Cultor iuuenum.

*PVRGATAS inseris aures fruge Cleanthea*. Inuenitur hic hypallage, idest casuum commutatio, vt in illo Augustini ad Dioscorum epist. 56. *[illegible] dialogos, tot philosophorum [illegible] cor inseruisti*: non enim arua [illegible] in frugibus, sed fruges in aruis: vt ordo rectus debuerit esse: Inseris frugem Cleantheam auribus purgatis. Aures autem purgatas ita intelligit, in quibus sordes nullae forent: sordes tamen, non tam physicae, & naturales, quam ethicae, & morales, vt infra versu 86. *Stoicus hic aurem mordaci lotus aceto*. Sordes enim non tam corporeas intelligit, & externas, quam internas animorum, quarum

sor-

ſordes ſunt paſſiones, à Stoicis, morbi & perturbationes dictæ, & negatæ cadere in ſapiétem, nam docent, eum, qui talibus, & præcipuè philautiæ, ſeu proprio ſenſui, & opinioni cum tenacitate adhæſerit, ineptum eſſe frugi Cleanthęæ, ſiue ſapientiæ. Quod ſi tanta, iuxta Ethnicos, exigebatur diligentia, vt animus naturalibus poſſet ditari ſcientijs, aut virtutibus, quanta pare erit adhiberi, vt valeat exornari ſupernaturalibus, & Diuinis, vt ſunt virtutes Theologicæ, & dona Spiritus ſancti, in quibus vera eſt, & laudabilis ſapientia? quum legamus Sap. 1. *Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus, quę ſunt ſine intellectu*, cuiusmodi ſunt illę, in quibus ſenſus præualet, & imaginatio. Abijcienda igitur primum vitia: prius inquam, ſaltem naturæ ordine, alioquin numquam illa perfectè excludentur, niſi per ſapientiæ, ſeu Diuinæ gratiæ infuſionem. Sed tamen omni luctandum conatu, naturalibus liberi arbitrij viribus, adiuti etiam gratia Dei (quæ pręſto eſt omnibus facientibus, quod eſt in ſe) ad illa noſtris ex animis expellenda, vt diuinorum capaces ſimus donorum: ideo enim ille monebat: Vas es, funde, vt implearis, non enim minus, quam natura, vacuum non patitur, ideoque quicumque à ſe peccati abiecerit ſtultitiam, diuina ſtatim implebitur ſapientia, velut loquitur Apoſtolus 2. Timoth. 2. *Quicumque emundauerit ſe ab iſtis, erit uas in honorem, ſanctificatum, & utile Domino, ad omne opus bonum paratum*. Inſerere autem eſt intromittere, imponere, & quaſi

*Deponent oculos, nec Damalis nouo*
*Diuelletur adultero*
*Lasciuis hederis ambitiosior.*

Vbi oculos putres dixit, vt noster Persius satyra 1. versu 18. *Patranti fractus ocello*, hoc est nimia intemperantia resolutos in opus, & languescétes. Nec sic tamen Damalis à nouo reuocatur adultero, quin eum arctius ambiat & complectatur, quam hedera truncũ cui adhæret. Eleganter autem, & propriè de libidinosis dictum est eos esse putres in Venerem, nam per hæc opera, ipsorum, nedum animi, sed & corpora corrumpuntur, marcesc ũt, resoluantur, & putrefiunt, vt merito de talibus dictum intelligatur illud Ioelis 1. *Computruerunt iumenta in stercore suo.*

*SED quum lapidosa chiragra fregerit articulos veteris ramalia fagi, tunc crassos transisse dies lucemque palustrem, & sibi iam seri vitam ingemuere relictam.* Ordo est: sed quum chiragra lapidosa fregerit articulos ramalia fagi veteris, tunc seri ingemuere, transisse dies crassos, & relictam sibi lucem palustrem, & vitam. Chiragra est morbus articularis, articulos, maximè manuum, ac pedum infestans, qui à pedibus podagra, à manibus vero, vel digitis est dicta chiragra. Sic Martial. l. 1. epigr. 65.

*Litigat, & podagra Diodorus Flacce laborat,*
*Sed nil patrono porrigit, hæc chiragra est.*

Qui morbus, vt alij multi, ex corporeis voluptatibus, crapula, ebrietate, & carnali commixtione nascitur, quia ex humorum cruditate, ideoque inferitur hic præter institutum sermonis, de studijs hominum, sed non præter

in-

intentum de laudibus Cornuti, qui, sua recta institutione, homines ab his liberabat malis. Denominatur autem chiragra lapidosa, nam tot lapides in affectis illis partibus generantur, vt res prodigio similis videatur, maximè si verum sit, quod hic refert Casaubonus, se scribente hæc in Persium Commentaria, vixisse non procul ab Vrbe, hominem, è cuius corpore plus lapidum exciderat, vel extractũ fuerat, quam ipse totus penderet. Volunt medici chiragram, siue podagram tunc tophi, seu lapidis induere naturam, quum humor illapsus, tempore crassescit, & virtute medicamẽtorum, vel circumstantis caloris, duritiem contrahit. Inde ergo dicta est chiragra lapidosa, & ab Horatio iusta 2. serm. sat. 7

*Scurra Volanerius, postquã illi iusta chiragra*
*Contudit articulos, qui pro se tolleret, atque*
*Mitteret in pyrgum talos, mercede diurna*
*Conductum pauit.*

*FRANGERE* quid sit, dictum sup. v. 50 ad illa verba *Nostro Ioue frangimus vna*. Sed hic sumitur pro impedire, & debilitare, etiam absque fragore, vel ruptura. Et licet sæpe ponatur passiuè, vt, fregi crus, vel os, hic tamen sumitur actiuè, nam sermo est de chiragra, actiuè impediente, vel debilitante articulos, ne operentur, vel moueantur.

*ARTICVLOS* ab artus, quod adiectiuè est angustum: substantiuè est compago. Quidam deriuant ab arceo, nam vt à farcio est farcitum, & per syncopen, farctum, & fartum, ita ab arceo, arcitum, & per syncopen, arctum, & artum, nam absque c scriptum inuenitur in

melioris notæ autoribus. Alij deducunt ex ἄρθρα abiecto secundo ρ, vel ab artare, & cõpingere. Hinc Festus ait: Artus ex Græco appellantur, quos illi ἄρθρα dicunt: siue arctus dicti, quod membra membris artentur. Ab huiusmodi artubus sunt articuli, nam artus sũt maiorum membrorum compagines, articuli, minorum. Immo articuli voce diuersi professores ad diuersa significanda, eadem retenta ethymologia, vtuntur: apud Grammaticos articuli sint signa generum, & numerorum: apud rhetores, sunt orationes non redditæ, quas chola dicunt. Naturales articulum dixere cliuum, vel collem leniter assurgentem. Et sic Plinius ait lib 37. cap 13. *Iam peractis omnibus naturę operibus, discrimen quoddam rerum ipsarum, atque terrarum facere conueniat. Ergo in toto orbe, & quacumque Cœli conuexitas vergit, pulcherrima est omnium, rebusque merito principatum naturæ obtinens, Italia, rectrix, parensq; mundi altera, viris, fæminis, ducibus, militibus, seruitijs, artium præstantia, ingeniorum claritatibus, iam situ, & salubritate Cœli, atque temperie, accessu cunctarum gentium facili, littoribus portuosis, benigno ventorum afflatu. Etenim contingit recurrentis positio in partem vtilissimam, & inter Ortus, Occasusque mediam, aquarum copia, nemorum salubritate, montium articulis, ferorum animalium innocentia, soli fertilitate, pabuli vbertate. Quidquid est, quo carere vita non debeat, nusquam est pręstantius, fruge, vinum, olea, uellera, lina, uestes, iuuenci, ne equos quidem in trigarijs præferri ullos uernaculis animaduerto; Metallis auri, argenti,*

*ęris,*

*gris, ferri, quamdiu libuit exerceri, nullis cessit & ijs nunc in se grauida, pro omni dote varios succos, & frugum, pomorumque sapores fundit. Ab ea, exceptis Indię fabulosis, proximè quidem duxerim Hispaniam, quacumque ambitur mari.* Sed quia, vt diximus articulus est ab artubus, qui sunt nodi in corpore animalis, resultantes ex coitione extremitatum ossium: sic dicti ab artandis, colligendis, & continendis ossibus, idem faciet articulus in minoribus saltem ossibus, & membris. Et ita nunc sumitur, nam articulos dixit coniunctiones ossium in digitis manuum, qui morbo arthitrico, seu podagra, & chiragra infestantur.

*RAMALIA veteris fagi.* Quid sit ramale, dictum ad illud satyrę I. versu 97.

*...s ramale vetus vegrandi subere coctum:*

diximus enim esse truncum aridum, spoliatum nedum pomis, floribus, fructibusque, sed etiā vita vegetatiua, & inutile cuicumque vsui, prętet quam igni nutriendo. Huic trunco cōparantur membra, articulari morbo mortificata, & inutilia reddita, similitudine satis concinna, nam homo dictus fuit arbor euersa, cuius caput, correspondet arboris radicibus, & capillamentis; manus vero, & pedes, eiusdē ramis. Quando huiusmodi membra fiunt inutilia, vt in arthitricis, ramalia dicuntur, vt trunci aridi, quasi vitali priuati virore.

*TVNC crassos transisse dies.* Crassum propriè est à multa carne, quasi carassus, vel creassus à *κρέας*, quę est etiam caro, dictum per syncopen: vnde crassum est pingue; & quod est tale, iuxta suum modum, multum habet substan-

tiæ, inde metaphoricè omne abundans, in eo, quod exuberat, crassum appellatur, vt crassā hęreditatem, crassum stipendium. Et quia, qui opibus abundant, Genio plurimum solent indulgere, diesque in delicijs, conuiuijs, & voluptatibus transigere, inde dies crassi dicti illi, quos quispiam consumpsit helluando, corporeisque voluptatibus operam dando. Quæ nostra interpretatio aptior videtur, quam adducta à Bond, & Stelluto, volentibus dies crassos intelligi vitam ingloriam: lucem vero palustrem, vitam cœnosam, & lutulentam, litterarum expertem atque virtutum. Et ea quam adfert Casaubonus, afferens dies crassos, lucemque palustrem significare vmbram balineorum, vel similium locorum, in quibus est sedes nequitiæ, & molliciei: vt dies crassus sit tempus consumptum in aere crasso, qualis est aer vaporariorum, locorumque illorum, quos sol, suis radijs penetrare non potest. Lux vero palustris sit aer ille impurus, qui videtur in paludibus, seu locis palustribus, densis vaporibus oppressis. Iudicent eruditi quænam ex his interpretationibus sit conuenientior.

*LVCEMQ. palustrem.* Palustre est quidquid ad paludem pertinet, siue in ea natum, vt salices, populi, iunci &c. siue in ea viuat, vt anates ranæ &c. Palus autem iuxta quosdam est à Dorico παλός pro πηλὸς lutum, nam omnis palus est cęnosa. Iuxta alios est à παλαιός vetus, nam in ea aqua est inueterata: πάλαι enim est à πάλαι quondam, siue olim. Iuxta Varronem 4. LL. est à palam, nam vult esse paululum aquæ in altitudinem, & latius diffusam.

fusam. In hoc enim à lacu differt, quod lacus perpetuam, palus aquam seruet temporariam, hyeme scilicet ex imbribus, vel liquescentibus collectam niuibus, æstate vero arescat. Ex his aquarum collectionibus, lacubus, stagnis, vel paludibus, vapores, nebulæ, & caligines excitari solent, quibus aer inficitur, redditurque humanis maximè pestilens corporibus, & solis claritas obscuratur, vnde hic dicitur lux palustris, quasi subobscura, vel non clara. De his Columella ait lib. 1. cap. 5. *Præstat à mari longo potius interuallo, quam breui refugisse, quia media sunt spatia grauioris halitus, nec paludem quidem vicinam esse oportet ædificijs, quod caloribus noxium virus eructat, & infestis aculeis armata gignit animalia, quæ in nos densissimis examinibus inuolant. Tum etiam natricum serpentiumque pestes, hyberna destitutas vligine, cœno & fermentata colluuie venenatas emittit, ex quibus sæpe contrahuntur cæci morbi, quorum causas ne medici quidē percipere queūt. Sed & anni toto tempore situs, atque humor instrumentum rusticum suppellectilemque, & inconditos, conditosque fructus corrumpit.* Ita quidem, loquendo physicè de palude, & luce palustri. At nunc poeta de luce palustri loquitur metaphoricè ad mores, nempe de luce sensualitatis, & prudentia carnis, quæ comparata ad spiritum, & mentem, subobscura, & quasi palustris est: lux enim, siue perspicacitas carnis, omnino tenebrosa est, vt caro ipsa ad intellectum comparata: & quia lucis nomine plerumque intelligimus vitam, vnde relinquere alicui lucis vsuram, est, sinere eum viuere,

lux palustris erit vita conformis sapientiæ, seu prudentiæ carnis, quæ est vita psychica, & brutalis, quæ nulla virtutum, & solidæ sapientiæ laude nitescit. Possunt autem verba ista construi, vel ita, vt ipsi insipientes gemant, videntes sibi, vna cum vita, relictam lucem palustrem, vt vitæ nomine intelligatur naturalis, consurgens ex præsentia informatiua animæ ad corpus organicum, quarum separatio est mors naturalis: nomine vero lucis palustris, intelligatur vita moralis, sed vitiosa, quæ sub ignorantiæ, & prauarum affectionum tenebris agitur: quam vtramque gemunt sibi relictam, qui virtutem, & sapientiam sequi contempserunt, vt dixit etiam satyra 3. versu 35.

*Magne pater diuum sæuos punire tyrannos*
*Haud alia ratione velis, quum dira libido*
*Mouerit ingenium feruenti tincta ueneno*
*Virtutem vt videant, intabescantque relicta.*

Et Sapientiæ 5. *Ergo errauimus à uia ueritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis: lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, uiam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit superbia? aut diuitiarum iactatio quid contulit nobis?* Vel ita vt gemant transisse lucem palustrem, nempe actam sibi vitam infamem, iuxta carnis prudentiam, ex qua sibi adhæsit macula, ne totis quidem Oceani aquis eluenda. Qui confusionis dolor excitari solet in senectute, & postremis vitæ momentis, quando ex virium defectu, animi mollitie, & habitibus prauis inueteratis, despe-

ſperat quis ſe poſſe ad meliorem frugem re- uerti, vt virtutes, ſapientiamque acquirat. Sperare tamen quilibet debet: nam quidquid ſit de mundana, ſpeculatiua, & ſterili ſapien- tia, Diuinam certè in quouis temporis mo- mento quilibet acquirere poteſt, ſiquidem dictum eſt ex perſona Dei: *In quacumque hora ingemuerit peccator, ſcelerum eius non recorda- bor amplius*. Et ipſa ſapientia Apocalipſis 3. ait: *Ecce ſto ad oſtium & pulſo, ſi quis audierit uocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum*. Et Iſaię 30. *Ad uocem clamoris tui, ſtatim ut audierit reſpondebit tibi*, gratiam, virtutes, & ſapientiam conferendo: Peccatorum namque remiſſio, non ſit abſque gratię ſãctificantis in- fuſione: hanc autem ancillantes comitantur virtutes omnes, cum vera ſapientia, quæ eſt filia fidei: ideoque nec in extremo vitę ſpiritu eſt deſperandum, immo viriliter incumben- dum operi deteſtationis vitæ malè actæ, & petitioni diuinorum donorum, quibus nouit ſe indigere. *Si quis*, ait Iacobus 5. *ueſtrum indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei: po- ſtulet autem in fide nihil heſitans*. Hinc Iſido- rus Peluſiota ait epiſt. 155. *Quũ non nemo mihi occurreret, ac diceret, Fac me iuſtum: ei reſpondi. Qui nam iuſtus euadere poſſis, ſi peccare pergas? Subinferenti illo. Non pecco amplius. Dixi: ſiqui- dem quæ dicis uera ſunt, iam euaſiſti qualis eſſe uolebas*. Verum illi ſtultè faciunt, qui gemen- tes ſemetipſos, ſuaſque ſordes deflentes, ab eis recedere nolunt, nec à ſuis animis extorque-

re,ne in illis amplius computrescant, quemadmodum isti, qui querebantur relictam sibi lucem palustrem, a qua,ad clarã migrare nolle videbantur. Lux ergo palustris est cognitio sensitiua,& brutalis,quæ dicitur prudent a carnis,& humana sapientia, incapax verarum virtutum.

*ET sibi iam seri,uitã ingemuere relictã.* Serũ est tardum.Ex quo lusit Milonis patronus,qui interrogatus quando nam P.Clodius à Milone fuisset occisus? sero, respondit: ludens vocis ambiguitate, nam quum significare videretur, P.Clodij necem patratam hora vespertina, illud potius volebat, illũ tardius, quam oportuisset,interemptum. Putat Isidorus l.5.c.30. serum dici à clausis seris,quia veniente nocte, vt homines securi sint in sonno, seras claudũt. Alij deriuant ab ὅρος finis, seu terminus, nã serum ad finem pertinet. Sic Martial. lib. 1. epigr.71.

*Non est, crede mihi,sapientis dicere,Viuam*
*Sera nimis uita est crastina, Viue hodie.*

Et Virg.2.Georg.versu 403.

*Et iam olim seras posuit quum uinea frondes.*

Vnde quod isti iam seri ingemuerint,relictam sibi vitam, & lucem palustrem, idem est, ac si dictum fuisset, tardè aduertisse, doluisseque se aliud non habere, quam vitam,& cognitionem brutalem. Ingemere autem hic,vt satyra 4 versu 30. est ex intimis dolere visceribus,& corde ægre ferre.

*AT te nocturnis iuuat impallescere chartis. Cultor enim iuuenũ purgatas inseris aures fruge Cleanthea.* Enarratis vitiosorum studijs,

ser-

sermonem ad Cornuti laudes conuertit, & ad exhortandos quoslibet, vt Cornuto se tradant instituendos si rectè viuere, & felicitatem assequi velint, vt de his dicere potuerit Augustinus in Ioannem Tract. 43. *Fuerũt quidam philosophi de uirtutibus, & uitijs subtilia multa tractantes, diuidentes, definientes, ratiocinantes, acutissimè concludentes, libros implentes, suam sapientiam buccis concrepantibus uentilantes, qui etiam dicere auderent hominibus: Nos sequimini, sectam nostram tenete, si uultis bene uiuere.* Asserit ergo, quod sicuti supramemorati, vitiosis erant occupationibus mancipati, ita Cornuti studiũ erat impallescere chartis nocturnis, seu scientiarum speculationi: quæ applicatio, quum est diuturna, pallorem inducit, vt diximus ad illa verba procemij: *Pallidamq; Pirenem*. Dixit etiam, pallescere, pro, pallorem contrahere chartas euoluẽdo, librorumq; sententias ad rationis trutinam examinando. Idque Cornutum iuuabat, quum ei erat delectabile: iuuat enim, quod delectat, vel quod est honestum, per senecdochen vnius speciei bonitatis pro alia. Sic Iuuen. sat. 7. versu 96.

*Tunc par ingenio pretium, tunc utile multis*
*Pallere, & uinum toto nescire Decembri.*

*CHARTÆ* quid sint, dictum ad illud sat. 3. versu 11. *Inque manus chartæ.* At hic per metonymiam continentis, intelligũtur libri philosophici, vel philosophica præcepta, chartis tradita, quibus Cornutus studebat, vt intellectum satiaret, & suos erudire posset discipulos. Denominantur autem chartæ nocturnæ, per metonymiam adiuncti adhærentis, hoc est

temporis, in quo res commodè fieri solet, pro ipsa re: tempus autem nocturnum, est studijs aptius quam diurnum, ratione silentij, & tenebrarum, non auocantium mentem à contemplatione. Nam tempore diurno, quum multæ versentur species circa sensus, illis mens distrahitur, rapiturque ad diuersa, & ita auocatur ab attentione studijs necessaria.

*CVLTOR enim iuuenum*. Delectat Casaubonum communis lectionis mutatio, etiam si nihil ad rem, vel ad maiorem intelligentiam: hic autem etiam cum elegantiæ dispēdio vult legere. Cultor enim es iuuenum. Cuius textus alteratio intolerabilior videtur ea, quam nobis frustra obtrudere conatus fuerat supra versu 58. vbi pro *In Venerem est putris*, legere maluit, In Venerem putret. Nil ergo mirum, si, singularitatis, & nouitatis amator, passis, quod aiunt, brachijs, Nouatorum, & Caluinistarum errores in rebus fidei, amplexus fuerit, qui in his nugis nouitatem adeo dilexit. Sed de his alias, nunc obiter tantum. Cultor, est à verbo colo, quod quum est primæ coniugationis, & primā producit, significat, paulatim, siue guttatim liquorem emitto. Sed quum est tertiæ, & primam corripit, Apuleius loquens de Gymnosophistis ait 1. Floridorum: *Non illi norunt aruum colere, vel aurum colare, vnum pro his omnibus norunt, sapientiam percolunt*. A colo tertiæ coniugationis est cultor: & ita colo in primis est veneror. Sic Virg. 11. Æneid. versu 785.

*Summe Deus sancti custos Soractis Apollo,*
*Quem primi colimus, cui pineus ardor aceruo*

Pa-

*Pascitur, & medium, freti pietate per ignem*
*Cultores multa premimus vestigia pruna*
*Da pater hoc, &c.*

Et ita maiores colimus obsequio, pares amore, minores beneficijs. Colere etiam est habitare Virg. eclog. 2. versu 60

*habitarunt Di quoque siluas*
*Dardaniusq; Paris Pallas, quas condidit arces*
*Ipsa colat, nobis placeant ante omnia siluæ.*

Hinc dicti cœlicolæ, regnicolæ, ruricolæ. Colere etiam est arare, inde agricultura. Est etiã ducere Virg. 2. Georg. versu 532.

*Hanc olim veteres vitam coluere Sabini*
*Hãc Remus, et frater, sic fortis Hetruria creuit.*

Est & ornare. Sic Ouid de medicamine faciei.

*Fœminea vestri potiuntur lege mariti,*
*Et vix ad cultus, nupta quod addat, habet*
*Rure latẽt, finguntq; comas, licet arduus illas*
*Celet Athos, cultas altus habebit Athos.*

Colere etiam est amare. Hinc Terent. Heautontumorumeno Actu 2. scena 3.

*Quippe forma impulsi nostra nos amatores colũt.*

Tandem colere est exercere, inde dicimur colere militiam, studia, & similia. Quod ergo Cornutus dicatur cultor iuuenum, potest intelligi, vel quod illos exerceat, tradendo eis præcepta moralis philosophię, in quibus exercerẽtur, & formarẽtur ad virtutem, & sapientiam: vel quod eisdem præceptis eos ornaret. Et innuitur, translationem esse ductam ab agrorum ad animi culturam, vt enim colens, & exercens agrum, prius sentibus, tribulis, alijsque noxijs ipsum purgat, deinde ei sementem committit, sic philosophia animum

vitiorum spinis purgatum, virtutibus ornare aggreditur, nam vt dicitur Sapientiæ 1. *In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Et psal. 36. *Declina à malo, & fac bonum.* Sic etiam Cicero 2. Tusculan. *Vt agri non omnes frugiferi sunt, qui coluntur, falsumque illud, ac improbe.* Etsi in segetem sunt deteriorem datæ. Fruges, tamen ipsæ suapte natura enitent, *sic animi non omnes culti fructum ferunt. atque vt in eodem simili verser, vt ager quamuis fertilis sine cultura fructuosus esse nō potest, sic sine doctrina animus; ita est vtraque res, vna sine altera debilis: Cultura animi philosophia est, quæ extrahit vitia radicitus, & preparat animos ad satus accipiendos, eaque mandat his, &, ut ita dicam, serit, quæ adulta fructus uberrimos ferant.* Hæc ergo prestabat Cornutus ergo suos discipulos, vitia ab illorum animis expellendo, inserendoque virtutes, ideo merito dictus Cultor iuuenum.

*PVRGATAS inseris aures fruge Cleanthea.* Interuenit hic hypallage, idest casuum commutatio, vt in illo Augustini ad Dioscorum epist. 56. *Tot legisti dialogos, tot philosophorum altercationibus cor inseruisti:* non enim arua serimus in frugibus, sed fruges in aruis: vt ordo rectus debuerit esse: Inseris frugem Cleantheam auribus purgatis. Aures autem purgatas eas intelligit, in quibus sordes nullæ forent: sordes inquam, non tam physicæ, & naturales, quam ethicæ, & morales, vt infra versu 86. *Stoicus hic aurem mordaci lotus aceto.* Aures etiam non tam corporeas intelligit, & externas, quam internas animorum, quarum

sor-

sordes sunt passiones, à Stoicis, morbi & perturbationes dictæ, & negatæ cadere in sapiétem, nam docent, eum, qui talibus, & *præcipuè* philautiæ, seu proprio sensui, & opinioni cum tenacitate adhæserit, ineptum esse frugi Cleantheæ, siue sapientiæ. Quod si tanta, iuxta Ethnicos, exigebatur diligentia, vt animus naturalibus posset ditari scientijs, aut virtutibus, quanta par erit adhiberi, vt valeat exornari supernaturalibus, & Diuinis, vt sunt virtutes Theologicæ, & dona Spiritus sancti, in quibus vera est, & laudabilis sapientia? quum legamus Sap. 1. *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quę sunt sine intellectu*, cuiusmodi sunt illę, in quibus sensus præualet, & imaginatio. Abijcienda igitur primum vitia: prius inquam, saltem naturæ ordine, alioquin numquam illa perfectè excludentur, nisi per sapientiæ, seu Diuinæ gratiæ infusionem. Sed tamen omni luctandum conatu, naturalibus liberi arbitrij viribus, adiuti etiam gratia Dei (quæ pręsto est omnibus facientibus, quod est in se) ad illa nostris ex animis expellenda, vt diuinorum capaces simus donorum: ideo enim ille monebat: Vas es, funde, vt implearis, non enim minus, quam natura, vacuum non patitur, ideoque quicumque à se peccati abiecerit stultitiam, diuina statim implebitur sapientia, velut loquitur Apostolus 2. Timoth. 2. *Quicumque emundauerit se ab istis, erit uas in honorem, sanctificatum, & vtile Domino, ad omne opus bonum paratum*. Inserere autem est intromittere, imponere, & quasi

si intus seminare, & dicitur propriè de arborũ surculis, qui alijs inducuntur. Sic Virgilius Ecloga 1. versu 74.

*Insere nunc Malibæe pyros, pone ordine uites.*

Sic Colum. l.4. cap.29. *Tempus inserendi, Iulius Atticus tradidit ex Kalend. Nouembribus in Kalend. Iunias, quoad posse custodiri surculum siue gemmas affirmat: eoque debemus intelligere nullam partem anni excipi, si sit sarmentis alendis facultas. Verior itaque ratio est inserendi tepentibus iam diebus post hyemem, quum & gemmas, & corticem naturaliter mouent, nec frigus ingruit, quod possit, aut surculum insitum, aut fissuræ plagam inurere: permiserim tamen festinantibus, autumno uitem inserere, quia non dissimilis est eius aeris qualitas, uernæ.* Et lib. de Arboribus cap.26. vt l.5.c.10.ait: *Omnis surculus omni arbori inseri potest, si non est ei, cui inseritur cortice dissimilis: si uero similem etiam fructum, & eodem tempore adfert, sine scrupulo egregiè inseritur. Tria genera porro insitionum antiqui tradiderunt, unum, quo resecta, & fissa arbor, resectos surculos accipit: alterum quo resecta inter librum, & materiam, semina admittit, quę utraque genera uerni temporis sunt. Tertiũ quo ipsas gemmas cum exiguo cortice, in partem sui deliberatam recipit, quam uocant agricolæ emplastrationem, uel, ut quidam, inoculationem: hoc genus insitionis ęstiuo tempore optimè usurpatur.* Sic Cato de RR. cap.41. ait: *Vitis insitio una est per uer: altera est quum uua floret, ea optima est. Pyrorum & malorum insitio per uer, & per solstitium dies quinquaginta, & per uindemiam, oleæ & ficorum insitiones per uer.* Pro

simpliciter serere, etiam inserere dixerunt. Vnde Columella, qui dixerat lib.5. cap.6. *Si frumentis consulemus, uberi solo intra quadraginta pedes: exili ubi nihil seritur, intra uiginti, arbores disponuntur:* subdit eiusdem lib. c.6. *Arboribus rumpotinis, si frumentum non inseritur, in utramque partem uiginti pedum spatia interueniunt: at si segetibus indulgetur, in alteram partem quadraginta pedes, in alteram uiginti relinquuntur.* Verum hic poeta perstat in metaphora; nam nomine frugis Cleantheæ Stoicam intelligit philosophiam, maximè honestatis, & virtutis assertricem, & propterea fertilissimam, quam Cornutus, discipulorum aruis, nempe animis, à vitiorum sentibus purgatis, inserere, seu seminare nitebatur.

*FRVGE Cleanthea.* Frugis rectum est frux, quod iam obsoleuit, quum obliquum quod omnes casus, & in vtroque numero sit passim in vsu. Ipsum Isidorus deriuat à frumine, idest eminente gutturis parte, per quam lingua cibum demittit in stomachum: Græci laringen, Latini etiam fauces appellāt. At Varro deriuat à fruendo, vnde etiam frumentum, quasi fruimentum. Hinc fruges sunt quæcumque in hominum veniunt alimentum, & inprimis triticum, & legumina. Sic Plinius l.18. cap.7. Quoniam præparatus est ager, natura nunc indicabitur frugum: sunt autem duo prima eorum genera, frumenta, vt triticum, hordeum; & legumina, vt faba, cicer. Et Seruius in 1. Æneidos inquit: Generaliter omnes fruges dicuntur, & errant, qui discernunt frumenta à frugibus, nam Cicero ait; olei, & fra-

frugum minutarum, quum de leguminibus diceret, vt ostenderet etiam frumenta fruges vocari. Nec tantum ista, sed etiam carnes, vnde Virgil. Eclog. 3. versu 77.

*Quum faciam uitula, pro frugibus ipsa uenito.*
Hoc est, quum vitulam sacrificabo, venito, vt carnium accipias portionem. Et quod maius est, etiam vinum in frugibus nominatur. Vnde Liuius lib. 5. cap. 33. [ Aduentante fatali Vrbi clade, legati ab Clusinis veniunt, auxiliũ aduersus Gallos petentes. Eam gentem traditur fama, dulcedine frugum, maximeque vini, noua tum voluptate, captam, Alpes transisse, agrosque ab Etruscis ante cultos possedisse, & inuexisse in Gallias vinum, illiciendæ gentis causa. ] Multa etiam alia fruges dicuntur. Sic Ausonius Idyllio 16.

*Olim communis pecori cibus, atq; homini glans*
*Ante quidem campis, quam spicea suppeteret frux*
*Mox ador, atq; adoris de polline pultificũ far,*
*Instruit mensas, quo quondam Romulidũ plebs*
*Hinc cibus, hinc potus, quum dilueretur aqua puls*
*Est inter fruges morsu piper æquiparans git,*
*Et Pelusiaco de semine plana teres lens,*
*Et duplici defensa putamine quinq; genus nux*
*Quodque cibo, & potu placitum labor acer apum mel.*

Quum igitur mel, nux, piper & vinum inter fruges nominentur, quidquid hominibus in alimentum, vel potum venit, in frugibus computabitur, licet propriè de frumento, & leguminibus dicatur, vt ex Plinio vidimus.

CLEAN-

*CLEANTHÆA*. Fuit Cleanthes ex Asia, Phanij filius, & primum pugil, sed quum Athenas profectus fuisset, Zenonem audire voluit illum, à quo Stoica manauit philosophia; tantæque fuit paupertatis, vt, quo victũ sibi compararet, operam rigando locauerit hortulo, vt refert Seneca dicens epistola 44. *Bona mens omnibus patet, omnes ad hoc sumus nobiles: nec reijcit quemque philosophia, nec eligit, omnibus lucet. Platonem non accepit nobilem philosophia, sed fecit: Patricius Socrates non fuit: Cleanthes aquam traxit, & rigando hortulo locauit manus*. Et quidem noctibus aquam hauriebat, qua hortum abundè rigabat: diebus vero porticum frequentabat, vt Zenonem audiret disputantem. Nec habens vnde chartas emeret, quibus Zenonis consignaret præcepta, ea in testarum fragmentis, vel boum scribebat ossibus. Itaque summa vsus diligentia, adeo in philosophia profecit, vt in ipsa porticu, Zenonis successor esse meruerit, indeque quum pluribus annis eam scholam rexisset, obijt prope centenarius, & nunc frux Cleanthæa intelligitur Stoica philosophia.

*PETITE hinc iuuenesq; senesque finem animo certum, miserisq; viatica canis.* Ait: Rogate, vt accipiatis ex hoc præceptore, omnes cuiuscumque ætatis, apparatum pro vita feliciter agenda, vsque ad ærumnosam senectã. Longũ esset recensere omnia, quæ petendi vocabulo significantur: ad rem præsentem, petere est rogare, vt quidpiam detur. Sic Virg. 9 Æn. v. 94.

*O genitrix, quo fata vocas, aut quid petis istis:* hoc est rogas, vt istis Iliensibus donetur. Vel

est

est capere, seu accipere. Sic Virgil. 4. Georg. versu 8.

*Principio sedes apibus, statioque petenda.* idest *capienda*. Verum quod hic ait: Petite hinc iuuenesque, senesque, est: Rogate vt hinc, ex hac schola, ex hac Stoica philosophia, & hoc præceptore Cornuto, vobis detur: vel vosmetipsi imitantes Cleanthem, quum Zenoni adhæsit, accipite vel clanculum, quæ vobis vsui sint futura. Inuitat autem omnes homines, quos comprehendit appellatione iuuenum, & senum, quæ sunt præcipuæ ætatum differentiæ.

*FINEM animo certum*. Finis nomine scopū intelligit, ad quem cuiusque collimare debent operationes, de quo plura diximus ad illud satyræ 3. versu 60.

*Est aliquid quo tēdis, & in quod dirigis arcū.* Qui enim sibi certum non præstituit finem, semper vagari cogitur, & nunc huc, nunc illuc respicere, more stultorum, qui vt Luna mutentur, vel vt illi, qui glebis aues insecrantur. Omnis autem error circa finem, totam deordinat vitam, indeque tot irrepserunt errores, quia vulgo, ferè quot capita tot sentētiæ, suus cuique mos, & maximè in re morali tanta inuenitur opinandi libertas, vt non inueniat homo iustum secundum Diuinam, naturalem, & positiuam legem, immo illud habet honestum, & sanctum, quod animo lubet & sensui. Hinc ait Isidorus Pelusiota epistola 28. *Apud huiusmodi merito ipsa ciuilium rerum administrandarum ratio corrupta est: quum enim principem vniuersi ex animo suo eiecerint, quodcumq;*

tan-

*eandem iniustitiæ, atque improbitatis genus audacter perpetrare non dubitant.* Finis autem certus apud solos Stoicos constitui credebatur, nam isti in sola virtutis honestate eum ponebant, quæ quia esse dicebatur in solius operantis potestate, absque dependentia ab extrinseco, inamissibilis putabatur, ideoque sola sufficiens ad beatitudinem, de cuius ratione est, sollicitudine aliqua non angi. Reliquę vero sectæ felicitatem ponentes, vel totaliter in bonis corporis, & exterioribus: aut principaliter quidem in bonis animi, sed secũdario in exterioribus, quia quemdã habebãt amittendi timorem, hoc angebantur, vt felicitatem præstare non possent. Vnde etiam nos Christiani, qui secundariam, & accidentalem beatitudinis partem, in bonis corporis, & exterioribus consistere dicimus, nullatenus eam perfectam in hac mortali vita possibilem esse pronunciamus, sed tantum inchoatam: perfectam vero, & inamissibilem in alia, in qua resurgemus immortales, & nihil sperandum remanebit, quin omnia præsentia habebimus, absque formidine amittendi, quibus anima oblectabitur, & corpus.

*MISERISQVE viatica canis.* Viaticum est instrumentũ necessarium, vel commodum iter facientibus, siue sit cibus, siue pecunia, vel quoduis aliud. De pecuniario viatico ait Plautus Captiuis Actu 2. scena 3.

*Sequere me, viaticũ vt dẽ hinc à trapezita tibi.*

Sic Plinius lib. 3. epist. 21. *Audio Valerium Martialem decessisse, & molestè fero. Erat homo ingeniosus, acutus, acer, & qui plurimum scri-*

*ſcribenda , & ſalis haberet , & fellis , nec candoris minus . Proſecutus eram viatico ſecedentem , dederam hoc amicitiæ , dederam etiam verſiculis , quos de me compoſuit . Fuit moris antiqui , eos qui vel ſingulorum laudes, vel Vrbium ſcripſerant , aut honoribus, aut pecunia ornare.* Sic Cicero ad Atticum lib.12.epiſt.31 *Ciceroni velim hoc proponas, ita tamen ſi tibi non iniquum videbitur, vt ſumptus huius peregrinationis, quibus, ſi Romæ eſſet, domumque conduceret, quod facere cogitabat, facilè cõtentus futurus erat, accomodet ad mercedes Argileti et Auentini; & quum ei propoſueris, ipſe velim reliqua moderere, quemadmodum ex his mercedibus ſuppeditemus ei, quod opus ſit Præſtabo, nec Bibulũ, nec cidinum, nec Meſſalam, quos Athenis futuros audio, maiores ſumptus facturos, quam quod ex eis mercedibus recipietur. Itaq; velim videas primum, conductores qui ſint, & quanti: deinde vt ſit, qui ad diem ſoluat, & quid viatici, quid inſtrumenti ſatis ſit . Iumento certè Athenis nihil opus eſt ; quibus autem in via vtatur , domi ſunt plura, quam opus erat ; quod etiam tu animaduertis .* Sæpe viatici nomine venit facultas , & apparatus ad opus perficiendum . Et ita nunc viaticum miſerorum canum eſt facultas tolerandi ſenectutis ærumnas.

*CANVS* adiectiuè ille dicitur , cuius, ob prouectam ætatem, albeſcunt capilli. Et trãſfertur ad alia, vnde montes operti niue, cani ſunt appellati: & veritas ab antiquo conſtans, dicta cana, vt etiam cana fides apud Virgil. 1. Æneidos verſu 296. Subſtantiuè canus eſt capillus albeſcẽs. Sic Boet. 1. de Conſ. metro 1.

*In-*

*Intempestiui funduntur vertice cani.*

Et per metonymiam adiuncti pro subiecto, ipse homo, cuius capilli albescunt. Sic Cicero de senectute: *Ego magno quondam cum assensu omnium dixi: Miseram esse senectutem, quæ se oratione defenderet. Non cani, non rugæ, repente auctoritatem adferre possunt, sed honestè acta superior ætas.* Quam sententiam maiori tubicine docuit Spiritus Sanctus Sapientiæ 4. *Senectus venerabilis est, non diuturna, neq; annorum numero computata, cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* Et ita cani miseri dicti hic homines, quorum ob senectutem albescebant capilli: vel est ipsa senectus, dicta misera, quia vt ait Horatius ad Pisones: *Multa senem circumueniunt incommoda.*

*CRAS hoc fiet, idem cras fiet. Quid? quasi magnum, nempe diem donas. Sed quũ lux altera venit, iam cras hesternum consumpsimus, ecce aliud cras, eggerit hoc annos, & semper paullum erit vltra. Nam quamuis prope te, quamuis temone sub vno, uertentem sese frustra sectabere cãthum, quum rota posterior curras, & in axe secundo.* Ordo planus: Cras fiet hoc, cras fiet, idem. Quid donas quasi magnum? nempe diem: sed quum venit lux altera, iam consumpsimus cras hesternum, ecce aliud cras. Hoc eggerit annos, & semper erit paullum vltra: nam rota, frustra sectabere canthum, vertentẽ sese, quamuis prope te, quamuis sub vno temone, quum curras posterior, & in axe secundo. Mirè quam moratè his verbis exprimatur fatua, & insipiens illorum procrastinatio, qui,

per

per abrupta vitiorum incedentes, si admoneātur de reditu ad frugem meliorem, virtutem, & sapientiam, id non abnuunt, hoc enim etiam ipsis vituperabile videretur, sed vt dicitur psalmo 140. declinant *cor in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis*, ideſt præsens prætendunt impedimentum, à quo facilè se promittunt explicaturos, & tunc, liberi, totis viribus morum emendationi se recipiunt vacaturos. Non aduertentes id, quod ait Gregorius hom. 12. in Euangelia: [Qui pœnitenti veniam spopondit, peccanti diem crastinum non promisit: semper ergo extremum diem debemus metuere, quem numquam possumus præuidere. Ecce hunc ipsum diem in quo loquimur, ad inducias conuersionis accepimus, & tamen mala quæ fecimus, flere recusamus. Non solum commissa non plangimus, sed etiā, quę defleantur augemus. At si aliqua nos ægritudo corripiat, si signa ægritudinis vicinā mortem denuncient, inducias viuendi quærimus, vt peccata nostra defleamus, & eas cum magno æstu desiderij quærimus, quas acceptas modo, pro nihilo habemus. Rem, fratres charissimi, refero, quam si intentè audire vult charitas vestra, ex consideratione illius vehementer instruatur. Quidam vir nobilis in Valeria Prouincia, nomine Chrysaorius fuit, quem, lingua rustica, populus Chryserium vocabat: vir valdè idoneus, sed tantum plenus vitijs, quantum rebus: superbia tumidus, carnis suæ voluptatibus subditus, in acquirendis rebus auaritiæ facibus accensus. Sed quum tot malis Dominus finem ponere decreuisset,

sicu-

ſicuti à religioſo viro quodam, qui nunc ſupereſt propinquo illius didici, corporis languore percuſſus eſt. Qui ad extremum veniẽs, eadẽ hora, qua iam de corpore erat exiturus, apertis oculis vidit tetres, & nigerrimos ſpiritus coram ſe aſſiſtere, & vehementer imminere, vt ad inferni clauſtra ſe raperent. Cœpit tremere, pallleſcere, ſudare, & magnis vocibus inducias petere, filiumque ſuum nomine, Maximum (quem ipſe iam Monachus Monachum vidi) nimijs, & turbatis clamoribus vocare, dicens: Max me curre, Maxime curre: numquam tibi aliquid mali feci, in fidem tuam me ſuſcipe. Turbatus mox Maximus adfuit, lugens, & perſtrepens familia conuenit: eos autem, quos ille inſiſtentes ſibi grauiter tolerabat, pſi, malignos ſpiritus, videre non poterant, ſed eorum præſentiã, in confuſione, in pallore, ac tremore illius, quis trahebatur, videbant. Pauore autem tetræ eorum imaginis, huc illucque vertebatur in lectulo: iacebat in ſiniſtro latere, aſpectum eorum ferre non poterat: vertebatur ad parietem, ibi aderant. Quumq; cõſtrictus nimis, relaxari iam ſe poſſe deſperaret, cœpit magnis vocibus clamare, dicens: Inducias vel vſque mane, inducias vel vſque mane: ſed quum hæc clamaret, in ipſis ſuis vocibus de habitaculo ſuę carnis euulſus eſt.] Inſipientes ergo, qui quum poſſint hodie ad meliorem frugem redire, malunt craſtinum expectare, non cogitantes pſalmiſtæ conſilium pſalmo 94. *Hodie ſi uocem eius audieritis, nolite obdurare corda ueſtra*, vt ſi hodie interna, vel externa inuitemini voce, de vitæ emendatione,

ne, ne cunctemini in malis, vel vſque mane.
Quod & Martialis notat lib. 5. epig. 58. dicens.

*Cras te victurum, cras dicis Poſthume ſemper*
*Dic mihi: Cras iſtud, Poſthume, quādo uenit?*
*Quam longè cras iſtud? ubi eſt? aut unde petendum?*
*Numquid apud Parthos, Armenioſq; latet?*
*Iā cras iſtud habet Priami, uel Neſtoris annos*
*Cras iſtud quanti, dic mihi, poſſit emi?*
*Cras uiues, hodie iam uiuere Poſthume, ſerū eſt*
*Ille ſapit, quiſquis, Poſthume uixit heri.*

Vanum eſt enim ſperare in hac materia, quod Echion ille centenarius promittebat apud Petronium in Satyrico, & cœna Trimalchionis dicens: *Quod hodie non eſt, cras erit* Nam vere dum pro tui emendatione craſtinum expectas, abſque morum correctione morieris. Potius manum aratro ſtatim inijcias, ſecurimque ad arboris applices radices, vitia abſque dilatione excindendo, vt ibidem ait idem Echion: *Modo ſic, modo ſic*; ſi namque verè conuerti appetis, ex hoc nunc debes incipere, vt dicas ex pſal 76. *Nunc cœpi, hęc mutatio dexteræ excelſi*. Quod & nequitiarum magiſter monuit, dicens lib. 1. de Remedio.

*Sed propera, nec te uenturas differ in horas,*
*Qui non eſt hodie, cras minus aptus erit.*
*Verba dat omnis amor, repetitque alimenta morando*
*Optima uindictæ proxima quęq; dies.*
*Flumina pauca uides magnis de fontibus orta*
*Plurima collectis multiplicantur aquis*
*Si cito ſenſiſſes quantum peccare parares*
*Non tegeres uultus cortice Myrrha tuos*

Vidi

*Vidi ego, quod fuerat primo sanabile uulnus*
*Dilatum, longæ damna dedisse moræ,*
*Sed quia delectat Veneris decerpere flores,*
*Dicimus assiduè Cras quoq; fiet idem*
*Interea tacitæ serpunt in uiscera flammæ,*
*Et mala radices altius arbor agit.*

Tempus enim vsque ad diem crastinum, licet videatur modicum, est tamen quodammodo infinitum, & impertransibile, adeout numquã sis facturus, quod cras te facturum promiseras, quia numquam cras erit præsens, vt possi operari. Hinc Ouuen. epigrammatum ad D. Mariam Neuille lib. 3 epig. 50. ait:

*Hoc quod adest Hodie, quod nomen habebat heri? Cras*
*Cras, Hodie, quodnam nomen habebit? Heri.*
*Cras lentum, quod adest numquam, nec abest procul vnquam,*
*Quonam appelletur nomine cras? Hodie.*

Quapropter si consequi velis effectum, hodie, immo nunc, manus operi imponenda. Ita Seneca ait: de breuitate vitæ cap. 4. *Tamquam semper victuri viuitis, numquam vobis fragilitas vestra succurrit. Non obseruatis quantum iam temporis transierit: velut ex pleno, & abundanti perditis, quum interim fortasse ille ipse alicui, vel homini, vel rei donatus, vltimus dies sit. Omnia tamquam mortales tenetis, omnia tamquam immortales concupiscitis. Audies plerosque dicentes: A quinquagesimo in otium secedam: Sexagesimus annus ab officijs me dimittet. Et quem tandem longioris vitę prędem accipis? Quis ista, sicut disponis, ire patietur? Non pudet te reliquias vitę tibi seruare, & id solum tempus bonæ*

*menti destinare, quod in nullam rem conferri possit? Quam serum est tunc viuere incipere quum desinendum est! quæ tam stulta mortalitatis obliuio, in quinquagesimum, & sexagesimum annum differre sana consilia, & inde velle vitam inchoare, quo pauci perduxerunt.* In cuiusmodi homines intorta imprecatio illa: Maledicti, qui vitæ florem diabolo, flocem Deo offerunt. Et Seneca subdit ibidem cap 9. *Impendio vitæ vitam instruunt, cogitationes suas in longum ordinant. Maxima porro vitæ iactura, dilatio est: illa primum quemque extrahit diem, illa eripit præsentia, dum vlteriora promittit. Maximum viuendi impedimentum est expectatio, quę pendet ex crastino. Perdis hodiernum: quod in manu fortunæ est, disponis, quod in tua, dimittis. Quo spectas? Quo te extendis? omnia quæ ventura sunt in incerto iacent, protinus viue.* Hoc autem malum ex animi mollitie, & effęminatione, seu ignauia procedit, vnde Sapiens ait Prouerb. 6. *Vsquequo piger dormis? quando consurges à sonno tuo.* Et ibidem cap. 26. *Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo*, ideoq; numquam vitę inchoat emendationem. Et hoc est, quod nunc ait poeta, adhortans homines ad philosophiam. Cui exhortationi piger aliquis respondet: Cras hoc faciam: sed adueniente die crastina, aliud prætenditur cras. Id quum poeta reprehenderet, piger indignatur, putans non esse magnam vnius diei dilationem pro re tanti momenti, vt est inchoatio emendationis. Certè quamuis apud stultum vulgus, magna non censeatur vnius diei iactura, apud tamen sapientes, thesauris re-

regnisque omnibus magis reputatur: illa namque die, vel hora comparare sibi possunt virtutem, & gloriam, qua tota fruantur ęternitate, ideoq; sinere labi temporis illā particulam absque bona operatione, non accidit absque culpa. Vigilanti ergo studio niti debemus, vt à peccatis etiam minimis liberi simus, immo ait Chrysostomus hom. 87. in Matthæum: [ Repellenda malorum initia sunt, nam etiam si ad maiora, prima non progrederentur peccata, non esset tamen negligendum, nunc vero per istā incuriam gradatim semper ascendunt: quapropter omni studio, atque opera funditus principia peccatorum sunt vertenda. Non enim vim delicti solam consideres, nec quia paruum sit cogites, sed illud præcipuè tene, quia si radicem non euulseris, magnus inde labor succrescet. Mirabile quidem atque inauditum dicere audeo. Solet mihi nonnumquam non tanto studio magna videri peccata esse euitanda, quanto parua, & vilia: illa enim natura ipsa sponte auertitur, hæc autem hac ipsa re, quia parua sunt, desides reddunt, & dum contemnuntur, non potest ad expulsionem eorum animus generosè insurgere, vnde cito ex paruis, maxima fiunt negligentia nostra. Inde legimus Apocalyp. 3. Vtinam frigidus esses, aut calidus, sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo.] Sed vt diximus, non est parua vnius diei, vel horę, iactura, nec paruo se exponit periculo procrastinans, & ad diem crastinam differens conuersionem, nam vt dicitur Ecclesiastici 3. *Cor durum habebit malè in no-*

*uissime, & qui amat periculum in illo peribit.* Immo etsi nullum foret aliud, quid de eo, quod sequitur.

*SED quum lux altera venit, iam cras hesternum consumpsimus, ecce aliud cras*, idest aduenienete die illo, quo vitę promiseras emendationem, si tibi in memoriam reducam aduenisse tempus præstandi, quæ te facturum receperas, rursum aliam postulabis tibi concedi breué temporis prorogationem. Consumo est tam primæ, quam tertiæ cōiugationis. Quum est primæ, valet, absoluo, & ad vltimam duco perfectionem. Sic Ioannis 17. *Ego te clarificaui super terram, opus consummaui, quod dedisti mihi, vt faciam.* At quum est tertię, est absumo, & quasi in nihilum redigo. Sic Plinius lib. 11. cap. 18. *Rege, ea peste consumpto, mæret plebs ignauo dolore.* Et Cicero 1. de Legibus: *Dum Latinæ loquentur litteræ, quercus huic loco non deerit, quæ Mariana dicatur, eaque vt ait Scæuola, de fratris mei Marij: canescet seculis innumerabilibus: nisi fortè Athenę tuę sempiternam in arce oleā tenere potuerunt, aut quod Homericus Vlysses, Deli se proceram, & teneram palmam uidisse dixit, hodie monstrant eamdem, multaque alia multis locis diutius commemoratione manent, quam natura stare potuerunt. Quare glandifera illa quercus, ex qua olim euolauit.* Nuncia fulua Iouis miranda visa figura, *nunc sit hac. Sed quum eam tempestas, vetustasue consumpserit, tamen erit in his locis quercus, quam Marianam quercum vocant.* Et sic dicimus consumere patrimonium, vel hereditatem, aut alia. Et ita sumitur hic, nam quum sit tertiæ

con-

coniugationis, importat, nihil superesse diei hesterni, transisseque illud, quod hesterna die dicebatur Cras, mutatum in Hodie, ideoque iuxta promissionem, aduenisse tempus, quo vitæ emendationem inchoare deberes. Nihilominus etiam si hesternum transierit, aduenit aliud Cras, & per Cras continuè ducitur vita, & anni euoluuntur.

*EGGERIT hoc annos, & semper paullum erit vltra*: hoc est. Hoc cras eggerit annos, & semper remanebit aliquod modicum accipiēdum, scilicet aliud Cras. Rectè ergo Cornutus legit *Eggeris hoc annos*. Impressi vero codices passim habent *Eggerit hos annos*, quasi annos vitæ præsentis, transeuntes per præsens de futuro in præteritum, quum vita futura, & beata sit tota simul, nec vllo modo transeat, vtpotè cuius mensura est æternitas partic pa-tic nora, nullam admittens successionem, ideo notanter dixit: Hos annos vitę mortalis. Vtraq; lectio sustineri potest, sed prima est conformior textui, & menti poetæ. Eggero est pro Ecgero, sicut Effero pro Ecfero, & Effatus pro Ecfatus, ad euitandam cacophoniam: idem accidit in aggero, eggero, suggero, & alijs: nam antiqui. Ec dicebant, vt Græci ἐξ, posteriores vero Euphoniæ gratia, præpositionis consonantem mutauerunt in alteram verbi cui adiungebatur. Est autem eggerit, præsens indicatiui tertię coniugationis, idem valens ac extrafero: est enim verbum compositum, ex ec, idest extra, & gero, vnde eggerere, siue ecgerere, est extra gerere, siue extra ferre. Quod verbum vsurpatur quando nulla adhibetur vio-

lentiæ, nec eſt vincenda repugnantia rei, quę extra ferri debet, præter eam, quam fortè dat naturale pondus eiuſdem, alioquin non diceretur eggeri, ſed vel trahi, vel trudi, expelli, aut extirpari. Sic Horatius, de noſtrę vitæ diebus dixit l.2.carm.ode 18. *Truditur dies die* Sed ſimpliciter eggerere dixit Columella lib. 2.cap.15. *Tria ſtercoris genera ſunt præcipua, quod ex auibus, quod ex hominibus, quod ex pecudibus confit. Auium primum habetur, quod ex columbarijs eggeritur.* Sic Cato de RR. cap.37. *Per hyemem lucubratione hęc facito: ridicas & palos, quos pridie in tecto poſueras, ſiccos dolato, faculas facito, ſtercus eggerito.* Et Varro 1.de RR. cap. 38. *Sterquilinium ſecundum villam facere oportet, vt quam pauciſſimis operis eggeratur.* Et ita nunc ſumitur, eſto metaphoricè, nam cras extra fert annos.

*NAM quamuis prope te, quamuis temone ſub vno.* Eleganter, & commodiſſima imagine oſtendit impoſſibilitatem perueniendi ad bonam mentem, quæ eſt in illis, qui conuerſionem ad diem craſtinum, vel breue tempus differunt, exemplo inquam ſecundæ rotæ rhedæ, illius videlicet, quæ ſub eodem temone, ſed circa ſecundũ voluitur axem. Illa enim quamuis velociſſimè moueatur, numquam primam attingere poterit, nam hæc pari fugit velocitate, nec tantum illa procedit, quin iſta ſimiliter antecedat. Eodemque modo dies hodiernus craſtinum numquam attinget, quia totidem ſemper horis eſt ab eo diſcretus, vt ſit impoſſibile nedum naturaliter, ſed (vt multorum, & fortè vera fert opinio) etiam ſupernatu-

naturaliter, duo tempora ad inuicem penetrari, aut diem hodiernum fieri crastinum, vel è contra. Quapropter qui ad sui emendationem procrastinando, expectat crastinum fieri præsentem, & quasi hodiernum, numquam eam inchoabit. Sed qui dicere poterit, vt psal. 76. *Nunc cæpi*, experietur in se mutationem *dexteræ excelsi*. Inde hortatur Ausonius epigrammate 83.

*Incipe: dimidium facti est cæpisse: superest*
*Dimidium: rursum hoc incipe, & perficies.*

Temo autem, iuxta Varronem 6. LL. à tenendo dictus, quia iugum continet, est lignum longum, & extensum, in aratro, & curru, ad quod ligatur iugum, currens medium inter equos, vel boues rhedam trahentes, & cui alligantur axes transuersi, circa quos rotæ voluuntur. Sic Ouidius 2. Metamorph.

*Aureus axis erat, temo aureus, aurea summæ*
*Curuatura rotæ, radiorum argenteus ordo.*

*VERTENTEM sese*. Vertere, iuxta quosdã dicitur à Vere, quando annus verti incipit, & renouari. At Varro 4. LL. potius Ver à vertendo deducit, nam ait: Tempus secundum Ver, quod tum virere incipiunt virgulta, ac vertere se tempus anni. Alij dictum putant à varo, flexo videlicet, seu curuo, quod enim vertitur, flecti, & incuruari videtur. Variæ sunt huius verbi significationes, vnde Virgil. 8. Æneid. versu 437. ait:

*in pectore Diuæ*
*Gorgona, desecto uertentem lumina collo.*

Vertere etiam terram, est fodere, vel arare. Sic Virg. 7 Æneid. versu 539.

*terram centum vertebat aratris.*

Significat etiam conuertere, vel applicare. Sic Plinius lib. 15. cap. 4. *Oleo natura tepefacere corpus, & contra algores munire: eidemque feruores capitis refrigerare. Vsum eius ad luxuriam vertere Græci, vitiorum omnium genitores in gymnasijs publicando.* Sed hic est volui, seu circumagi, vel in orbem moueri, vt accidit in orbibus, circulis, & rotis, quum in gyrum agitantur.

*FRVSTRA sectabere*, à sector vnde etiam sectatores, & sectores, cuiusmodi sunt, & qui secant, & qui empta persequuntur: ad quam significationem respiciens ait Asconius in Verrinam 3. Sectorem dicit æstimatorem, redemptoremque bonorum damnati, atque proscripti, qui spem spectans lucri sui, idest secutus spem æstimationis suæ, bona omnia auctione vendit, & semel infert pecuniam, vel ærario, vel socijs. Sic Cicero pro Roscio Amerino: *Quid ais? vulgo occidebantur? per quos & à quibus? nonne cogitas te à sectoribus huc adductum fuisse? Quid postea? Nescimus per ista tempora eosdem ferè sectores fuisse collorum, & bonorum.* Sed nunc sectabere non est à verbo secandi, sed potius à sequendi, & eius frequẽtatiuo, vt sectari sit, diu, assiduè vel continuè sequi, tractum à philosophorũ discipulis, qui magistros assiduè comitabantur, & sequebantur, quo eorum exemplis, colloquijs, & doctrinis proficerent, ideoque eorum scholæ, sectæ dictæ. Sic Terent. Eunucho Actu 2. sc. 2.

*sectari iussi*

*Si potis est, tamquam philosophorum habẽt disciplinæ.*

In

In laxiori tamen significatione ait Plautus Cistellaria Actu 2. scena 2.

*Anum sectatus sum clamore per vias.*

Hic est rotam posteriorem currus, sequi priorem.

*CANTHVM.* Non est hic Canthus ille Abantis filius, vnus ex Argonautis, qui, reuersus è Colchis, in Lybia obijt. Neque canthus sumitur, vt à medicis, & anatomistis, pro oculi angulo: sed pro orbe, siue circulo: vnde Hieronymus 3. in Ezechielem, rotarum circulos, canthos appellat ferreos, quibus lignorum rotunditas arctatur, & constringitur; sic Martialis lib. 14. epigr. 166.

*Inducenda rota est, da nobis vtile munus*
*Iste trochus pueris, at mihi canthus erit.*

Sic Probus in illud Virg. 1. Georg. v. 163.

*Tardaq; Eleusinę matris voluentia plaustra,*

ait: Imperiti ea plostra appellant, suntque species vehiculorum, quorum rotæ non sunt radiatæ, sed timpana cohærentia axis, ac iuncta cantho ferreo. Et idem in versu 44. lib. 2. Georg. ait: Radij sunt ligna inter axem, & canthum, siue rotæ circulum interiecta. Sic August. de principijs Dialecticæ cap. 6. inquit: [Terra quæ pedibus itinerantium flexuosa & trita est, via dicitur: Si autem via, quæ vi pedũ trita est, creditur dicta, redit origo ad illam vicinitatem. Sed faciamus à similitudine vitis, vel viminis, hoc est à flexu esse dictam, quęrit ergo me quispiam, quare via dicta est? respondeo à flexu, quia flexum velut incuruũ, vietum veteres dixerunt: vnde vietos, quod cantho ambiantur, rotarum ligna vocant.]

Verum canthus hic est ferrum illud, quo rotarum adstringuntur extrema: & per senecdochen partis pro toto, est rota, vt sensus sit: Tu rota licet continuè curras, quum sis in axe secundo, numquam assequeris primam, existentem in axe priori.

*ROTA* iuxta Isidorum lib. 20. cap. 12. & 15. à ruendo dicitur, quia facilè in suos orbes ruit & conuertitur: vel est à ῥοθεῖν strepitū edere, vel impetu ferri, & vtrumque est in rotis, quibus rheda non minus currit, earumque circumuolutione procedit, quā animal pedibus. De Rotis Simposius ait:

*Quatuor equales currunt ex arte sorores*
*Sic quasi certantes: quum sit labor omnibus vnus,*
*Et prope sunt pariter, nec se cōtingere possunt.*

Posita est in casu nominand. Rota, per prosopopojam, cuius exempla passim occurrunt.

*AXIS* aliquando est tabula, siue tabella, in qua leges scribebantur, vnde duodecim tabulæ legum Romanarum, Axes, vel Axamenta dictæ. Et Gellius ait lib. 2. cap. 12. *In legibus Solonis illis antiquissimis, quę Athenis, axibus ligneis incisę sunt, quasq; latas ab eo, Athenienses, vt sempiternæ manerent, pœnis, & religionibus sanxerunt, &c.* Generalius Axes pro ligneis tabulis dixit Vitruuius lib. 4. cap. 2. *Trabes supra columnas, & parastratas, & antes ponūtur in contignationibus ligna, & axes.* Axis est mundi diametrum, seu linea imaginata ab Arctico ad antarcticum, circa quam Cęli voluuntur, & per senecdochen, poli, Cœli cardines, & ipsum Cœlum, axes dicti. Sed propriè

nunc-

nunc Axis est lignum teres, seu leuigatum, circa quod rotæ voluuntur, ita fortè ab agendo dictum, quod rotæ circa ipsum agantur. Huiusmodi axes duo sunt in rheda, & anterior quidem, minores, breuioresque sustinet rotas, posterior vero longè ampliores. Asserit ergo, rotas posteriores, licet vastioribus orbibus circumactas, numquam assecuturas priores sibi propinquas sub eodem temone existentes, siquidem eadem prorsus velocitate, qua illæ insequuntur, hæ fugiunt. Et eodem modo numquam dies hodiernus attinget crastinum, immo semper ijsdem horis ab eo distabit.

*LIBERTATE opus est, non hac qua ut quisque Velina Publius emeruit, scabiosum tesserula far possidet.* Ordo est: Opus est libertate, non hac qua quisque Publius, vt emeruit tesserula Velina, possidet far scabiosum. Libertas iuxta Institutum Ciuile lib. 1. Tit. de Iure personarum, *est naturalis facultas eius, quod cuique facere libet, nisi quod vi, aut iure prohibetur.* Et iuxta Ciceronem in paradoxis cap. 5. *est potestas viuendi, vt velis. Quis igitur viuit, vt vult, nisi qui recta sequitur, qui gaudet officio, cui viuendi via considerata, atque prouisa est? Qui legibus non propter metum paret, sed eas sequitur, atque colit, quia id salutare maxime esse iudicat: qui nihil dicit, nihil facit, nihil cogitat, denique nisi libenter, ac liberè. Cuius omnia consilia, resque omnes quas gerit, ab ipso proficiscuntur, eodemque referuntur, nec est vlla res, quæ plus apud eum polleat: quam ipsius voluntas, atque iudicium. Cui quidem etiam, quæ vim habere*

ma-

*maximam dicitur, fortuna ipsa cedit.* Verum voces libertas, ac seruitus ad inuicem correlatiuæ, omonymæ sunt, & æquiuocæ, alia siquidem est seruitus, Ciuilis, & secundum ius Quiritum, qua quis siue iure belli, siue alio quouis modo est alteri addictus: & exemptio à tali seruitute, siue addictione, est libertas secundum ius Ciuile, quam præstare potest Prætor, vel alius Magistratus. Alia est seruitus naturalis, seu moralis, qua quis addicitur vitijs, vel animi passionibus, & concupiscentijs: & immunitas à tali seruitute, est libertas moralis, seu naturalis, quam nullus Prætor, Magistratus, Rex, aut Imperator potest præstare, sed tantum Diuina gratia. Non repugnat autem, aliquem Ciuili seruitute esse alteri addictum, immo vinculis, compedibusque ligatum, & tamen morali, ac naturali gaudere libertate, vt de B. Hermenegildo 3. Dialogorum cap. 3. ait Gregorius; *Etsi exterius iacebat ligatus, apud se tamen in magno mentis culmine stabat securus.* Vt ex opposito summi Reges, & Monarchæ Nero, Tiberius, Caligula, Cambyses, Sardanapalus, & alij, in culmine temporalis dominationis, vitiorum constricti catenis, fœdissimam seruiebant seruitutem: de quibus merito dicere quis posset, quod serm 1 de Natali Apostolorum Petri, & Pauli, de Vrbe Roma dixit Leo: *Hæc autem Ciuitas, quæ pene omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium seruiebat erroribus.*

*VELINA* erat vna ex tribubus, seu Regionibus Vrbis Romæ, Ciceronis saltem temporibus diuisæ in tribus, seu regiones triginta-

quin-

que. Hæc tribus Velina sita erat sub monte Palatino, qua Cœlium respicit: sic dicta, vel ideo, quod Pastores Palatini, ante Vrbem cōditam, oues ibi vellere consueuissent, vt in loco aprico ad Orientem, & meridiem spectāte. Vel quod in eam Vrbis partem migrauerint, qui Velinum prius lacum incoluerant. De hac tribu Horat. lib. 1 epist. 6.

*Mercemur seruum, qui dictet nomina, læuum*
*Qui fodiat latus, & cogat trans pondera, dextram* *(Velina*
*Porrigere; hic multum in Fabia valet, ille*
*Cuilibet hic fasces dabit, eripietq; curule*
*Cui volet.*

Eiusdem meminit Cicero scribens Attico lib. 4 epist. 14. *Messius defendebatur à nobis è legatione reuocatus, nam eum Cæsari legarat Appius: Seruilius edixit, vt adesset: tribus habet Pontinam, Velinam, Metiam, pugnatur acriter.* Lacus etiam Velini fit mentio in eadem epistola his verbis; *Reatini me ad sua τέμπη duxerunt, vt agerem causam contra Interamnates apud Coss & decem legatos, quod lacus Velinus à M. Curio emissus, intercisō monte, in Nar defluit, ex quo est uilla siccata, & humida, tamen modicè Rosea.*

*PVBLIVS* vnum erat ex prænominibus Romanorum, deriuatum à pube, hoc est signo virilitatis: Vel ab ætate pupillari, quia priusquā haberent prænomina, pupilli facti forent absque patre. Proprium autem Romanorum fuit habere nedum nomina, sed & prænomina, & cognomina, & quandoque etiam agnomina consequentia præclarum aliquod factum, vt

Scipiones ex Africa, Asia, & Numantia, agnominati Africanus Asiaticus, & Numantinus. Publius ergo prænomen erat, addi solitum nominibus Ciuium Romanorum, etiam libertis, qui plenam adepti fuissent libertatem. Serui namque, dum seruitutis vinculis tenebantur, vnum tantum habebant nomen, libertatem vero assecuti, prænomina, & cognomina accipiebant, sic Dionysius Attici seruus, dictus Marcus Pomponius Dionysius; & ex seruo liber factus, pro vno nomine tria accepit, duobus à manumittente ditatus, quod magnifiebat, nam vt ait Hor. 2. serm. sat. 5.

*domi si natus erit fæcundaue coniux*
*Quincte, puta, aut Publi (gaudent prænomine molles*
*Auriculæ) tibi me virtus tua fecit amicum.*

*EMERVIT*, emeritus est, meruit, & meritus est, significat exercere aliquid, quamobrē quis dignus sit acipere præmium, vel pœnam pati, siue vt dignè, & merito, boni, vel mali quidpiam consequatur. Sic Plautus Aulul. Actu 4. scena 6.

*Quid ego emerui adolescens mali*
*Quamobrem ita faceres.*

Sic Propert. lib. 4. eleg. 12.

*Et tamen emerui generosos vestis honores,*
*Nec mea de sterili facta rapina domo.*

Sic Ouid. 4. Tristium eleg. 8.

*Miles vbi emeritis non est satis vtilis armis*
*Ponit ad antiquos, quæ tulit arma, Lares.*

Emeriti siquidem intelliguntur, qui, confectis stipendijs, senio, aut vulneribus debilitati, honestam meruissent missionem: nam hi domum

se-

reuersi, alimenta ex publico accipiebant. Sic etiam boues, & equi emeriti dicebantur, qui, senio, laboribus, aut vulneribus debilitati, ministerio inutiles euaserant. Nunc autem sermo est de seruo manumisso, qui far emeruit tesserula Velina. Quod quidam interpretãtur, quasi quod missionem, diligenti meruisset seruitio. Sed textui non consonat, non enim videtur, tressem agasonem, vappam, & lippum, potuisse esse industriæ tam solertis, vt ob diligentiam mereri potuerit manumissionem: & etiam si hanc meruisset, textus de ea non loquitur, sed de farre. Dicimus ergo, ad far merendum, aliud non requiri, quam esse Ciuẽ Romanum, & pauperem. Ciuitatem autem Romanam consequebatur seruus per manumissionem. Et ita quum quis manu mittebatur absque honesto congiario, liber quidẽ erat, & Ciuis Romanus, sed quia pauper, indigebat accipere alimenta ex publico, ad quę dabantur tesseræ frumentariæ: quibus opus non erat illis, qui à manumittente redditus haberent, vt Plaut. Epidico Actu 5. scena 2.

*Nouo liberto opus est, quod pappet.*

P. *Dabitur, præbebo cibum.*

Et ita M Dama de illorum numero erat, qui nudam libertatem, ciuitatemque fuerat adeptus, & ideo vt pauper, opus habebat, per tesseras frumentarias tribus Velinę, accipere alimenta cum alijs pauperibus.

*SCABIOSVM*, alij legunt Scabrosum: vtrũque legeris, idem erit sensus, nam vtrumque nomen ab eadem est origine, nimirum à scabo, quod est vnguibus fodio, & inde est scabies,

bies, sicut à specio, species, & ab effingo, effigies: à scabie vero est scabiosus. Ab eodem etiam scabo est scaber, vnde scabricies, & scabrosus. Scabies autem propriè est cutis asperitas cum pruritu, vt dictum est ad illud sat. 2 versu 13. *Namque est scabiosus.* Sic Columell. lib. 7. cap. 5. *Oues frequentius, quam ullū aliud animal infestantur scabie, quæ ferè nascitur, sicut noster memorat poeta:*

quum frigidus imber
Altius ad viuum persedit, & horrida cano
Bruma gelu:

*Vel post tonsuram, si remedium prædicti medicaminis non adhibeas; si æstiuum sudorem mari, uel flumine non abluas; si tonsum gregem patiaris siluestribus rubis, ac spinis sauciari: si stabulo utaris, in quo mulę, aut equi, aut asini steterunt: præcipuè tamen exiguitas cibi maciem, macies autem scabiem facit, Hęc ubi cępit irrepere. sic intelligitur: uitiosum locum pecudes, aut morsu scalpunt, aut cornu, uel ungula tundunt, aut arbori adfricant, parietibusue detergent: quod ubi aliquam facientem uideris, comprehendere oportebit, & lanam diducere, nam subest aspera cutis, & ueluti quædam prurigo.* Scabrū vero siue scabrosum illud dicitur, quod est inæquale, vel tactu asperum. Hinc far scabrosum seu scabiosum erit, vel quia admixta habet aliqua grana, à curculionibus exesa, vt tota farris massa ex inæqualibus constans granis, scabrosa, seu scabiosa, & aspera videatur. Vel ob glumam, frumentum semper comitantem, & maximè illud quod à magistratibus in pauperum alimoniam destinatur, terra, paleis, & im-

& immunditijs inquinatum. Non est autem nouum, rem corruptam, & prauã dici scabiosam, vt de pomis Iuuen.sat.5. versu 149.

*Virronibus illa iubebis*
*Poma dari, quorum solo pascaris odore*
*Qualia perpetuus Pheacũ Autumnus habebet,*
*Credere, quæ possis subrepta sororibus Afris,*
*Tu scabie frueris mali, quod in agere rodit*
*Qui tegitur parma, & galea. metuensq; flagelli*
*Dicit ab hirsuta iaculum torquere capella.*

*TESSERVLA* diminutiuum à tessera. Hæc supra versu 17. erat figura omni ex parte quadrata. De qua nunc non est sermo. Est etiam signum, quod Imperator ad vesperam mittebat Centurionibus, conferendum decurionibus, & militibus, vt noctu, socij ab hostibus dignoscerentur. De hac tessera Vegetius lib. 2. cap. 7. ait: *Tesserarij, qui tesseram per contubernia militum nunciant*, Tessera est Ducis præceptum, quo vel ad aliquod opus, vel ad bellum mouetur exercitus. Sic Sueton. in Nerone cap. 9. *Matri summam omnium rerum publicarum, priuatarumque permisit: primo etiam imperij die, signum excubanti Tribuno dedit, Optimam matrem.* Idem autem est signum, ac tessera. Erant etiam tesseræ hospitales, quæ trãsibant ad heredes, & versabantur inter eos, inter quos erat necessitudo, siue ius hospitij, & earum exhibitione aduenę recipiebantur. Sic Plautus Penulo Actu 5. scena 2.

*A. Siquidẽ tu Antidamæ hic quæris adoptiuũ*
*Ego sum ipsus quem tu quæris.*
*H. Hem! quid ego audio?*
*A. Antidamæ gnatum me esse.*

H. Si

*H. Si ita est, tesseram*
*Conferre si vis hospitalem, eccam attuli.*
*A. Agedum huc ostende, est par probe, nam habeo domi.*
*H. O mi hospes salue multũ, nã mihi tuus pater*
*Pater tuus ergo mihi hospes Antidamas fuit,*
*Hæc mihi hospitalis tessera cum illo olim fuit.*

Erant prǫterea tesseræ collibisticæ, vulgo dictæ litteræ campsales, ad eum vsum excogitatæ, vt pecuniæ apud campsores depositatæ, ad quemcumq; locum, vt conuentum fuerit, absque vecturæ periculo, aut labore, deferrentur, sed, per huiusmodi litterarum exhibitionem, reciperentur. Sed nec de ista nunc loquitur. Erant etiam tesseræ nummariæ, & frumentariæ, quǫ a Principibus, Imperatoribus, vel annonæ præfectis, Ciuibus pauperibus tribuebantur, quas qui deinde exhibuissent, certam frumenti, vel pecuniarum accipiebant quantitatem, de quibus sic Suetonius in Augusto cap. 41. *Frumentum in annonę difficultatibus, sæpe leuissimo, interdum nullo pretio virtitim admensus est, tesserasque nummarias duplicauit.* Sed aduersus fraudem eorum, qui accipere volebant, subdit cap. 42. *Vt salubrem magis, quam ambitiosum principem scires, querentem de inopia, & caritate vini populũ, seuerissima coercuit voce. Satis prouisum à genero suo Agrippa, perductis pluribus aquis, ne homines sitirent. Eidem populo promissum quidem congiarium reposcenti, Bonæ se fidei esse respondit: non promissum autem flagitanti, turpitudinem, & impudentiam edicto exprobrauit, affirmauitque non daturam se, quamuis dare destinarat. Nec minore grauitate,*

atque

*atque constantia, quum proposito congiario, multos manumissos, insertosque ciuium numero, comperisset, negauit accepturos quibus promissum non esset. ceterisque minus, quam promiserat dedit, ut destinata summa sufficeret. Magna uero quondam sterilitate, ac difficili remedio, quum uenalitias, & lanistarum familias, peregrinosque omnes exceptis medicis, & preceptoribus, partemque seruitorum, urbe expulisset, ut tandem annona conualuit, impetum se cepisse scribit frumentationes publicas in perpetuum abolendi, quod earum fiducia cultura agrorum cessaret: neque tamen perseuerasse, quia certum haberet, posse per ambitionem quandoque restitui. Atque ita post hanc rem temperauit: ut non minorem aratorum ac negotiantium, quam populi rationem duceret.* Sic in Nerone cap. 11. *Sparsa, & populo missilia omnium rerum, per omnes dies singula quotidie millia: auiū cuiusque generis multiplex penus, tesseræ frumentariæ, uestis, aurū, argentū, gemmæ margaritæ.* Et Augusto cap. 40. *Ne plebs frumentationum causa frequētius à negotijs auocaretur, ter in annum quaternum mensium tesseras dare destinauit.* Et Domitiano cap. 4. *Congiariū populo nummorum trecētorum ter dedit, atque inter spectacula muneris, largissimum epulum. Septimontiali sacro quidem Senatui Equitique panarijs, plebi sportellis cum obsonio distributis, initium uescendi primus fecit: dieque proximo omne genus rerum missilia sparsit. & quia pars maior intra popularia deciderat, quinquagenas tesseras in singulos cuneos equestris, ac Senatorij Ordinis pronunciauit.* Et hæc specialiter dicebatur tesserula, fortè quia par-

uam continebat summam. Et ita nunc detessera frumentaria, quæ Quiritibus tantum dabatur, ad quam emerendam sufficiebat probasse se pauperem, ciuemq; esse Romanum.

*HEV steriles ueri, quibus una Quiritem uertigo facit.* Sterilis est infœcundus, sui generis fructum non ferens. Sic Virg. 6. Æn. v. 251.

*sterilemq; tibi Proserpina uaccam.*

Et Plin. lib. 11. cap 37. *Quædam non pinguescũt ut lepus, perdix. Steriliora cuncta pinguia, & in maribus, & in fœminis.* Sic Ouid. 5. Fastor.

*Quod petis, Oleniis, inquã, mihi missus ab aruis*
*Flos dabit, est hortis unicus ille meis,*
*Qui dabat, Hoc, dixit, sterilem quoque tange iuuencam*
*Mater erit, tetigi, nec mora, mater erat.*

Sed quod hic dicit, steriles veri, nisi obstaret quantitas, putassem poetam scripsisse, steriles viri, qui non valentes, filios ex proprijs habere corporibus, manumittendo seruos, etiam malæ frugis, Reip. vtcumq; consulebant, ciues multiplicando: id vero est miserabile, nam raro seruus liberalibus pollet moribus, vt ingenuus, rectam sequens institutionem. Verum quum refragetur quantitas, eo quod prima syllaba in to viri, est breuis, in veri longa, hãc retinemus lectionem. Dicuntur autem steriles veri, à vero extranei, ipsum non percipientes. Nam quum sit duplex libertas, animi videlicet, & corporis, quarum illa, hanc longè præcellit, qui illius nullam habet rationem, tantream facit quanti si nulla penitus foret, vt vulgo fit: nam si libertatem apud insipientes nemines, non alia se illis obijcit, quã à vinculis,

lis, vel iure Quiritum, quæ est corporalis. Vt etiam ijdem stulti homines, non alia in bonis numerant, nisi corporalia, robur, sanitatem: aut fortu ta, diuitias, dignitates. Virtutum vero, & sapientię, quę sunt animi bona, apud eos nulla est æstimatio. Inde huiusmodi homines sic praue iudicantes, steriles veri sunt appellati, quasi nihil veritatis in se possidentes.

*QVIRITEM*, Romanum, vt explicatum fuit ad satyrę 4. vers. 8. vel quia Romulus Romanę Vrbis conditor, Quirinus, post consecrationem nuncupatus fuit, vt Proculus iureiurando affirmauit se ab eo audiuisse, & Patres, qui eum discerpserant, credi mandauerunt, ne si non crederetur, à populo, neci traderentur, factis dicentes, quod Commodus Antonini Caracallæ filius, de fratre Geta dixit (cui Mathematici prędixerāt, eum Diuum futurum:) sit Diuus, dummodo non sit viuus. Vt ergo à Romulo Romani, ita à Quirino Quirites dicti. Vel à Curibus Sabinorum oppido, vnde Sabini cum eorum Rege T. Tatio icto fœdere cum Romulo, Romam migrarunt, quo fœdere sancitum fuit, vt omnes passim tam Romani, quam Sabini, Quirites dicerentur.

*VERTIGO* est morbus capitis, nascens ex frigidis, & viscosis humoribus, è ventriculo sursum commeantibus. Tali morbo affecti, sunt ad casum procliues, & qualibet leuissima causa, & etiam sine noua occasione, si præexistentes commoueantur humores. Intemperiei hunc morbum adscribit Iuuenal. dicens sat. 6. versu 303.

*Gran-*

*Grãdia, quæ medijs iã noctibus, ostrea mordet,*
*Quũ perfusa mero, spumant unguenta falerno,*
*Quum bibitur concha, quũ iam uertigine tectũ*
*Ambulat, et geminis exsurgit mensa lucernis.*

Inter alios siquidem vertiginis effectus sunt isti, vt visa geminentur, & obiecta videantur moueri, vel ambulare, aut circumagi, vt verticosa, & rotatilia. Sic Plin. lib. 7. cap. 6. *A conceptu decimo die dolores capitis, oculorum uertigines, tenebræque, fastidium in cibis, redundatio stomachi, indices sunt hominis inchoati; melior color marem ferenti, & facilior partus, motus in utero quadragesimo die.* Sic Columella lib. 7. cap. 10. *Febrecitantium signa sunt, quum obstipæ sues transuersa capita ferunt, ac per pascua subito, quum paululum procurrerunt, consistunt; & uertigine correptæ, concidunt.* Verum vertigo hic aliter sumitur, nempe pro circumactione, seu rotatione corporis serui: qui erat vnus ex modis manumissionis, quum dominus, ducto seruo ante Prætoris officium, illiusque caput ad se versum manu tenens, illud in oppositam vertit partem, dicẽs: Liber iam esto; uel: Hunc hominem ex nũc liberum esse uolo; uel alia uerba in hanc sententiam. Quo facto, manum ad se retrahebat, illumque sic manumittebat. Et hæ cæremoniæ per Prætoris officium in actis referebantur, & ita ille manumissus, liber, & Ciuis Romanus euadebat. Et ut in Instit. Ciuil. titulo de Libertinis dicitur: *Libertini sunt, qui ex iusta seruitute manumissi sunt. Manumissio autem est datio libertatis: nam quamdiu aliquis in seruitute est, manui et potestati suppositus est; & manumissus liberatur à* do-

*domini potestate. Quæ res à iure Gentium originem sumpsit, vtpotè quũ iure naturali omnes homines liberi nascerentur, nec esset nota manumissio, quum seruitus esset incognita. Sed postquam iure gentium seruitus ingenuitatem inuasit, secutum est beneficium manumissionis, & quum vno communi nomine omnes, homines appellarentur, iure gentium tria hominum genera esse cœperunt, liberi, &, his contrarium, serui, & tertiũ genus, libertini, qui desierant esse serui. Multis autem modis manumissio procedit, aut ex sacris Constitutionibus in sacrosãctis Ecclesijs, aut vindicta, aut inter amicos, aut per epistolam, aut per testamentum, aut per aliam quamlibet vltimam voluntatem: sed & alijs multis modis libertas seruo competere potest, qui tam ex veteribus, quã ex nostris Constitutionibus inducti sunt.* Circumactionem ergo serui à Domino factam, vertiginem hic nominat. At Seneca circumactionis retinet vocem, sic enim ait epistola 8. *Philosophiæ seruias oportet, vt tibi contingat vera libertas: non differtur in diem, qui se illi subiecit, & tradidit, statim circumagitur, hoc enim ipsum philosophię seruire, libertas est.*

*HIC Dama est non tressis agaso, vappa, & lippus, & in tenui farragine mendax? Verterit hũc Dominus, momento temporis exit Marcus Dama. Papæ! Marco spondente recusas credere tu nummos? Marco sub iudice palles? Marcus dixit, ita est, assigna Marce tabellas.* Exemplo probat absurdum esse credere, veram libertatem consistere in exemptione à seruitute introducta iure gentium, vel ciuili. Si namque seruus, malæ frugis, & vitijs vndique scatens, manumit-

tatur à domino, erit quidem liber iuxta ius Quiritum: at iure naturæ vitiorum adhuc censebitur mancipium, & iuxta sui partem meliorem, idest animam, fœdissimam seruiet seruitutem. Dama autem hic, non est genus capræ siluestris, quod esto felle careat, numquam tamen mansuescit: sed est nomen proprium serui, contractum fortè, ex Damone, Damocle, vel ex Demetrio. Seruorum namq; nomina plerumque contrahebantur, vt fierent dissyllaba, ingenuorum vero extendebantur, vt essent etiam quatrisyllaba, vt constat in Simo, Theuda, Mena; contractis ex Simonide Theodoro, & Menade. Nec tamen id perpetuo seruatur, nam seruorum etiam quatrisyllaba nomina scimus Collybiscum, Pseudolū, Epidicum, & alia. Sed illud erat frequentius: hinc seruus quidam, Stephanus nomine, manumissus, dedignās nomen trisyllabum, pentasyllabum assumpsit. Nobilis cuiusdā, seruum se simulantis, & Damæ nomen assumentis, meminit Horat. dicens 2. serm sat. 7.

*Tu quum proiectis insignibus, anulo equestri*
*Romanoq; habitu, prodis ex Iudice Dama,*
*Turpis, odoratum caput obscurante lacerna,*
*Non es quod simulas, metuens induceris.*

*TRESSIS*, idest trium assium, vel tres valens asses. De asse quędam diximus ad satyræ 1. versum 88. Est enim as idem, ac Libra, seu Mna, vel Mina Græcorum, cuius partes sunt duodecim vnciæ, specialibus nominibus nuncupatæ, nam duę vncię dicuntur sextans, quasi sexta pars assis. Pondus trium vnciarum dicitur Quadrans, quasi quarta pars assis. Pō-

dus

dus quatuor vnciarum est Triens, idest tertia pars assis. Pondus vnciarum quinque non denominatur ab asse, sed ab ipsis vncijs, Quincunx. Pondus sex vnciarum ab asse dicitur semis, hoc est assis dimidium. Pondus vnciarum septem, ab ipsis vncijs, non vero ab asse, nominatur septunx. Pondus vnciarum octo, ab asse appellatur Bes, quasi Des, idest, as dēpto triente. Vnciarum vero nouem, est Dodrans, quasi as deducto quadrante. Vnciarum decē dicitur Dextans, idest as dēpto sextante. Vnciarum denique vndecim pondus, denominatur Deunx, quasi as dempta vncia. Eodem etiam modo quo libra, & in easdem partes, immo, & cum eisdem appellationibus quæcumque res diuidi possunt, tam continuæ, quam discretæ, & maximè agri, fundi, patrimonia, & hęreditates, vnde legimus apud Suetonium in Iulio Cæsare cap. 83. *Nouissimo testamento tres instituit hæredes, sororum nepotes, C. Octauium ex dodrante, & L. Pinarium, & Q. Pædium ex quadrante.* Et idem, Augusto cap. 101. ait: *Hæredes instituit primos Tiberium ex parte dimidia, & sextante, Liuiam ex parte tertia, quos & ferre nomen suum iussit: secūdo Drusum Tiberij filium, ex triente, & ex partibus reliquis Germanicum, liberosque eius tres sexus virilis.* As etiam erat nummus æreus libralis, libram videlicet pendens, &, iuxta obseruationem Budęi l. de ponderibus, valens quatuor ex nostris æreis denariolis, quos Romæ, & alibi, quatrinos vocant: indeque fiebat dupondius ex duobus tantum libris: & sestertius ex libris duabus, & semis. Et vt hoc insuper mo-

neamus, sestertius masculini generis, decem ex nostris denariolis æreis æquiualebat, nempe baiocchis duobus, constabat enim ex libris duabus & semisse, quarum librarum quęlibet quatuor valebat æreos denariolos, seu quatrinos. Sextertium vero generis neutri, eamdem habebat proportionem ad Mnam, seu libram argenteam, quam sestertius ad libram æream: continebat enim mnas, seu libras argenti duas, & dimidiam, ideoque signabatur duobus II cum linea transuersa eos secante, & littera S, sic: HS, nam duo illi I, duas denotant libras, littera vero S, semissem, & quum quęlibet argenti libra, valeat drachmas nonaginta sex, vel centum, & ita nummos sestertios quatercentum, sestertium autem libras duas cum semisse, fit inde, sestertium pendere nummos æreos mille, & decem sestertia, decem millia nummorum. Quod si numerus efferatur aduerbialiter, fiet centuplo maior, vnde decies sestertium, erunt decem centena millia nummorum æreorum, seu sestertij centum mille. Talentum autem diuersum erat iuxta diuersas regiones. Commune Atticum minus, cuiuscumque materię, pēdebat minas, seu libras sexaginta: magnum, octoginta. Sed de his satis. Ad rem reuertentes, as erat nummus ęreus grauis, & vilis. Hinc Horat. 1. ser. sat. 1. ait:

*Quid iuuat immensum te argenti pondus, & auri*
*Furtim defossa timidum deponere terra?*
*Quod si comminuas, vilem redigatur ad assem,*
*Ac ni id fit, quid habes pulchri constructus aceruus?*

Et

Et ab hoc vili asse fit compositio, vt aliquis dicatur centussis, alius decussis, octussis; aut vt in præsenti, tressis, něpe valens centum, vel decem, octo, aut tres asses. Et hoc modo nunc Dama ęstimatus tressis, idest tribus assibus, satis vili pretio habitus fuit, nempe ferè semibaiocco.

*AGASO* ab agendo, seu minando dictus, est iumentorum actor. Sic Plinius l.35. c.11. *Athenion Maronites Glaucionis Corinthij discipulus, & austerior colore, & in austeritate iucundior, vt in ipsa pictura eruditio eluceat, apparet. Pinxit in templo Eleusine Phylarchum, Athenis frequentiam, quam vocauere polygynæcon: item Achillem virginis habitu occultatum, Vlysse deprehendente. Et in vna tabula, quaque maximè inclaruit, agasonem cum equo: quod nisi in iuuenta obijsses, nemo ei compararetur.* Et quamuis specialiter minans equos, equiso, vel equarius; mulos, mulio: asinos, asinarius dicantur, generali tamen appellatione, eorum quisque ab agendis iumentis, agaso dici potuit; & sic dictus est Dama. Erat autē agasonis ministerium, nedum seruile, sed inter seruilia contemptissimum, vnde licet apud Iurisconsultos, serui omnes eiusdem censeantur conditionis, negari tamen nequit, esse quędam apud eos ministeria, quam alia, honorabiliora: indeque pluris fiebat atriensis, vel Dispensator, quam canis catenarius, vel pistor, & inter hos viles numerabatur etiam agaso

*VAPPA* videtur deriuari à vapore, quæ est exhalatio calida, & humida, vnde est quasi vapidus, seu euanidus, diciturque de vino, quia

ab quo igneus recessit calor, vel est à βάπτω intinctum, vt βάπτειν, intingere, ad quod aceto in primis vtebantur. Hinc vappa est vinum acescens, nondum in perfectum acetum mutatum, vnde Græcis, quibus acetum est ὄξος, vappa est ὀξίνης. Sic Horat. 2. sermon. satyra 3. inquit.

*Pauper Opimius argenti positi intus, & auri,*
*Qui Veientanum festis potare diebus*
*Campana solitus trulla, vappamq; profestis.*

Metaphoricè ponitur pro re tenui, & nullius valoris, vel pro homine ignauo, nulla arte, aut solertia prædito. Sic idem Horat. 1. ser sat. 1.

*non ego auarum,*
*Quū veto te fieri, vappam iubeo, aut nebulonē.*

Vtramq; vocis significationem posuit Plinius dicens lib. 14. cap. 20 *Vitium musto quibusdam in locis, iterum sponte feruere, qua calamitate deperit sapor, vappęque accipit nomen. Probrosum etiam hominem, quū degenerauerit animus: aceti etiam nequitię inest virtus, magnos ad vsus & sine queis uita mitior degi non possit.* Hinc etiā Augustus, vapidè se habere dixit, pro malè, seu minus commodè. Et hoc modo Dama dictus vappa, idest vilis, & iners.

*LIPPVS*, cuius oculi lacrymantur, eo quod putredo quędam ex eis continuè scateat: fortè à λίπος pinguedine, qua inungebātur. Hinc Horat. 1. ser. sat. 3.

*Quū tua peruideas oculis mala lippus inūctis*
*Quur in amicorum uitia tam cernis acutum*
*Quam aquila, aut serpens Epidaurius?*

Nisi malis esse à λιπεῖν oculorum defectu. Sic Plaut. Milit. glor. Actu 4. sc. 3.

Cu-

*Cubare in naui lippam, atque oculis turgidis*
*Nauclerus dixit, qui illas aduexit mihi.*

Hoc vitio se teneri scripsit Cicero Attico l.7. epist.14. *Ad VI. Kal. Februarij Capuam Calibus proficiscens, quum leniter lippirem, has litteras dedi.* De eo morbo curando, sic Plinius lib. 28. cap 6. *Contra lippitudines, retro aures fricare prodest.* Et eodem lib. 28. cap. 8. *Capitis dolori alligatam cutem* (hyenæ) *prodesse, quæ fuerit in capite eius: lippitudini fel illitum frontibus, aut, ne omnino lippiatur, decoctum cum mellis Attici cyathis tribus, & croci uncia inunctum. Sic & caligines discuti, & suffusiones. Claritatem excitari melius inueterato medicamento.* Et lib 29. cap. 6. *Ciconiæ pullum, qui ederit, negatur annis continuis lippiturus. Item qui draconis caput habeat: huius adipe, & melle cum oleo uetere, incipientes caligines discuti tradunt. Hirundinum pullos, plena luna excecant, restitutaque eorum acie, capita comburuntur. hoc cinere cum melle utuntur ad claritatem, & dolores, ac lippitudines, & ictus. Lacertas quoque pluribus modis ad oculorum remedia assumunt. Alij uiridem includunt nouo fictili, ac lapillos, qui uocãtur Cinædia, quæ & inguinum tumoribus adalligari solent, nouem. singulos signis signantes, & singulos detrahunt per dies: nono emittunt lacertam, lapillos seruant ad oculorum dolores. Alij terram substernunt lacertæ uiridi excæcatæ, & una in uitreo uase annulos includunt e ferro solido, uel auro: quum recepisse uisum lacertam apparuerit per uitrum, emissa ea, annulis contra lippitudinem utuntur.* Sed per senecdochen, omnis oculorum morbus lippitudo dicitur, &

per ſenecdochen, vel metaphoram omnis albi humoris effluxio lippitudo, vnde Plaut. Curcul. actu 2. ſcena 3. lippitudinem dixit humorem illum album, qui fameſcentium dentes, & fauces obſidet.

*proſpicio parum*
*Os amarum habeo, dentes blennos, lippiunt fauces fame.*

Immo & ficus, eadem ex cauſa dicta lippire, quia lacteus foliorum illius ſuccus, lippientibus prodeſſe dicitur, vel quia tenelli illius botri, album emittunt ſuccum, lippientium humori ſimilem. Inde Martial. l. 7. epigr. 19. ficum lippam dixit; Verum hic lippitudo ſumitur metaphoricè, vt ille dicatur lippus, qui tardus, & obtuſus ingenio, deſtitutus ſapientia, prudentia, & bonis artibus, neſcit ſibi, vel alijs prouidere.

*FARRAGO* à farre. Sic Plinius lib. 18. c. 16. *Farrago ex recrementis farris prædenſa ſeritur, admixta aliquando & uicia: eadem in Africa fit ex hordeo, omnia hæc pabularia.* Varro RR. lib. 1. cap. 31. *Omne pabulum primum ocymum, farraginem, uiciam, nouiſſimè fœnum ſecari. Ocymum dictum à Græco uerbo ὠκύς, quod ualet cito, ſimiliter quoque ocymum in horto: hoc amplius dictum ocymum, quod citat aluum bubus, & ideo ijs datur ut purgentur: id genus pabuli ſunt ſegetes uirides, ſectæ antequam gerant ſiliquas: contra ex ſegete ubi ſata admixta hordeum & uicia, & legumina pabuli cauſa ſunt, inde quod far ferro cæſum, farrago dictum, aut quod primum in farracia ſegete ſeri cæptum.* Et Columell. lib. 2. cap. 11. *Farraginem in reſtibili*

*ſter-*

*stercoratissimo loco, & altero sulco serere conueniet: ea sit optima quum cantherini hordei decem modijs iugerum obseritur.* Farrago ergo est cõmixtio plurium rerum satarum pabuli gratia: sed per senecdochen, aut metaphoram, commixtio rerum quarumcumque farrago dicitur. Sic Iuuen. sat. 1. vers. 85.

*Quidquid agunt homines, uotum, timor, ira, uoluptas,*
*Gaudia, discursus, nostri est farrago libelli.*

Sed hic strictius, quam apud Iuuenalem, sed latius, quam apud alios, nempe pro rebus minimi pretij, quas Dama per furtum ad se deriuabat, & in eis mentiebatur, idem fortè facturus in maioribus, si data fuisset occasio.

*VERTERIT* quid sit, dictum est supra ad illa verba versus 75.

*una Quiritem*
*Vertigo facit.*

Per hoc enim, quod Dominus seruum manumittendum, coram Prętore vertebat, liber hic, & sui iuris fiebat, itaut, raso capite, in templo Feroniæ Deæ Libertatis, assũptoq; pileo, posset, iuxta Ciuiles leges, præstare quidquid alij liberi.

*MOMENTO temporis.* Alij legũt, Turbinis. Est autem turbo ventus violentissimus, vel contrariorum concursus ventorum, qui inuicem in planitie, & maximè maris, sibi occurrentes; quia vnus alteri non cedit, sese circumuoluunt, tanto impetu ascendentes, descendentes, gyrantesque, vt quodcumque in medio positum secum rapiant, eleuent, deijciant, atque discerpant, ut in histor.js naui-

gationis Indicæ factum legimus circa immensas naues in Oceano Atlantico, circa Promótorium Bonę spei, ubi frequentius uenti oppositi sibi occurrere solent. Momentum ergo turbinis erit subitaneus ille impetus, quo res huiusmodi uento rapitur, quassaturque, nam simili modo seruus ille circumactus à Domino, fit subito liber, adeout etiam iudex esse possit. Ita interpretarer si legendum esset Momento turbinis. At Bond, quem more suo sequitur Stellutus, interpretatur de turbine instrumento lusorio, quod pueri scutica in orbem circumagere solent, de quo ad illa uerba sat. 3. uers. 51.

*Nec quis callidior buxum torquere flagello.*

Vt iste seruus tam subito euadat liber, quam vertitur turbo, scutica à puero percussus. Momentum vero temporis est illud indiuisibile, quod solum est pręsens. Sic Plin. lib. 18. c. 34. *Meridiem excuti placet, quoniam semper est idē, sol autem quotidie ex alio Cęli momento, quam pridie, oritur*, idest ex alia indiuisibili parte Cęli. Sic Cicero 4 de Finibus: *Vt Aristonis esset explosa sententia dicentis, nihil differre aliud ab alio, nec esse res ullas præter uirtutes, et uitia, inter quas quidquam omnino interesset, sic errare Zenonem, qui nulla in re, nisi in uirtute, aut in uitio propensionem, ne minimi quidem momenti ad summum bonum adipiscendum diceret: & quum ad beatam uitam nullum momentum cares haberet, ad appetitionem autem rerum esse in his momenta diceret, quasi uero hæc appetitio ad summi boni adeptionem pertineret*. Sic momentum pro breuissimo, & indiuisibili tempo-

ris

ris spatio posuit Horat. dicens 1. ser. sat. 1.

*horæ*

*Momento cita mors venit, aut victoria læta.*
Significatur ergo hic, subita, & ferè instantanea mutatio, vnde siue legas momento turbinis, siue temporis, nihil refert, ideo vtramq; admittimus lectionem, sed, vt clariorem, posuimus, Temporis.

*MARCVS Dama* nomen proprium huius serui. Hic recensenda verba Lactantij l. 4. c. 3. scilicet *Dominum eumdem esse, qui sit pater, etiã Iuris ciuilis ratio demonstrat; quis enim filios poterit educare, nisi habeat in eos Domini potestatem? nec immerito paterfamilias dicitur, licet tantum filios habeat, videlicet nomen patris complectitur etiam seruos, quia familias sequitur; & nomen familiæ complectitur etiam filios, quia pater antecedit: vnde apparet eumdem esse, & patrem seruorum, & dominum filiorum. Deniq; filius manumittitur tamquam seruus, & seruus liberatus patroni nomen accipit tamquam filius. Quod si propterea paterfamilias nominatur, vt appareat eum dupl ci potestate præditum, quia & indulgere debet, quia pater, & coercere, quia dominus ergo idem seruus est, qui & filius, idem dominus, qui & pater.* Quia ergo seruus liberatus seruitute, seu manumissus, patroni, idest manumittentis nomen accipiebat, Dama iste à Marco Domino manumissus, Marci nomen quasi vnus ex filijs, aut de illius accepit stirpe, retento priori Damæ nomina. Romanos siquidem, & alios gloriæ cupidos prænomina delectabant, sicut Dyonisius Attici seruus, dictus fuit Marcus Pomponius Dionysius.

Hinc Iuuenal. satyra 5. versu 125.

*Duceris planta, velut ictus ab Hercule Cacus,*
*Et ponere foris si quid tentaueris vnquam*
*Hiscere, tanquam habeas tria nomina,*

ideſt tamquam ſis Ciuis Romanus; vnde Appianus præfatione ad ſuas Romanas hiſtorias ait: *Nomen olim cuique Romano vnum erat, vt cæteris omnibus, poſt acceſſit alterum, nec ita dudum etiam tertium cœptum addi quibuſdam, quo magis agnoſcerentur ex aliqua nota corporis, aut virtute animi, quemadmodum & Greci aliquot nominibus adiuncta habebant cognomina.* Retinuit igitur Dama ſuum nomen, vt & Mena Pompæi libertus, de quo Horatius Epodo Ode 4.

*Sectus flagellis hic Triumuiralibus*
*Præconis ad faſtidium*
*Arat Falerni mille fundi iugera,*
*Et Appiam mannis terit,*
*Sedilibuſq; magnus in primis eques*
*Othone contempto ſedet.*

PAPÆ! *Marco ſpondente &c.* Moratè, atque eleganter deſcribit nunc noui inſolentiam liberti, eamque cum delectabili acrimonia ob oculos ponit, oſtendens verum eſſe, quod de diuitijs M. Seneca dixit lib. 2. controuerſ. 9. *Non eſt quod putes omnibus diuitias conuenire, nihil eſt inſolentius nouitio diuite.* Et tamen prius eadem controuerſia dixerat: *Nulla materia in rebus humanis virtutes clarius oſtendit, cenſu. Senatorium gradum cenſus aſcendit. Cenſus Equitem Romanum à plebe diſcernit. Cenſus in caſtris ordinem promouet. Cenſu Iudex in foro legitur.* Idem autem, quod de nouitio diuite,

dici

dici debet de libertatem nuper assecuto, nam si libertas diu oppressa iacuit, reuersa, quasi auis, aut fera, è cauea elapsa, gestiendo, in mille effund tur ineptias, & quasi in libertatis experimentum, insolenter se habet erga alios, ideoque sapiens Prouerb. 30. 21: *Per tria mouetur terra, & quartum non potest sustinere: Per seruum quum regnauerit, per stultum, quũ saturatus fuerit cibo, per odiosam mulierem, quum in matrimonium fuerit assumpta, & per ancillam, quum fuerit hæres dominæ suæ.* Obserua autem Damæ illius insolentiam, dum mirari se simulat, si quis sibi, vel alteri sub sua fideiussione, pecunias credere, & mutuas dare detrectet, quas certè nemo credit nisi ei, quem integræ nouit fidei, & soluere potenti, alioquin pecuniæ simul, & amici iacturam faciet. Et ita ait: *Marco spondente recusas credere tu nummos?* Spondere autem est promittere. Sic Cicero Philipp. 14. *Ego vero hunc, non solum Imperatorem iudico, qui quum aut morte, aut victoria se satisfacturum Resp spopondisset, alterum fecit, alterum, Dij omen auertant.* Sic l. 15. epist. 21 *Quod ego non modo de me tibi spondere, possum, sed de te etiam mihi* Sic Virg. 12 Æn. versu 637.

*Nam quid ago? aut quæ iam spondet fortuna salutem?*

Sic etiam inquit Ouid. in Ibin:

*Te fera, nec quidquam placidum spondentia Martem*
*Sidera presserunt, falciferique senis.*

Spondet autem tam is, qui rem restituend m mutuo accipit, quam qui pro alio accipiente

fide-

fideiubet, de quo ait Prouerb. 20 *Tolle vestimentum eius, qui fideiussor extitit alieni*, vt si qui accepit non restituit, satisfaciat ipse prędes. Et hic vtroque modo accipi potest, videlicet tam de pecunijs à Marco Dama mutuo acceptis, quam de ijs pro quibus idem fideiussit.

*MARCO sub iudice palles?* Simulat his verbis se mirari si quis eius vereatur iudicium, quasi longè sit ab auaritia, & ab eo, quod dicitur 1. Regum 8. *declinauerunt post auaritiā, acceperuntque munera, & peruerterunt iudiciū:* quasi etiam non foret obnoxius passionibus iræ, spei, odij, amoris, & ea esset prudentia præditus, qua iustum posset ab iniusto discernere, vt in iudice requiritur: Quibus verbis innuere videtur, iudicium fuisse translatū nedum ab Ordine Senatorio ad Equestrem, quod Cicero futurum denunciat tum alias, tum Verrina 2. dicens: *Verè loquar Iudices, vehementer me res hęc commouebat, optimus enim quisque ita loquebatur, Iste quidem tibi eripietur, sed nos non tenebimus iudicia diutius, etenim quis poterit, Verre absoluto, de transferendis iudicijs recusare?* Et ibidem: *Commemorabuntur, quę intra decem annos, postea quam iudicia ad Senatum translata sunt, in rebus iudicandis nefariè, flagitiosèque facta sunt. Cognoscet ex me populus Romanus quid sit, quamobrem quum equester ordo iudicaret, annos prope quinquaginta continuos, nullo Iudice equite Romano iudicante, ne tenuissima quidem suspicio acceptæ pecuniæ ob rem iudicandam constituta sit, quid sit, quod iudicijs ad Senatorium ordinem trans-*

*latis, sublataque populi Rom. in vnumquemque vestrum potestate, Q. Callidius damnatus dixeris, minoris H.S. triginta millibus Prætorium hominem honestè nō posse damnari &c.* Et minatur tum ibi tū alibi sæpe, iudiciariam potestatem à Senatu ad inferiores iudices transferendam Hinc Cæsar teste Suetonio in Iulio c.41. *Iudicia ad duo genera Iudicum redegit, equestris ordinis ac Senatorij, Tribunos ærarios quod erat tertiū, sustulit.* Et in Octauio c.32. *Ad tres Iudicum decurias quartam addixit ex inferiore censu, quæ ducenariorū vocaretur, iudicaretq; de leuioribus summis,* de quo intellexit Seneca relatus dum ait: *Census Iudex in foro legitur.* Et idem Suetonius in Caligula cap.16. ait: *Vt leuior labor iudicantibus foret, ad quatuor priores quintam decuriam addidit.* Potuit ergo Dama iste quamuis mendax maleque frugis, sperare iudicandi potestatem, vt innuatur hic iudicia communicata etiam plebeio ordini. Idque refert etiam Appianus lib. 1. de bell. Ciuil. dicens: [ Conciliatis mercede plebeis, vt gratificaretur, & equitibus, qui secundus, post amplissimum, ordo est, iudicia ob infames corruptelas ad eos à Senatorijs iudicibus transferre conatus est, opprobrando illis exempla recentissima, quæque Aurelium Cottam, Salinatorem, Manium Aquilium, qui Asiam deuicerat, repetundarum reos, elapsos, corruptis iudicibus, attestabantur, & prouinciarum Legati etiam tum in Vrbe morantes indignabundi cum magna iudicum inuidia. Ea res pudorem incussit Senatui quo minus obsisteret plebiscito de transferendis iudicijs. ] Pal-

lere autem est illum habere colorem, quem ostendit cutis exterior sanguine destituta, quando, is suppetias cordi laturus, ad interiora se recipit, vt accidit subito timore perculsis, & al js. Hinc Cicero 4. Tuscul. inquit: *Subiecta sub metu sic diffiniunt: Pigritiam, motum consequentis laboris: terrorem, metum concutientem, ex quo fit, vt pudorem rubor, terrorem pallor, & tremor, & dentium crepitus consequatur.*
*ASSIGNA Marce tabellas.* Assignare dictũ per prothesin pro signare, quod est subscribere, vel, signo impresso, firmare, vel figurare; & ita nunc sumitur. Tabellæ autem intelliguntur testamenta, & scripturæ publicę, quæ, ne fraudi paterent, subscribi debebant à septem testibus fide dignis, idest non seruis, nec arenarijs, aut alia notatis infamia. Tabellæ autem, & tabulę nomen deductum est per diminutionem ab obsoleto Taba, hoc est, conclaue, siue cubiculum è tabulis factum, & per senecdochen quæcumque tabula, etiamsi alteri addicta vsui: hinc epistolæ, aliæq; scripturæ, tabulæ, & tabellæ dictæ, nam teste Isidoro lib. 5. cap. 24. ante chartarum, seu membranarum vsum, nedum testamenta, sed & epistolæ, in tabulis scribebantur dolatis, easque scriptas filo obligabant, ceraque illitas, annulo obsignabant, vt colligitur ex Cicerone 3. in Catilinam dicente: *Tabellas proferri iussimus, quæ à quoque dicebantur, datæ: primum ostendimus Cethego, signum: cognouit, nos linum incidimus, legimus, erat scriptum ipsius manu.* Vbi obserua morem iubendi, eum, aduersus quem epistola facerer, cognoscere illius signum, ne
ficta

facta diceretur. Et idem Cicero pro Archia poeta: *Hic tu tabulas desideras Heracliensium publicas, quas Italico bello, incenso tabulario, interysse scimus omnes. Est ridiculum ad ea, quæ habemus, nihil dicere, quærere, quæ habere non possumus, & de hominum memoria tacere, litterarum memoriam flagitare, & quum habeas amplissimi viri religionem, integerrimi municipij iusiurandum, fidemque, ea, quæ deprauari nullo modo possunt repudiare, tabulas quas idem dicis solere corrumpi, desiderare.* Vbi tabulas dicit scripturas publicas, tabularium vero locum, archiuium dictum, & Græcè grammatophylacium, in quo huiusmodi asseruabantur. Dama qui heri, vtpotè seruus, & malæ frugis testamenta subscribere, & obsignare non poterat, nunc manumissus, in adeptæ libertatis signum tamquam testis irrefragabilis, & incorruptæ fidei, scripturas qualcumque, & testamenta signat, & subscribit.

*HÆC mera libertas, hanc nobis pilea donant,* inquit Dama, in hoc consistit vera libertas, nimirum posse fieri prædé, testem, iudicem, & similium habere potestatem. Casaubonus contra fidem omnium codicum, nescio, quam secutus membranam, legere mauult *Hoc nobis pilea donant:* sed ipse singularitatis amator, singularis maneat, nos communem retinemus lectionem. Mera autem libertas est pura, nihil seruitutis habens admixtum, translatione ducta à vino, quod tunc est purum merum, quum est simplex nihil admiscens aquæ: libertas autem huiusmodi est secundum ius Quiritũ, nam est triplex libertas, vt dicitur in Instit. Ciuil. l. 1.

tir

titulo de Libertinis: *Libertinorum status tripartitus antea fuerat, nam qui manumittebantur; modo maiorem, & iustam libertatem consequebantur, & fiebant ciues Romani: modo minorem, & Latini, ex lege Iunia Norbana, fiebant: modo inferiorem, & fiebant ex lege Ælia Sentia ex dediticium numero.*

*PILEA* neutri, & masculini generis dicta putantur, quod pilos tegant, vel quod è pilis fiant, vel à πῖλος, ideft coactile, seu lana coacta, vt enim ait Plinius lib.8. cap.41 [Lanæ, & per se coactæ, vestem faciunt, & si addatur acetum, etiam ferro resistunt, immo vero etiam ignibus nouissimo sui purgamento, quippe ahenis polientium extracta, in tomenti vsum veniũt.] Sic Cæsar 3. de bello Ciuili: Illi operibus vincebant, quod & numero militum, pręstabant, & interiore spatio minorem circuitum habebant, quæ quum erant loca Cæsari capienda, etsi prohibere Pompeius, totis copijs, & dimicare non constituerat, tamen suis locis sagittarios, funditoresque mittebat, quorum magnum habebat numerum, multiq; ex nostris vulnerabantur, magnusque incesserat timor sagittarum, atque omnes ferè milites, aut ex subcoactis, aut ex centonibus, aut ex corijs tunicas, aut tegumenta fecerãt, quibus tela vitarent.] Fiebant ego pilei ex lana coacta, eorumq; impositione ex seruis fiebãt liberi. Hanc vero pilei impositionem, capitis præcedebat rasura in templo Deæ Feroniæ, Serui enim capillos nutriebant, nullumque aliud capitis tegumẽtum habebant, sed manumissi, in libertatis signum, caput radebant, vt

ap-

appareret calui, quasi qui naufragium euasissent, & seruitutis effugissent tempestatem. Hinc Plautus Amphitruone Actu 1. sc 1.

*Ibo ad portum, atq; hæc vt sunt facta, hero dicam meo (Iuppiter,*
*Nisi & is quoq; me ignorabit, quod ille faxit*
*Vt ego hodie, raso capite, caluus capiam pileū.*

Quasi diceret, Si Amphitrio herus me non agnoscet esse Sosiam seruum suum, ero liber, & in signum libertatis, radam caput, pileumque accipiam. Inde pileus pro libertate sumitur, & vocare ad pileum (quod pluries Romæ factum) est inuitare ad libertatem, quia erat signum libertatis per manumissionem donatæ.

*AN quisquā est alius Liber, nisi ducere uitam cui licet ut uoluit? licet ut uolo uiuere, non sum liberior Bruto? Mendosè colligis, inquit Stoicus hic, aurem mordaci lotus aceto, Hoc, reliquum accipio, licet vt uolo viuere, tolle.* Decimus, & Marcus Bruti, Iulium Cæsarem, patriæ libertatem tyrannicè occupantem, in Senatu necauerunt: & Iunius Brutus Reges Tarquinios Vrbe exegit, Remp. constituit, Collatinum Collegā, quod Tarquiniorū affinis esset, & eorum ferret cognomen, magistratu se se abdicare, & Lauinium in exilium abire coegit, proprios denique filios, quod patriam Tarquinijs proderе coniurassent, cum Aquilijs, & Vitellijs, se coram, virgis cędi, securiq; feriri iussit: hoc inquam, Bruto vel his Brutis liberiorem se asserit Dama. Probauerat autem suam libertatem à signis, vel effectis, nempe ex eo, quia poterat esse fideiussor, testis, & iudex,

quæ

quę probatio licet plausibilis sit apud minus eruditos, inefficax tamen est, nec cogit ad assensum: inde quia, iuxta Rhetorum canones, debilioribus argumentis validiora sunt subijcienda, maximè in fine disputationis, vt auditoris eliciatur assensus, Dama sermonem concludere volens, Achille, seu fortissimum argumentorum proponit, procedens à definitione ad definitum, & Stoicorum more, Dialecticam ostentat, syllogismum exhibens omnibus partibus absolutum, in prima figura, & modo Darij, sic: Ille est liber, cui licet viuere, vt vult: mihi licet viuere, vt volo: ergo ego sum liber.

*MENDOSE*, cum erroribus, inemendatè: sic Cicero Q. Fratri lib. 3. epist. 5. *De Latinis vero, quo me vertam nescio, ita mendosè scribuntur, & veneunt: sed tamen quod fieri poterit, non negligam*. Argumentationi factæ à Dama, respondetur, eam esse mendosam, seu falsum concludere. Quum autem ex Dialecticæ principijs didicerimus, omne illationis, seu consequentis vitium, ex principijs, siue præmissis deriuari, videndum est ex quo principio huius consequentis vitium nascatur? & poeta vult oriri ex assumptione, seu minori, nam ait licet vt volo viuere, tolle, quasi diceret nego minorem, nam ex ea, consequentis falsitas nascitur. Vnde quamuis iuxta Peripateticos, & Academicos, factæ argumentationi posset responderi distinguendo maiorem sic. Ille cui licet viuere vt vult, voluntate conformi rectæ rationi, legibusque Diuinæ, naturali, & ciuili, est liber, concedo maiorem. Ille cui licet viuere, vt vult voluntate deprauata per sensum, & dis-

difformi rectæ rationi,& legibus est liber, nego. Ad minorem: Mihi licet viuere, vt volo, voluntate deprauata,& difformi rationi,& legibus,concedo, conformi & rectæ,nego minorem,& consequentiam. Sed quia Stoici libertatem aliam non admittebant, nisi animorum à vitijs,passionibus,& perturbationibus: corporalem vero nihili faciebant,ideo ex Stoicorum sententia,absolutè negata est minor, vitijs enim mancipato non licet viuere,vt vult, quum ad ea sæpe trahatur, quæ minimè vellet. Hinc S. Abbas Nilus in suo Ascetico ait: [Priores tamquam in scena fabulam agerent, veræ expertes philosophiæ, & inane dumtaxat illius nomen sibi vendicantes, aliena se persona decorarunt. Pallio enim, & barba, & baculo philosophum præ se ferentes, corpus sequebantur, & cupiditatibus tamquam dominis seruiebant, ventrisque mancipia,voluptates, quæ sub ventre sunt, veluti naturæ opus amplectebantur, iracundiæ dediti, & gloriæ cupidi,splendidis mensis, more canum auidè inhiabant, ignorantes, philosophum in primis esse liberum oportere,eique magis fugiendum esse cupiditatibus seruire, quam argento venalem esse, aut è seruis parentibus nasci. Quid enim nocet homini humana seruitus si rectè viuat? at is,qui sub cupiditatum dominatu voluptatibus seruit, in dedecus, & ignominiam incurrit.] Meo certè videri duplex est libertas, vna naturalis, quæ est vera, & inamissibilis,nisi quum quis eam vult sponte proijcere, & se alterius addicere seruituti, consistens in vitę institutione conformiter ad

ra-

rationem,& leges,& hac *libertate Christus nos liberauit*, vt dicitur Galat. 4. *apud quem non est seruus, nec liber, sed omnia, & in omnibus Christus.* Alia externa, & corporalis, quam multa, inuitis nobis, auferre possunt, ideoque non est tanti facienda: vulgo tamen qui hanc possidet, etiam si contra leges, & rationem millies operetur, liber creditur, falso tamen, quum recta ratio dictet, hunc duriorē, fœdioremque seruire seruitutem, vitiorum, peccatorum,& ipsius diaboli, quam qui dirissimo seruit homini tyranno. Quum ergo Damæ argumentatio laboraret in æquiuoco, dans libertatis nomen ei, quę libertas vera non est, non mirum si dictum fuerit eam nihil concludere. Et negat minorem, iuxta Stoicos absolutè falsam, quia putant ad veram libertatem non pertinere, vt ad sensus arbitrium viuat, alioquin sapientes, sensibus obsistentes, liberi non essent. Hinc Cicero paradoxo 5. ait: *Dictum est ab eruditissimis viris, nisi sapientem liberum esse neminem. Quid est enim libertas? potestas viuendi, vt velis. Quis igitur viuit, vt vult nisi profecto, qui recta sequitur? qui gaudet officio? cui viuendi via considerata, atque prouisa est? qui legibus quidem, non propter metum, paret, sed eas sequitur atque colit, quia id salutare maximè esse iudicat? qui nihil dicit, nihil facit, nihil cogitat denique nisi libenter, ac liberè? cuius omnia consilia, resq; omnes, quas gerit, ab ipso proficiscuntur, eodemq; referuntur, nec est vlla res, quę plus apud eum polleat, quam ipsius voluntas, atq; iudicium? cui quidem etiam, quæ*

*nim*

*nim habere maximam dicitur, fortuna ipsa, cedit, quia sicut sapiens poeta dixit: Suis ea cuique fingitur moribus? Soli igitur hoc contingit sapienti, ut nihil faciat inuitus, nihil dolens nihil coactus. Quod etsi ita esse pluribus uerbis disserendum est, illud tamen breui conficiendum, nisi qui ita sit affectus, esse liberum neminem. Igitur omnes improbi, serui. Nec hoc tam re est, quam dictu inopinatum, atque mirabile, Nam ita dicunt eos esse seruos, ut mancipia, quę sunt dominorũ facta nexu, aut aliquo iure ciuili: sed si seruitus sit, sicut est, obedientia fracti animi & abiecti, & arbitrio carentis suo, quis neget omnes leues, omnes cupidos, omnes deniq; improbos, esse seruos.* Et quum talis foret Dama vappa, & lippus, & mendax, vtique etiam manumissus, manebat vitiorum seruus, ideoque falsò gloriabatur, Mihi licet viuere, vt volo, nam etsi is cui licet viuere, vt vult, sit liber, non tamen si is sit malè frugis, quem voluntas trahit in præceps ad seruiendum concupiscentijs.

*STOICVS hic* intelligitur Cornutus, aut alius è schola Zenonis, qui inter cæteros dialecticam argumentandi, & argumenta dissoluendi callebant *aurem mordaci lotus aceto. Acetum* ab acri, vnde & acidum, & acumen: hinc Cicero 3. de Oratore: *Acris acies in naturis hominum, & ingenijs.* Aceti meminit Celsus dicens lib.4. cap.4 *Asclepiades multarum rerum, quas ipsi quoque secuti sumus, auctor bonus, acetum, quam acerrimum esse sorbendum, hoc enim sine ulla noxa comprimit ulcera:* verti vero vinum in acetum trium horarum spatio,

si

ſi contuſa radix betæ in dolium conijciatur: vt ſi in aceti doliũ braſſicæ radix contuſa immittatur in vinum reuerti, ex Varrone refert Pierius Valerianus fine libri 58. Habet autem acetum acrimoniam aptam ſordibus eluendis, vnde quod hic dicitur, Stoicum habere aures lotas aceto mordaci, ſignificat eas habere purgatiſſimas. Et quia aurium nomine venit ſenſus interior, & vis apprehenſiua, aceti vero dialectica, ſignificatur apprehenſiuam per dialecticam eſſe purgatam, vt de illationibus, & principijs rerum formari poſſit iudicium. Vt etiam ſupra verſu 63. purgatas aures nominauit. Et Horatius 1. ſer. ſat. 7. dicens

*At Græcus poſtquam eſt Italo perfuſus aceto,*
Italicorum acumen in iudicando intellexit.

*VINDICTA poſtquam meus à Prætore receſſi, quur mihi non liceat iuſſit quodcumque uoluntas, excepto ſi quid Maſuri rubrica notauit.* Verba Damæ probantis negatum aſſumptum, & ſic arguentis, Quicumque receſſit à Prætore manumiſſus, & factus ſui iuris, facultatem habet viuendi ad ſuum arbitrium, & faciendi quod vult, niſi quid velit contra leges: Sed ego receſſi à Prætore, manumiſſus, & factus mei iuris: ergo poſſum viuere, vt volo, niſi quid faciam legibus prohibitum. Vindicta autem eſt à verbo vindico, quod quidam à vendico diſtinguunt, vt vẽdicare ſit à vænum, & conueniat dominio acquiſitò per emptionẽ: vindicare vero à vi. Sed alij ſemper vindicare dicunt, vt vindicatio ſit tam facta vi, quam contra vim. Inde Cicero 2. de Inuent. ait: *Vindicationem per quam uim, & contumeliam*

*de-*

*deferendo, aut vlciscendo propulsamus à nobis, & à nostris, qui nobis esse cari debent, & per quam peccata punimus.* Et ab hoc verbo est nomen vindictæ, importans tam animaduersionem, & inflictionem pœnæ in noxios, Deo tantum & magistratibus, eius locum tenentibus, relinquenda, iuxta illud Deuteron.32. *Mea est vltio, & ego retribuam in tempore.* Et Roman.12. *Mihi vindictam, & ego retribuam.* De qua Ouid 4. de Ponto eleg.6.

*Quum tibi suscepta est legis vindicta seueræ*
*Verba velut tinctum singula virus habent!*

quam virgam, qua serui à prætore, aut lictore tacti, liberi fiebant. Vnde Priscianus lib.18. ait. Vindico in vtraque significatione inuenitur, tam pro læso, quam contra ledentem accipiendum: vnde vindicta non solum pœna, sed etiam liberatio accipitur, Persius, *Vindicta postquam meus à Prætore recessi*: vnde & assertio tam à seruitute in libertatem, quam à libertate in seruitium trahi significat, quod apud Liuium in multis legimus locis. Sic Horatius, virgam Prętoris vindictam dicit 2. sermon. satyra 7.

*Tune mihi Dominus, rerũ imperijs, hominũq;*
*Tot t[...]tisque minor, quem ter vindicta quaterque*
*Imposita, haud vnquam misera formidine priuet?*

Et hæc etiam dicta festuca infra versu 175.

*Non in festuca lictor quem iactat ineptus,*

vt etiam Plaut. Mil. glor. Actu 4. sc.1.

*Quid ea? ingenua, an festuca facta? serua an libera est?*

Hinc vindicta dicta ipsa liberatio seruorum.

De qua appellatione sic Liuius lib. 2. cap. 5. *Secundum pœnam nocentium, vt in vtramque partem arcendis sceleribus exemplum nobile esset, præmium indici pecunia ex ærario, libertas, & Ciuitas data. Ille primum dicitur vindicta liberatus: quidam vindictæ quoque nomen tractum ab illo putant, Vindici ipsi nomen fuisse.* Sed alij à vindicando potius vindictæ nomen trahunt, nam teste Boethio, vindicta virgula erat, quam lictor manumittendi capiti imponebat, eumque in libertatem vindicabat, sollemnia quædam proferens verba, vt, iuxta Constantinum Harmenopolum: Profitemur hunc præsentem hominem, esse liberum, & Ciuem Romanum. Nec tamen sic liberatus poterat militare, nisi postquam à Senatu id sibi concessum fuisset. Sic Appianus lib. 1. Belli Ciuilis: Hetrusci, Vmbrique vna cum alijs quibusdam finitimis ad defectionē spectabāt, inuitati successu parrium. Quo nouo metu accedente, Senatus, ne circumquaque hostibus cingeretur, sollicitus, littoribus quæ Cumas inter, & Vrbem sita sunt, imposuit præsidia, tum primum libertis, ob virorum inopiam, admissis in militiam. Et Alexander ab Alexandro lib. 4. cap. 10. inquit: Fuit antiqui moris, vt qui ex seruitute in libertatem vocabatur, raso capite, ad Prætorem itaret, apud quem bis, terque caput percussus, vel per lictorem percuti iussus, virgula, quæ vindicta dicta est, aut festuca in eum iacta, quum eum vertisset Dominus, Prętoris iussu seruituti eximeretur. Quique libertatem eo modo nactus fuerat, manumissus vindicta dicebatur;

quo

quo genere manomissionis libertatem vna, & Ciuitatem Romanam assequebatur, sic licet à Vindicio Vitelliorum, siue Aquiliorum seruo, cuius indicio detecta coniuratione de opprimendis Consulibus, autore T. Liuio, primus libertate, & Ciuitate donatus est. Cautumq; fuit, vt qui ita libertatem assecuti essent, vindicta manumissi dicerentur. Raso enim capite, tam illi qui liberi fiebant (quasi tempestatem effugissent) quam qui bello capti, seruitute exempti fuerant, incedere, & triumphantis currum prosequi consueuere. Obseruatumque fuit, vt in templo Feronię libertorum Deę, tam serui, quam addicti ex compedibus, & ergastulo libertorum munia acciperent.

*MEVS* prænomen possessiuum: quum non additur substantiuo, vt dicendo meus liber, meus ager, sed ponitur solitariè, designat sui ipsius possessionem, & esse sui iuris, nec alterius addictum seruituti. Quod idem est de alijs possessiuis Tuus, suus, noster, &c. Sic Plautus Menechmis Actu 5. scena 7.

*Alij me pernegāt eum esse qui sum, atque excludunt foras,*
*Etiam hic seruom esse se meum aiebat, quem ego emisi manu*
*Is ait, se allaturum cum argento marsupium*
*Id si is attuleris, dicā vt à me abeas liber, quo voles,*
*Ne tunc quando suus factus sit, à me argentū petat.*

Nam esse factum suum, est euasisse liberum, sui iuris, nec alterius esse seruum. Et idem est nunc quum h c ait: recessi meus

*A PRÆTORE*. Veteres omnem magistra-

tum cui pareret exercitus, appellabant Prætorem, & prætorium illius tabernaculum, & in castris erat porta prætoria, & præfectus prętorio. Sed Romæ quum L. Sestius primus è plebe creatus est Consul, Furium Camillum Marci filium Patres, primum, Prætorem Vrbanum, vt in Vrbe ius diceret, fecerunt. Mox vno non sufficiente, quod multi peregrini in Ciuitatē migrarent, creatus est, alius Prætor dictus peregrinus, vt peregrinis ius diceret. Deindecreati alij, qui in Prouincias mittebātur. Dictus prætor, iuxta Varronē, quia in re præ iret. Insignia ipsius erant, Trabea, sella curulis, & sex lictores cum virgarū fascibus.

*VOLVNTAS* generaliter loquendo est animæ potentia, qua tendimus in bonum absens per desiderium, præsens per complacentiam & fruitionem, &, siue præsens, siue absens per amorem. Eadem auersamur malum imminens, quo præsente, tristamur. Estque in nobis duplex voluntas, carnis videlicet, seu sensitiua, qua tendimus in bonum propositum per sensum; & rationalis, siue intellectiua, tendens in bonum propositum per intellectum: Et hæc est maximè libera, quæ à nullo bono creato & particulari, potest cogi ad exercitium ipsum volendi: &, vt naturaliter domina, potentijs omnibus, etiam ipsi intellectui imperat, ipsasque mouet ad exercitium, vel ab eodem retrahit. Voluntas etiam carnis, quamuis nata sit seruire voluntati rationali, imperat tamen, suo modo, membris, & potētijs exterioribus, immo nonnumquam, & sæpè rebellatur aduersus dominam voluntatem rationalem, re

nuens

nuens illi ancillari, & tunc totus homo deordinatur, fitque illud, quod dicitur Galat. 5. *Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem, hæc enim sibi inuicem aduersantur.* Et illud Roman. 7. *Non enim, quod volo bonum hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatũ. Inuenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adiacet: condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis repugnantẽ legi mentis meæ.* De hac eadem potentia ait Cicero Tusculan. 4. *Natura omnes, ea quæ videntur bona, sequuntur, fugiuntque contraria. Quamobrem si semel obiecta specie cuiuspiam est, quod bonum videatur, ad id adipiscẽdum impellit ipsa natura. Id quum constanter prudenterq; fit, eiusmodi appetitionem Stoici* βούλησιν *appellant. nos appellamus voluntatem, eam illi putãt in solo sapiente esse, quam sic definiunt. Voluntas est, quæ cum ratione desiderat. Quæ autem aduersus rationem incitata est vehementius, ea libido est, vel cupiditas efferata, quæ in omnibus stultis inuenitur.* Hinc illa, quam Dama voluntatem nominat, non est illa superior, rationalis, & spiritualis, sed carnis, & sensitiua, quæ dicitur libido, & cupiditas effrenata, quã imperare sapientibus turpe est, etiam si stultissimus Dama, velit sibi licere eius imperia sequi.

*MASSVRIVS* Sabinus auditor, & in scholæ præfectura successor Actæi Capitonis, Iurisconsultus insignis, tempore Tiberij Cæsa-

ris, ab eodem, in sapientiæ recognitionem, in equitum ordinem sublimatus, priuilegiatusq; vt de iure responderet, quod non permittebatur nisi magistratibus. Eius meminit Gellius lib.14.cap.2. dicens: In rerum quidem diffusionibus, comperendinationibusque, & alijs quibusdam legitimis, in rebus ex ipsa lege Iulia,& ex Sabini Massurij, & ex quorundam aliorum iurisperitorum commentarijs, commoniti, & adminiculati sumus. Is tamen talis,& tantus vir,adeo pauper extitit,vt iam quinquagenarius à discipulis ali necesse habuerit.Et de eo intelligit.

*RVBRICÆ* nomine legem intelligit per senecdochen,aut metonymiam,quia legum initia rubro colore notabantur. Hinc Iuuenal. sat.14. versu 190.

*accipe ceras*
*Scribe puer,vigila,causas age,perlege rubras*
*Maiorum leges,aut &c.*

Alioquin rubrica est genus terræ, de qua Plin. ait lib.35. cap.6.] Rubricæ genus in eo voluere intelligi, quidam secūdæ autoritatis, palmam enim Lemniæ dabant, minio proximam:hæc est multum antiquis celebrata,cum insula in qua nascitur, nec nisi signata venundabatur,vnde & sphragidem appellauere. Hac minium sublinunt adulterantque.In medicina præclara res habetur, epiphoras enim oculorum mitigat,& dolores circumlita Ægilopas manere prohibet; sanguinem reijcientibus,ex aceto datur bibenda: bibitur & contra lienum,renumque vitia, & purgationes fœminarum; item & contra venena,& serpentum

ictus

ictus terrestrium, marinorumque, omnibus ideo antidotis familiaris. Ex reliquis rubricæ generibus, fabris vtilissima Ægyptia,& Africana, quoniam maxime sorbentur. Picturis autem apta nascitur,& in ferrarijs metallis: ex ea fit ochra, exusta rubrica in ollis nouis luto circũlitis: quo magis arsit in caminis, hoc melior, Omnis autẽ rubrica siccat, ideoq; & emplastris cõuenit.] Ait ergo Dama, se, quũ per Pretoris vindictam foret declaratus liber, & factus sui iuris, habere potestatem faciendi quidquid vellet, nisi tale foret, quod leges duodecim tabularum, Senatusconsulta, plebiscita, edicta Prætorum, Imperatorum, vel Massuri responsa (quæ omnia nomine rubricæ Massuri intelliguntur per metonymiam, aut metalepsim signi, quia eorum initia rubro colore scribũtur) interdixissent. Nullus enim, quantumcumque liber, contra leges interdictum facere potest. Nam libertas est naturalis facultas faciendi, quod libet, nisi si quid vi, aut iure prohibeatur. Vnde & ipsi Principes & legum conditores, nõ debẽt putare se licitè suas leges transgredi posse, naturali enim iure ad earum tenentur obseruantiam, quamuis, quia superiorem in terris non habent, nequeant ad eas compelli, vt subditi, per pœnarum inflictionem, cæterum apud Diuinum iudicem, non minus quam illi peccant: sed quem mihi dabis, qui non se putet legibus solutum tam in se, quam in suis? nisi forte Zaleucum illum, de quo Valerius Maximus lib. 5. cap. 5. § 3. ait: Zaleucus Vrbe Locrensium à se saluberrimis, atque vtilissimis legibus munita, quũ

filius eius adulterij crimine damnatus, secundum ius ab ipso constitutum, vtroque oculo carere deberet, ac tota Ciuitas in honorem patris, pœnæ necessitatem adolescentulo remitteret, aliquandiu repugnauit. Ad vltimum precibus populi euictus, suo prius, deinde filij oculo eruto, vsum videndi vtriq; reliquit. Ita debitum supplicij modum legi reddidit, æquitatis admirabili temperamento, se inter misericordem patrem, & iustum legislatorem, partitus.

*DISCE, sed ira cadat naso, rugosaque sanna, dum ueteres auias tibi de pulmone reuello*. Responsurus poeta argumentationi nunc à Dama factę, modestiæ causa, & quasi ad inuidiam leniendam, veniam precatur, ironicè tamen; non est enim necessaria veniæ postulatio, quum maior, & sapientior, minorem, aut idiotam monet, vel docet, benè vero quum superiorem, aut saltem æqualem: ideo absque veniæ petitione, poterat ipse eques, & philosophus, tressem agasonem, & libertinum redarguere, nisi ironia ad maiorem contemptum vti voluisset. Dixit autem Ira cadat naso, pro, Ne irascaris, & est metaphora ducta à canibus, qui dum irascuntur, nares in rugas contrahunt. Sanna vero est vna ex speciebus irrisionis, de quibus in Instit. Orat. lib. 3. Tract. 2. cap. 7. & ad illa verba sat. 1 versu 62.

*postice occurrite sannæ,*

de qua Iuuen. sat. 6. versu 306.

*I nunc, & dubita, quo sorbeat aera sanna*
*Tullia, quid dicat notę Collatia Mauræ.*

De sannionibus à sanna dictis, Cicero 2. de Orat.

Orat. ait: *Animaduertendum, non esse omnia ridicula, faceta: quid enim potest esse tam ridiculum, quam sannio est? sed ore, vultu, imitandis moribus, voce denique corpore ridetur ipso. Salsum hunc possum dicere, atque ita non ut eiusmodi oratorem esse velim, sed ut mimum. Quare primum genus hoc, quod risum, uel maximè mouet, non est nostrum, morosum, superstitiosum, suspiciosum, gloriosum, stultum: naturæ ridentur ipsæ, quas personas agitare solemus, non sustinere.* Et idem lib. 9. epist. 16. *De uilla Ceciliana, et curasti diligenter, & scripsisti facetissimè: itaq; puto me prætermissurum: salis enim satis est, sannionum parum.* Et Attic. lib. 9. epist. 10. *Consul autem ipse, paruo animo & prauo, tantum cauillare, genere illo moroso, quod etiam sine dicacitate ridetur, facie magis, quam facetijs ridiculus.*

*DVM ueteres auias tibi de pulmone reuello.* Auia est mater matris, vel patris: vetus vero est annis plenum: & certè mater matris, vel patris Damæ, annorum plena esse debuit, ideoque vetus potuit appellari. Sed quum poeta hic promittit se reuulsurum veteres auias de pulmone, seu corde Damæ, sit autem impossibile corpulentam auiæ substantiam irrupisse in illius interiora, auiæ nomen non est propriè accipiendum pro substãtia humani corporis, sed metonymicè pro sermonibus quos anus deliræ, & insanæ nutriculæ, aliæq; multæ mulierculæ, infantium, quos nutriunt, auribus, animisque solent instillare. Vt enim diximus ad satyræ 2. versum 31. huiusmodi anus pueris suggerere solent conceptus alienos

nos à pietate, & vera religione, eosque imbuere superstitionibus, & impietate. Et quum ipsæ in bonis nihil habeant, nisi corporalia, & fortuita; Honestatem vero virtutis, & sapientiæ penitus ignorent, istas opiniones nutric orum animis instillant, quibus deinceps hi occupati, vix, & ingenti cum labore ad sapientiam, & beatitudinem erigere possunt: Vnde nedum Sapiens ait Prouerb.6. *Adolescēs iuxta uiam suam, etiam cum senuerit non recedit ab ea:* sed etiam Horat. lib. 1. ep. st. 2.

*Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem*
*Testa diu.*

Has ergo stultas, fatualque opiniones ab antiquis nutricibus acceptas, appellat hic Veteres auias, quas philosophus Stoicus, seu poeta, accipit se eculsurum è pulmone, seu corde Dame, si ipse id pati, & addiscere velit: nam vt quis à malis liberetur, debet propria volūtate cōsentire, & animo affici ad bonum: alioquin si animus medicinam respuat, numquam sanitati restituetur. Quod necum verum est de illa imperfecta sanitate, quę vtcumque datur per præcepta philosophica, sed, iuxta legem ordinariam, etiam de ea, quam confert diuina gratia, excitans liberum arbitrium, vt velit a culpa liberari, & quum habuerit consensum illius, tunc demum sequitur gratiæ sanctificantis, & sanantis infusio. Et hinc Christi interrogatio facta languido Ioannis 5: *Vis sanus fieri*. Et illud Apocal 3. *Ego stò ad ostium, & pulso, si quis aperuerit mihi, intrabo ad eum.* Præcedit ergo gratia excitans, cui liberum consentire debet arbitrium, & operari iuxta il-

illius impulsum, & tunc demum sequetur perfecta sanitas: quod si liberum arbitrium repugnauerit, nunquam sanitas introducetur. Hoc etiam quidam interpretantur de opinione nobilitatis, aut potentiæ, vt dictum est satyra 3. versu 27. *An deceat pulmonem rumpere uentis stemmate, quod Thusco ramum millesime ducis.* Pulmo enim, vtpote spongiosum, & ventorum receptaculum, gloriæ inanitatem, & animi designat inflationem, Nec obstat nullam fuisse Damæ trestis agasonis nobilitatem, de qua posset gloriari, nam etiam isti de natalium splendore mentiri, & gloriari solent, vt Harpax Plautinus Pseudolo Actu 4. scena 7.

*Nam ego eram domi Imperator summus in patria mea.*

Et in huiusmodi personis fictis, crebra fieri solet mutatio. Quæ interpretatio non est contemnenda, sed standum primæ, vt textui conformiori. Reuellere autem de pulmone est extrahere, abscondere, & radicitus extirpare. Sic Ouid. 12. Metam.

*Vltor adest Phereus saxumq; è monte reuulsum Mittere conatur.*

Et Virg. 4. Georg. versu 423.

*Tum quoq; marmorea caput à ceruice reuulsũ.*

Et ita nunc, reuellere est explantare, extirpare, & quasi à radicibus eruere præconceptas aniles, & falsas opiniones.

*NON Prætoris erat stultis dare tenuia rerum officia, atque usum rapidæ permittere uitæ.* Hinc poeta incipit respondere argumentationi à Dama factæ, quæ sic procedebat. Quicumque à prætore recessit factus sui iuris, est liber,

sed ego à Prætore recessi, factus mei iuris: ergo liber. Respondet negando maiorem, nequiuit enim Prætor ipsum vera, idest animi libertate donare, quum hæc non subdatur Prætoris arbitrio, quando hic, vt cæteri magistratus, & Reges, supra corpora quidam habent, non vero supra animos, potestatem, & ideo nequeunt liberare nisi ab ea seruitute, quæ erat sui iuris, hoc est corporali: animi vero libertatem consistentem in exemptione à tyrannide vitiorum, nullus talis præstare potest. Hinc Xenophon de factis, & dictis Socratis lib. 4. ait: *Dic mihi, ò Euthydeme, putasne bonam magnamque possessionem homini, atque ciuitati, libertatem esse? Maximam inquit. Quicumque igitur corporeis seruit libidinibus, & ob eas nequit, quæ sint optima exequi, putasne tu hunc esse liberum? Minimè inquit: Fortassis homine libero dignum uidetur tibi, posse agere quæcumque bona sunt, deinde habere, qui interpellant istiusmodi facere, seruile quidpiam deputas? Omnino, inquit puto: Omnino igitur tibi uidentur incontinentes etiam non liberi esse. Per Iouem inquit, & merito. Vtrum incontinentes uidentur tibi prohibere ea facere, quæ honesta sint, an & cogi ea facere, quæ turpia? Non minus hęc mihi uidentur cogi agere, quam & illa prohiberi. Quales tu dominos putes, qui bona prohibent, & turpia cogant? Herclè quã pessimos. Seruitutẽ, quã tu esse putas pessimã? Ego, inquit ille, hãc quę apud pessimos dominos feratur. Pessimam igitur seruitutem incontinentes seruiunt.* Sic & Petrarcha de remedijs vtriusque fortunę lib. 1. cap. 14. *Mutantur assiduè res humanæ,*

nihil

*nihil sub Cœlo stabile. Quis in tanta vertigine firmum aliquid, ac mansurum speret? Neq; vero te liberum hinc duxeris, quod esse dominum tibi non vides, quod parentibus ortus ingenuis, nec in acie captus, nec venundatus sis. Sunt vobis inuisibiles animorum domini, et in ipsa hominum origine latens pestis est. Nascendi genus obnoxium peccato, qua nulla grauior seruitus fingi potest. Sunt occulti hostes, & bella clandestina. Sunt quę miseras animas nundinentur, quas (heu) vili precio venditis, voluptates fędissimę dominarum, quę vos inenodabili laqueo vinctos tenent. Ite nunc & libertate gloriamini. sed vos cæci nihil nisi corporeū videtis; vnde eū, qui vni mortali subest domino, seruum dicitis: illum vero, qui mille immortalibus Tyrannis opprimitur, liberum iudicatis. Eleganter vt reliqua. Profecto autem liberum non facit fortuna, sed virtus.*
Prætor autem, siue diceretur à p̃ęeundo, siue à prçeundo, Magistratus erat Romæ, cognoscens de causis, & saltem vltimis Reip. temporibus octo erant Pretores, quorum quilibet sex habebat lictores cum fascibus, & sellam curulem. Quæ Prætorum multiplicitas introducta fuit, tam ob causarum cognoscendarum multitudinem, quam vt suppeterent, qui in Prouincias cum imperio mitterentur, vel ad exercitus, non valentibus Consulibus omnibus adesse, & ne Prouinciæ, & illarum exercitus absque duce forent. In Vrbe vero erant semper saltem duo Pretores, quorum vnus Vrbanus dictus, quibus, alter peregrinis, ius & iustitiam ministraret. Ad Prætorem ergo ducebatur ab hero seruus manumittendus,
qui

qui Prætoris decreto, liber, ciuisque Ro. iure Quiritum fiebat. Qui posteriori seculo dicebatur libertinus, quum antiquitus libertinus diceretur ille ingenuus, qui ex liberto, seu seruo manumisso natus fuisset, vt habemus ex Suetonio in Claudio cap. 23. *Latum clauum, quamuis initio affirmasset non lecturũ se Senatorem nisi Ciuis Romani abnepotem, etiam libertini filio tribuit, sed sub conditione, si prius ab equite Romano adoptatus fuisset. Ac sic quoque reprehensionem verens, etiam Appium cæcum censorem, generis sui proauctorem, libertinorum filios in Senatum allegisse docuit: ignarus temporibus Appij, & deinceps aliquandiu, libertinos dictos non ipsos, qui manumitterentur, sed ingenuos ex his procreatos.*

*STVLTIS*, ineptibus, incautis, improuidis, inertibus: quorum oppositi sunt sapientes. Sic Cic. l. 9. epist. 22. *Stultorũ plena sũt omnia.* Minus tamen esse, esse stultũ, quã fatuũ, vel insanũ colligitur ex illo Terẽtij Eunuc. Actu 2. sc. 2.

*Scitum herclè hominem, hic homines prorsus*
*ex stultis insanos facit.*

Et quia stultitia insçitiæ, seu ignorantiæ solet esse comes, ignorantia vero adolescentiam comitatur, metonymicè, vel metalepticè dies stulti pro ętate adolescentiæ positi apud Tibullum lib. 1. eleg. 4.

*Vidi iam iuuenem premeret, quum serior ętas*
*Mœrentem stultos præterijsse dies.*

Sed Stoici auersantes sterilem rerum speculationem, & sapientiam ad praxim reuocantes, eos esse stultos dicunt, qui quantumcumque ingenio polleant, vitijs sunt mancipati. Ad

quos

quos reducitur Cicero dicens lib. 7. epist. 28. *Intellexi ex tuo sermone quodam, quum ma[illegible]tiam meam, et desperationem accusares domi tuæ, dicere te, ex meis libris animum meum desiderare: sed mehercule & tum Rēp. lugebam, quę non solum suis erga me, sed etiam meis erga se, beneficijs, erat mihi carior, & hoc tempore, quamquā me non ratio solum consolatur, quæ plurimum debet valere, sed etiam dies, quæ stultis quoque mederi solet, tamen doleo ita communem rem esse dilapsam, vt ne spes quidem melius aliquando fore, relinquatur.* Itaque nunc stulti dicti sunt homines, vitijs inquinati, vel passionum, & cupiditatum mancipia.

*TENVIA rerū officia.* Tenuia trisyllabum, prima longa positione, vt 1. Georg. v. 397.

*Tenuia nec lanæ per Cælum vellera ferri.*

Et idem Virg. 2. Georg vers. 121.

*Velleraq; vt folijs depectant tenuia Seres;* alioquin si vox esset quatrisyllaba, pes esset pæon tertius, qui nihil ad hexametrū. Offi ia autem tenuia, Farnabius vult esse subtilia per differētias, vel rerū circūstantias: Bond vero, & Stellutus, acuta & sublimia, ad quę administrāda vtq; impares sunt stulti. Sic tenue pro acuto dixit Cic. dę Fato: *Athenis tenue cælū, ex quo etiā acutiores putantur Attici Crassum Thebis, itaque pingues Thebani, & valentes.* Pro gracili etiam, seu subtili Columella dicens l. 2 cap. 10. *Lini semen, nisi magnus est in ea regione quam colis, prouentus, & pretium prouitat, serendum non est, agris enim præcipuè noxium est. Itaque pinguissimum locum, & modicè humidum poscit. Seritur à Kal. Octobris in ortum*

A[illegible]ni-

*Aquilæ, qui est septimum Idus Decembris; iugerum agri, octo modijs obseritur: nonnullis placet macro solo, quam spissiſſimum eius semen committi, quo tenue linum proueniat.* At Casaubonus vult Damam putasse, licere sibi omnia exercere officia, à quibus per leges non arceretur, Persium vero id negare, non enim continuo licent, quę legibus non prohibentur. Vnde Cicero ait 3. de Officijs: *Quorsum hæc? Vt intelligas nō placuisse maioribus nostris astus: sed aliter leges tollunt astutias, aliter philosophi: leges quatenus teneri metu res possunt: philosophi quatenus ratione, & intelligentia. Ratio igitur hoc postulat ne quid insidiosè, ne quid simulatè, ne quid fallaciter.* Quæ fuit etiam sententia Senecæ dicentis 2. de Ira cap. 27. *Quam angusta innocentia est, ad legem bonum esse! Quam latius officiorum patet, quā iuris regula! Quam multa pietas, humanitas, liberalitas, iustitia, fides exigunt, quæ omnia extra publicas tabulas sunt!* Prætor ergo corporalem concedere potuit libertatem, & eximere à seruitute qua quis adstrictus erat iure ciuili, quo facto, omni suo functus erat officio, nec aliud ab eo expectandum erat. Cæterum liberare à seruitute vitiorum, non erat Prætoris, sed, iuxta Ethnicorum placitum, solius sapientis, siue philosophi, qui suis viuendi canonibus, & præceptis siue generalibus, siue specialibus, id se facturum assumebat. Vnde Seneca epist. 94. *Infinita, inquit, præcepta sunt. Falsum hoc, nam de maximis & necessarijs rebus, non sunt infinita; tenues autem differentias habent, quas exigunt tempora, loca, personæ: sed his quoque dantur*

*tur præcepta generalia.* Verum planior huius loci intelligentia eruitur ex naturali, siue litterali significatione vocis, Tenuis. Tenue autem (siue sit à tenendo, nam tenuia, nisi sint lubrica, facilè tenentur: siue à τάνειν tendere, seu extendere, nam quæ extenduntur, attenuantur, vt facilius teneantur vt bracteolæ) idē est ac gracile, exile, & exiguum. Sic Virg. 4. Æneid. versu 263.

*munera Dido*
*Fecerat, & tenui tela discreuerat auro;*

tenui inquit auro, ideſt ſubtili graciliqueiā bracteolas attenuato. Hinc officia denominata hic tenuia, metaphoricè intelliguntur vilia, exigua & nullius penè momenti, vel pretij, à quibus tamen arcet, & remouet ſtultos. Vt dicere velit. Non potuiſſe Prætoris decreto, concedi ſtultis facultas ad ministrandi officia quantumcumque vilia, & contēptibilia. Nam quum bonum ſit ex integra cauſa, malum ex quocumque defectu, ad bene quid administrādum requiritur ſapientia, quam Prætor tradere non potuit, ſed ſola ſapientia, quæ eſt vitæ magiſtra, & officiorum, actionumque regulatrix.

*ATQVE vſum rapidæ permittere vitæ.* Rapidum quaſi vi rapiens, & violenter obuia quæque proſternens, vt ſecum rapiat. Dicitur de fulmine, præſtere, turbine, & torrente, ac flumine. Sic Virgil. 6. Æneid. v. 550.

*Quæ rapidus flammis ambit torrētibus amnis*
*Tartareus Phlegeton, torquetq; ſonantia ſaxa.*

Et Aratus apud Ciceronem 2. de Nat. Deor.

*Has inter veluti rapido cum gurgite flumen*
*Tor-*

*Tortuus draco repit, subter, supraq; reuoluens.* Et translatione ab amne ducta, rapidam dixit orationem Cicero 2. de Finibus; *Quum enim fertur quasi torrens oratio, quamuis multa cuiusque modi rapiat, nihil tamen teneas, nihil apprehĕdas, nusquam orationem rapidam coerceas.* Appositissimè autem vita nostra denominata est rapida, quum velocissimè transeat, secumq; tam bona rapiat, quam mala. *Permittere* autẽ est concedere, sinère, & tolerare absque repugnantia, etiam absque actu positiuo. Sic Cæsar 2. de bello Gallic.: *Non se existimare Romanos sine ope Deorum bellum gerere, qui tãtæ altitudinis machinationes, tanta celeritate promouere, & ex propinquitate pugnare possent: se suaque omnia eorum potestati permittere dixerunt.* Sed aliquando permittere sumitur, vt inuoluit etiam actum positiuum, vt est idem, ac committere, vt quidam volunt hic sumĕdum: at mihi videtur positum negatiuè, pro non repugnare.

*SAMBVCAM citius caloni aptaueris alto, Stat contra ratio, & secretam gannit in aurem, Ne liceat facere id, quod quis uitiabit agendo. Publica lex hominum, naturaque continet hoc fas, ut teneat uetitos inscitia debilis actus.* Sambuca est instrumentum musicum, formæ quasi triangularis, constans neruis longitudine, crassitudine, & sono inæqualibus, simile ferè illi, quod nos harpam Greci ἅρπην quasi falcatum ensem appellamus, cuius inuentorem dicunt fuisse Sambycum: vel Ibycum poetam Rheginum. Huius instrumenti meminit Scipio Africanus Æmilianus apud Macrobium

lib 3.

lib. 3. cap. 14. dicens: Docentur præstigias inhonestas, cum cynedulis, & sambuca, psalterioque, eunt in ludum histrionum, discũt cantare, quę maiores nostri ingenuis probro ducier voluerunt. Inde sambucina est callens artem tale instrumentum pulsandi. Sic Plaut. Sticho Actu 2. scena 3.

*Post, ut occepi narrare, fidicinas, tibicinas,*
*Sambucinas aduexit secum, forma eximia.*

Sed hic debet sumi per senecdochen speciei pro toto genere instrumentorum musicorum, vt sit sensus, facilius posse calonem, seu rudem seruum militarem, artificiosè musicum pulsare instrumentum, quam stultum, solo Prætoris edicto, veram nancisci libertatem: Hanc etiam præstare, est solius philosophiæ, liberantis à vitijs, & dantis ne quid velis, aut facias, contra quam ratio suggesserit. Sambuca etiam est machina poliorcetica, mœnibus expugnandis proportionata, ita dicta, iuxta Festũ, quod vt in Organo, siue harpa, chordæ, ita in hac funes tendantur. Meminit eius Appianus lib. 1. de bello Mithridatico dicens: [ Mithridates, & ad naualem pugnam, & ad Vrbis oppugnationem, sese parabat: sambucam etiam, machinam quamdam maximam, duabus nauibus impositam, fabricabat. Edoctus autem à transfugis, cliuum esse ascensu facilem, qua Iouis Tabyrij fanum muro cingebatur humili, partem militum in naues noctu imposuit, reliquis schalas distribuit, iussitque vtrosque silentes ire, donec aliquis signum daret è Tabyrio, tum vero conclamare, quam maximè, & alteros portum, alteros mu-

rum inuadere. Et illi quidem propinquabant cum maximo silentio, custodes autem Rhodij, re cognita, ignem extulerunt: tum milites Mithridatis, rati hunc esse illum ignem è Tabyrio, repente è profundo silentio ediderunt ingentem iubilum, simul & scaligeri, & nauales socij: quibus quum parem clamorem vrbani reddidissent, intrepidè & concurrissent in mœnia, regij nocte ea nil tentauerunt, interdiu vero à mœnibus reiecti sunt. Sed maximè sambuca terruit admota mœnibus ad fanum Isidis, quæ tela multa simul, & arietes, & iacula immittebat, milites quoque multi è nauibus huc accurrebant cum scalis, quasi ascẽsuri mœnia. Rhodij tamen hæc etiam constanter pertulerunt, donec machina subsedit præ pondere, & spectrum Isidis visum est magnam vim ignis in eam iaculari: & Mithridates post hunc vltimum conatum, expugnationem desperans, mouit à Rhodo.] De eadem Vegetius sic ait Rei militaris lib. 4. cap. 21. *Admotis turribus, fũditores lapidibus, sagittarij iaculis, manubalistarij, arcubalistarij sagittis, iaculatores plũbatis ac missilibus, è muris submonẽt homines, Hoc facto, scalis appositis, occupant ciuitatem, Sed qui scalis nituntur, frequenter periculũm sustinent, exemplo Capanei, à quo primũ hæc scalarum oppugnatio perhibetur inuenta, qui tanta ui occisus est à Thebanis, ut extinctus fulmine diceretur. Et ideo sambuca exostra, & tollenone, obsidentes in murum hostiũ penetrant. Sambuca dicitur ad similitudinem citharæ, nam quemadmodum in cithara chordæ sunt, ita in trabe, quæ iuxta turrim ponitur, funes sunt, qui*

*pon-*

*pontem de superiori parte trocleis laxant, ut descendat ad murum, statimque de turri exeunt bellatores, & per eam transeuntes, mœnia urbis inuadunt. Exostra dicitur pons, quem superius exposuimus, qui de turri repente in murum protruditur. Tollenon dicitur quoties una trabs in terram prælata defigitur, cui in summo uertice alia transuersa trabs longior, dimensa medietate connectitur, eo libramento, ut si unum caput depresseris, aliud erigatur. In uno ergo capite, cratibus siue tabulatis, contexitur machina, in qua pauci collocantur armati: tunc per funes, uno attracto depressoque, alio capite eleuati imponuntur in murum.* Et quum hæc machina poliorcetica sambuca dicta, sit longè maioris ponderis quam vt à quoquam, quantumuis athleticè valente, gestari aut sustineri possit, inde ad rem impossibilem ostendendam, dictum, faciliùs calonem talem posse machinam ferre, quam stultum, solo Prætoris edicto, fieri verè liberum.

*CALONI* seruo militari, vt erant etiam lixæ, & caculæ. Hinc Seruius docet antiquos calas dicere fustes, quos ferebant serui sequentes dominos ad prælium, & inde calones. Consuetum Romano militi sua sibi arma portare, & vallum: vallum autem calam dicebant, inde illud Lucilij: Scinde pue calam vt caleas, idest frange vallum, vel fustes, aut ligna, & fac ignē, vt caleas. Aliquando calonibus arma dabant. Hinc Vegetius ait lib. 3. cap. 6. [ Antiqui diligentissimè præcauebant, ne à calonibus interdum vulneratis, interdum timentibus, & sagittarijs clamore pauefactis, pugnantes mili-

li.

lites turbarentur, ne dispersi longius, aut conglobati amplius quam expedit, impedirent ipsos, hostibusque prodessent: & ideo ad exemplum militum, impedimenta sub quibusdam signis ordinanda duxerunt. Denique ex ipsis calonibus ( quos galearios vocant ) idoneos, ac peritos vsu legebant, quos non amplius, quam ducentis, sagittarijs, puerisque præficerent, hisque vexilla dabant, vt scirent ad quæ signa deberent impedimenta colligere.] Erant autem calones diuersi à lixis, & caculis: nam caculi erant serui militum singularium, qui clauis, fustibusque armati, Dominos custodire tenebantur: ità dicti à κακός malus, & imbellis, non enim erant milites, sed imbelles militum serui. Sic Plaut. Trinummo Actu 3. scena 2.

*quid ego nunc agam*
*Nisi ut sarcinam constringam, & clypeum ad dorsum accomodem*
*Fulcimenta iubeā suppingi soccis; nō sisti potest:*
*Video caculam militarem me futurum haud longius.*

Lixæ vero erant, qui exercitum sequebantur quæstus gratia, ita dicti, iuxta Festum, quod quum essent extra ordinem militiæ, eis liceret quod libitum esset. Vel à Lico Herculis sectatore. Vel à liguriendo quęstum. Vel à lix, quę est aqua, vnde elixiuium, & cibi in aqna cocti, dicuntur elixi. Munus autem lixarum erat, cibum militibus deferre, vel coquere. Hinc Nonius: Elixum, quidquid ex aqua mollitur, vel decoquitur, nam lixam aquam veteres dixerunt, vnde & lixæ dicti, qui militibus

aquam, ad castra, vel ad tentoria ferre solent. Esse vero lixas alios à calonibus colligitur ex illo Taciti 3. Hist. cap. 5. *Simul lixas calonesq; cum recentissimis equitum, Bedriacum mittit, copias, cæteraque usus allaturos.* Et eodem lib. cap. 6. *Quadraginta armatorum millia irrupere, calonum, lixarumque amplior numerus, & in libidinem, ac sæuitiam corruptior.* Quidam putant lixas dictos à cinere, eo quod dicat Plin. l. 36. c. 27. *Est & ipsis ignibus medica uis: pestilentiæ, quæ solis obscuratione contrahitur, ignis suffitu multiformiter, auxiliari certum est. Empedocles, & Hippocrates id monstrauere diuersis locis. Ad conuulsa uiscera, aut contusa, ut M. Varro autor est, ipsis enim uerbis eius utor, lix cinis est, inquit foci, inde enim cinis luxatis potus meditur, ut licet uidere gladiatores, quum deluserint, hac iuuari potione.* Calones denique siue dicantur à Kalendis, quibus cibaria, per mensem suffectura accipiebant: siue à calos, vallo, & fuste: siue à calando, vocando, nam sæpe ad ministeria vocabantur, serui erant deferentes ligna pro vsu castrorum, idest tam vallos, & sudes, quam quæ igne consumebantur, ideoque eorum ministerium erat vilissimum. Hinc ignominiosè ait Horat. 1. ser. sat. 2.

*Hic se præcipitem tecto dedit, ille flagellis*
*Ad mortem cæsus: fugiens hic decidit, acrem*
*Prædonum in turbam: dedit hic pro corpore nummos:*
*Hunc perminxerunt calones Quin etiam illud*
*Accidit, ut cuidam testes, caudamq; salacem*
*Demeteret ferrum.*

Alius autem calo potest intelligi promptus,

pa-

paratusque ad ministrandum. Vel eminens corpore, quales eligebantur ad hæc ministeria laboriosa. *Vel altus*, ideſt ſtolidus, & iumenti more, nulli alteri rei vtilis, niſi lignis deferendis, in quo quidem ſordido emineret miniſterio, nam altus dicitur in re quapiam eminens, eſto alijs omnibus ſit ineptus.

*STAT contra ratio, & ſecretam gannit in aurem.* Hoc eſt, recta ratio dictat, non poſſe dici vere liberum, qui, vitijs addictus, à Prætore ſuit liber pronunciatus. Quod autem ait gannit, in aliquibus codicibus eſt, garrit. Eſt autem garrire proprium auium, voces emittentium etiam inconditas, & inſuaues, vnde garrulitas hirundinibus tribuitur à Virgilio 4 Georg. verſu 306. *ante*

*Garrula, quam tignis nidũ ſuſpendat hirũdo.*

Et autor carminis Philomela:

*Inſuper eſt auium ſpacijs garrire diurnis.*

Sed transfertur ad alia, vnde Martialis lib 14. epigr. 166.

*Exorent dotilem garrula plectra lyram.*

Et ibidem epigr. 168.

*Garrulus in laxo quur annulus orbe uagatur.*

Inde garrire eſt ineptè loqui, quaſi ſit gerrire, ideſt loqui de gerris, nugis, & ineptijs, quod huic loco non conuenit, quum ratio ſeria loqui debeat: inde placet legere gannit. Gannire autem eſt, vel canum gaudium vlulatu teſtantium, maximè quum adulantur dominis peregrè reuerſis: vel vulpium, quibus id tribuit autor carminis Philomela dicens:

*Rixè canis latrat, fallax uulpecula gannit.*

Transfertur & ad homines, & ſignificat rem ali-

aliquam inculcando sæpe dicere: & ita nunc sumitur, nam vult rationem frequenter repetere, Non posse dici liberum eum, qui vitijs, & passionibus sit mãcipatus. Et quod ait, Rationem gannire in aurem secretam, est, illam loqui non ad aures corporis exteriores, sed ad interiores animi. Ratio siquidem, seu lumen naturale, quum lateat intra mentem, ibi clamans docet, quid facto sit opus, & hoc lumen est synderesis. Id vero, quod synderesis dictat inculcatque in aurem secretam, est, non licere id facere, quod quis, eo ipso, quod aggreditur, contaminabit; Vel Ne quis ei se immisceat negotio, cui perficiendo, par esse non possit, præstat enim non assumere, quam præsumere, quod non possis absoluere.

*PVBLICA lex hominum, naturaque continet hoc fas, ut teneat uetitos inscitia debilis actus.* Lex, siue dicatur eo, quod legi debeat, vt omnibus innotescat, quos obligare vult ad sui obseruantiam: vnde lex non scripta, sed oretenus prolata, in iuris rigore non obligat, nec est lex, quum non fuerit lecta. Siue ab eligendo, nam ex multis secernitur, quod populo huic videatur conuenire, vniuersim est duplex, naturalis, & Diuina: hæc est lata à Deo, nobisque innotuit per Diuinas Scripturas vtriusque testamenti: & de hac nunc non loquimur. Illa vero est adhuc duplex, alia nobis indita ipso naturæ lumine, & apud omnes eadem est inuariabilis, vt: *Quod tibi non uis, alteri ne feceris*. Et hæc specialiter dicitur ius naturę, vel lex naturalis. Alia non est indita lumine naturæ: & hęc est adhuc duplex, vna

cõmunis apud omnes, quamuis barbaras, nationes, vt, quod caduceatores sint inuiolabiles, quæ specialiter & propriè dicitur Ius Gẽtium: Alia non viget apud omnes, sed apud quosdam tantum populos: quæ subdiuiditur in alias, & variatur iuxta diuersitatem Regnorum, Rerump. & statuum personarum, quę specialiter dicitur Ius scriptum, & positiuum, exigens scriptionem, quum Ius Gentium nullibi sit scriptum, naturæ vero ius in cuiusque conscientia sit impressum. Itaque iura, positiuum, gentium, & naturæ, generaliter dicuntur ius naturale, vt distinguitur à Diuino, quia non excedit principia luminis naturalis. Publica igitur lex hominum hic intelligitur ius gentium, hoc enim est lex publica, & communis omnium gentium, & nationum. Naturæ vero nomine intelligitur ius naturæ. Grauius autem delinquunt peccantes contra ius gentium, quam si contra ius positiuum: & grauissimè si contra ius naturæ, quia quum contra vniuersaliora rectitudinis principia, amplius iustitiam deordinant. Nec inde fit talia atrociora crimina, grauius in hac vita puniri: quinimmo multoties nefandissima scelera, patrata præcisè contra ius naturæ, manent in hoc seculo impunita: etiam si leuiora contra ius scriptum sæuerissimè puniantur. Et tale delictum hic impunitum, est, iuxta Stoicos, si stultus velit se immiscere negotijs, vel in administranda Rep. Fas autem est dictum à fando, vt ius à iubendo, quasi iussum à magistratibus, sit fas

quasi

quasi fatum, hoc est dictum à Dijs, vel Sacerdotibus, & est nomen defectiuum idem valens ac iustum, sanctum, pium, religiosum, & fari dignum, quod non aduersetur sacris legibus, vel religionibus. Si Virg. 1. Georg. v. 268.

*Quippe etiam festis quædam exercere diebus*
*Fas & iura sinunt*

Et Plautus Asinar. Actu 3. scena 1.

*Neque ædepol te accuso, neq; id me facere fas existimo.*

Et ita nunc sumitur, nam iure naturę, & gentium, sanctum, & religiosum putatur arcere stultum à negotijs administrandis, ne illa per eum contaminentur.

*TENEAT* est remoretur, possideat, apprehendat, vel habeat. Sic Cicero 1. Tusculan. *His & talibus adductus Socrates, nec patronum quæsiuit ad iudicium capitis, nec Iudicibus supplex fuit, adhibuitque liberam contumaciam, a magnitudine animi ductam, non à superbia: & supremo vitę die, de hoc ipso multa disseruit; & paucis ante diebus, quum facilè posset educi è custodia, noluit; & quum penè in manu iam mortiferum illud teneret poculum, locutus ita est, vt non ad mortem trudi, verum in Cælum videretur ascendere.* Et ita nunc sensus est. Tam ius gentium, quam naturæ, sanxerunt, ne homines insipientes, & inhabiles gerendis negotijs, eorum aggrediantur tractationem, sed ab eis arceantur.

*INSCITIA debilis* ignorantia, seu nesscientia. Sic Cicero de Prouincijs Cōsularibus ait: *Itaque videtis P. C. non temeritate redemptionis, aut negotij gerendi inscitia, sed auaritia,*

*superbia, crudelitate Gabinij penè afflictos, iam atque euersos publicanos, quibus quidem vos in his angustijs ærarij, tamen subueniatis necesse est*. Et hinc nomen insciti, quo vsus Plautus Menechmis Actu 2. scena 3.

*Mulier hęc stulta, atque inscita est.*

Et ibidem;

*Sed ego inscitus, qui me hero postulem moderarier.*

Debilis autem est viribus destitutus, & iuxta vocis ethymologiam compositæ ex de, & habilis, est, non habilis. Vnde vult: Hominem inscitum, stultum, insipientem, & non habilem gerendis negocijs, tenere actus vetitos, hoc est prohibita ei esse negocia.

*DILVIS helleborum certo compescere puncto nescius examen, uetat hoc natura medendi. Nauem si poscat sibi peronatus arator Luciferi rudis, exclamet Melicerta, perijsse, frontem de rebus.* Ordo est: Diluis helleborum nescius compescere examen certo puncto, natura medendi vetat hoc: Si arator peronatus, rudis Luciferi, poscat sibi nauem, exclamet Melicerta perijsse frontem de rebus. Helleborum quid sit, dictum est ad satyræ 1. versum 50. & ad satyræ 3. versum 63. Sed hic per senecdochen speciei pro specie, ponitur pro quouis pharmaco. Examen etiam quid sit, diximus ad satyræ 1. versum 6. diximus enim examen esse stylum in libra, seu statera, exeuntem ex parte opposita eius, in qua maius pondus deprimit lancem. Et hoc modo nunc sumitur. Hanc sententiam expressit Horatius dicens lib. 2. epist. 1.

Na-

*Nauem agere, ignarus nauis, timet; abrotonum ægro*
*Non audet, nisi qui didicit, dare, quod medicorum est*
*Promittunt medici, tractant fabrilia fabri.*

Compescere autem ethymologicè est quasi nó abstinere ab eisdem pascuis. Vt enim iuxta Festum, dispescere est pecus à pastion deducere, ita compescere, in vno loco pascendi gracia continere. Alij volunt esse à parco, quasi compercere. Vnde Iuuen. iuxta primam ethymologiam ait satyra 1. vers. 160.

*Quū veniet contra, digito compesce labellum.*

Et Plautus Bacchidibus Actu 3. scena 3.

*Caue malū, & compesce in illū dicere iniustè*, ideſt prohibe, & frœna linguam ne quid aduersus eum loquaris. Sed esto ita sit, tamen pasco quoque pro parco antiqui dicebant, vnde Festus ait: Pascito linguam in sacrificijs dicebatur, hoc est coercito, contineto, taceto. In quo sensu Apuleius versus finem libri 9. Metamorphoseos ait: *Canes pastoricios, villaticos, feros atq; immanes, assuetos abiecta per agros exsiccare cadauera: præterea etiam transeuntium viatorum passim morsibus alumnatos, laxari, atq; in eorum exitium inhortatos immitti præcepit, Qui subito signo solito pastorum incensi, atque inflammati sunt, furiosa rabie conciti, & latratibus etiam absonis horribiles, eunt in homines: eosque varijs aggressi vulneribus, distrahunt, ac lacerant, nec fugientibus saltem compescunt.* Et ita nunc sumitur, pro cauere ne quid vltra, vel citra methodicam quantitatem apponatur, alioquin periculum crearetur exaggerandi ægro languorem.

*PVNCTO certo.* Puncta in statera sunt, non in libra: medicamenta non stateris, sed libris penduntur, in quibus punctorum loco, sunt varia ponderum genera, vnciæ, drachmæ, scrupuli, siliquæ, quibus pharmaca, ad medicinæ præscriptum, ponderantur, & temperantur, vt ægroto possint prodesse. Et sanè tunc proderunt, quando doctus medicus considerauit tũ ægroti naturam, complexionem, temperamentum, ætatem, vires, sexum, & morbi causas: tum aeris, regionis, & temporis dispositiones: tum denique simplicium, pharmacum ingredientium vires, & qualitates, & quam vim habeant ad morbum depellendum, & num illorũ violētiam ægroti vires sustinere possint, alioquin loco morbum expellendi, ægro lethum accelebrabit. Quod igitur pro ponderibus, punctum hic nominauerit, factum per senecdochen vnius pro alia specie. Natura autem medendi id prohibens, dicta est pro arte medicinæ, quæ certè naturam debet adiuuare, vique morbi oppressam confortare, eaque præstare, quæ illa faceret, si valeret. Alioquin nedum natura medendi, ideſt ars medicinæ, sed & ipsa vniuersalis natura, & communis ratio prohibet quemcumque suos transilire fines.

*PERONATVS* ille dicitur, qui perone est calceatus. Pero autem est genus calcei, è crudo corio facti, proportionatique aduersus imbres, niues, & alias hyemis iniurias, quo rustici, & monticulę alicubi vtuntur, de quo Iuuenal. satyra 14. v. 184.

*quem non pudet alto*

*Per*

*Per glaciem perone tegi, qui submouet Euros*
*Pellibus inuersis.*

Eo etiam in castris vtebantur, vnde Virgil. 7. Æneid. versu 689.

*vestigia nuda sinistri*
*Instituere pedis, crudus tegit altera pero.*

Quidam credunt perones eosdem esse, ac soccos: certè forma non erant absimiles: soccos vero qu si saccos dictos volunt, indeque perones affirmatos appellat Tertullianus de Pallio cap. 5. dicens: *Calceos nihil dicimus, proprium togæ tormentum, immundissimam pedum tutelam, uerum, & falsam, quem enim non expediat in algore, & ardore rigere nudi pedem, quam in calceo vncipedem, magnum incessui munimentum sutrinæ Veneris prospexere, perones effæminatos.* Sunt igitur rusticorum calcei, eorum in primis, qui vomere, aut sarculo terram vertentes, necesse habent nedum per niues, & glacies, sed etiam per lutum, & limum, terrasque nouatas incedere, quibus tam pedes nudi, quam calcei elegantiores, facilè atterûtur: sed eorum iniurijs cruda peronum coria resistunt. Peronum in alia significatione, pro saccis coriaceis, meminit Plin. lib. 36. cap 14. dicens: *Magnificentiæ uera admiratio extat templum Dianæ, Ephesiæ, ducentis viginti annis factum à tota Asia. In solo id palustri fecere, ne terræ motus sentiret, aut hiatus timeret. Rursus ne in lubrico, atque instabili fundamenta tantæ molis locarentur, calcatis ea substrauere carbonibus, dein velleribus lanæ. Vniuerso templo longitudo est quatrincẽtum vigintiquinque pedum: latitudo, ducentorum viginti: columnæ centum*

*viginti septem à singulis Regibus factæ, sexaginta pedum altitudine: ex ijs triginta sex cælatæ, vna à scopa. Operi præfuit Ctesiphon architectus. Summa miracula Æpystilia tantæ molis attolli potuisse: id consecutus est ille peronibus arenæ plenis, molli puluino super capita columnarum exaggerato, paulatim exinaniens ab imo, vt sensim totum insideret.* Sed hic, peronatus, vt diximus, est calceatus, calceis è crudo corio factis, quibus vtuntur rustici, & agricolæ.

*LVCIFERI rudis*. De Lucifero multa diximus ad huius satyræ versum 58. Quibus addimus Luciferũ dictũ fuisse Iouis ex Aurora filium, qui ex Trachynia Nympha Ceycem procreauit, & Dedalionem, & demum in Cœlum translatus, factus est stellarum fulgentissima in tertio planetarũ orbe collocatus iuxta antiquos: sed vt loco citato diximus, recentiores Astronomi cum Galilæo, experimento per Thelescopum habito, compererunt quandoque esse infra, quandoque supra solem, quem in quarto Cœlo ponebant. Et quando Lucifer mouetur infra solem, per Thelescopũ apparet cornutus, & cum eisdem incrementis & decrementis, cum quibus Luna. Quando vero est supra Solem, tunc integram ostendit faciem illuminatam. Quæ si vera sunt, iam planetæ non habebunt singuli proprios orbes, in quibus affixi sint vt nodi in tabula: sed vnum erit planetarum Cœlum, per quod stellæ vagentur, tamquam pisces per mare ab Oriente in Occidens, nunc infra, nunc supra solem. Quamquam hoc, quod est discurrere infra, & supra solem, in Venere, siue Lucifero, vel Phos-

Phosphoro, & Marte frequenter contingat, (vt hinc forrasse fabulati fuerint de Martis cum Venere furtiuo concubito à sole deprehenso) non vero in Saturno, & Ioue, qui semper supra, nec in Mercurio, & Luna, qui semper infra circumaguntur. Quod ergo hic dicitur Luciferi rudis, Luciferi nomine hanc intelligit stellam, diurnam ferentem lucem, nam quum oritur mane, proximum annunciat solis & diei ortum, plenam ferentis lucem, indeque ei adhæsit nomen Luciferi, vel Phosphori Græce; nam quando vespertinis nascitur horis, nō Lucifer, sed Hesperus, Vesper, & Vesperugo appellatur. Et huius stellæ nomine, per senecdochen vnius speciei pro alia, omnes intelligit stellas, quæ tempestates ciere, vel nauigationem dirigere possunt, vt sunt Pleiades Hiades, Bootes, Orion, Cynosura, & alię. Vel per metonymiam occupantis, qua obiectum ponitur pro scientia ipsum contemplante, Luciferi nomine intellexit Astronomiam, qua plerumque cognoscuntur tempestates, & tempora prosperæ nauigationis. Qua ratione interuenit hic metalepsis gradationis, nam nomine Luciferi per senecdochen intelligit stellas tempestatem concitantes, vel nauigationē dirigentes: & rursum stellarum nomine, quæ sunt obiectum Astronomiæ, per metonymiam occupantis, scientiam eas considerantem, vt idem sit esse rudem Luciferi, ac esse Astronomicæ expertem scientiæ.

*RVDIS* nonnumquam est nomen substantiuum significans virgam, ferream, aut ligneā, qua agitantur, quæ opus fuerit. Sic Plinius

 lib.34.

lib.34 cap.18. *Ad hæc maxima lotura plumbi facit. Cinis autem vsti ad vlcera serpentia, aut sordida, eademque quæ chartis ratio profectus. Vritur autem in patinis per laminas minutas cũ sulphure, versatum rudibus ferreis, aut ferulaceis, donec liquor mutetur in cinerem, dein refrigeratum teritur in farinam.* Sic Cato de RR. cap.104. *Hæc rude misceto ter in die, dies quinque continuos.* Huiusmodi rudibus gladiatores quandoque pugnabant, vt colligitur tum ex eo, quod compellentes aliquem depugnare, dicebantur, illum ad rudem coegisse: ideoque rudiarios eos vocat Suetonius in Tiberio c.7. dicens: *Munus gladiatorium in memoriam patris, & alterum in aui Drusi dedit, diuersis temporibus, & locis, primum in foro, secundum in amphitheatro, rudiarijs quoque quibusdam reuocatis, auctoramento centum millium.* Inde gladiatores emeriti, vel qui multis relatis palmis libertate digni visi fuerant, donabantur rude, ex quo rude donari, est impetrare missionem. Sic colligitur ex Horatio dicente lib.1. epistola 1.

*Spectatum satis, & donatum iam rude, quæris*
*Mæcenas iterum antiquo me includere ludo.*

At rudis, quum est adiectiuum, idem significat ac inelegans, & impolitum, vt rude argentum, vel aurum, quod non est cęlatum, nec signatum, nec aliam suscepit figuram. Transferturque ad animum & mores, illique rudes dicuntur, qui nulla liberali exculti fuere disciplina. Hinc Plinius lib.2. cap.7. ait; *Toto mundo, & locis omnibus, omnibusque horis, omnium vocibus. Fortuna sola inuocatur, vna nominatur,*

*vna accusatur, vna agitur rea, vna cogitatur, sola laudatur, sola arguitur, & cum conuitijs colitur, volubilis, à plerisque vero, & cæca etiam existimata, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorum fautrix. huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta, & in tota ratione mortalium, sola vtramque paginam facit. Adeoque obnoxię sumus sortis, vt sors ipsa pro Deo sit, qua Deus probatur incertus. Pars alia, & hanc pellit, astroque suo euentus assignat, & nascendi legibus, semelque in omnes futuros vmquam Deo decretum, in reliquum uero ocium datum. Sedere cœpit sententia hęc, pariterque & eruditum uulgus, & rude, in eam cursu uadit.* Sic Cicero de Claris Oratoribus: *Similiter suspicor, Curionis, etsi pupillus relictus est, patrio fuisse instituto, puro sermone assuefactam domum: & eo magis hoc iudico, quod neminem ex ijs quidem, qui aliquo in numero fuerunt, cognosci in omni genere humanarum artium, tam indoctum, tam rudem: nullum ille poetam nouerat, nullum legerat oratorem, nullam memoriam antiquitatis collegerat, non publicum ius, non priuatum, & ciuile cognouerat.* Et infra: *Est & minimè inepti hominis, & eiusdem etiam faceti, quum de sapientia disceptetur, hanc sibi ipsi detrahere, eas tribuere illudentem, qui eam sibi arrogant: ut apud Platonem, Socrates in Cœlum effert laudibus Protagoram, Hippiam, Prodicum, Gorgiā, cęteros: se autem omnium rerum inscium fingit, & rudem.* Et ibidem: *Ego Catonem tuum ut ciuem, ut Senatorem, ut Imperatorem, ut uirum denique quum prudentia, & diligentia, tum omni uirtute excellentem, probo: orationes autem*

*eius, ut illis temporibus, valdè laudo significant enim quamdam formam ingenij, sed admodum impolitam, & planè rudem.* Inde erudire, est hanc tollere ruditatem, vt diximus ad sat. 3. versu 9. Et quia inter bruta, sunt asini disciplinarum maximè incapaces, ipsi quum roncant, seu voces emittunt, rudere dicuntur. Rectè ergo arator peronatus, dictus est rudis Luciferi, ideſt expers scientię, Astronomicæ, ineptusque nauigationi regulandæ; quomodo enim, qui buram modo reliquit, nauis gubernabit clauum: quum non sit artis eiusdem glebas more aratoris, & vndas gubernatoris frangere ritu? Et ad propositum non est idem corpora seruitute liberare, quod Prætor facere potest, & animum à vitijs vendicare, quod tantum philosophi præstare possunt, saltem directiuè.

*EXCLAMET Melicerta.* Hypallage temporis, & modi præsentis coniunctiui, pro futuro indicatiui; exclamet, pro exclamabit. Est autem exclamare, toto spiritus conatu, & ingenti voce clamare, vt fit tum alias, tum ob rei nouitatem, indignitatem, & temeritatem. Melicerta vero vnus credebatur è Dijs marinis, portubus prȩsidens, Palæmon Græcis, Portunus Latinis appellatus, cuius fabulam narrat inter alios Ouidius 4. Metamorphoseos, & 6. Fastorum, & sic habet. Quum Ino Hermiones, & Cadmi filia, conditorum, & Regum Thebanorum, Athamantis vxor, Semeles vero soror, Bacchum eiusdem Semeles, & Iouis filium nutriendum, educandumque suscepisset, indignata, inuida, & zelotypa Iuno in ip-

sam

sam Inon, & illius virum Athamanta, per Erymnas immisit furorem, quo agitatus Athamas, videre sibi videbatur Inon esse leęnam, duos vero communes filios Learchon, & Melicertam esse leonum catulos, ideoque eos persequens, Learchon natu minorem, adhuc vagientem, apprehensum, more fundæ rotatum, saxo illidẽs, occidit. Dumque idem pararet in Inon, & Melicertam, territa vxor, filium manu trahens, in scopulum mari imminentem euasit; indeque siue adhuc persequentem virum formidans, siue doloris impatientia ob infantis Learchi necem, siue eodem agitata Erymnarum veneno, quo vir suus furebat, cum eodẽ Melicerta se in mare præcipitẽtem dedit. Sed quum auia Venus, quæ Hermiones mater fuerat, Neptunum, vt orta mari, deprecata fuisset, quatenus illis inter maris numina locum daret, Neptunus alumnæ precibus annuens, Inon in Leucothoen Græcè, seu Albã Deam, Latini Matutam, vel Auroram dicunt: Melicertam in Palemonem Grecè, Latinè Portunum, cum portuum præsidentia transformauit, consacratos. Et hic est Melicerta, qui è portu, cui præsidebat, videns agricolę, seu rudis aratoris temeritatem in poscenda sibi nauis gubernatione, ad tantam insolentiam exclamasse hic dicitur.

*PERIISSE, frontem de rebus* Frons est pars humani corporis, à dextra, sinistraque capitis parte, temporibus; à superiori, capillorum radice: ab inferiori, supercilijs terminata. Hæc dilatatur in letitia, in tristitia vero corrugatur: indeque sumitur pro vultu, animo, & affe-

affectu, quem sæpe ex fronte cognoscimus, ad out à ferendo dicta putetur, quasi animi præseferens indicia. De ea Plinius lib. 11 c. 37. *Facies homini tantum, cæteris os, aut rostra: frons & alijs, sed homini tantum tristitiæ, hilaritatis, clementiæ, seueritatis index. In ascensu eius supercilia homini, & pariter, & alternè mobilia, & in ijs ipsis pars animi, negamus, annuimus: hæc maximè indicant fastum: superbia, alibi conceptaculum, sed hic sedem habet: in corde nascitur, huc subit, hic pendet.* Hinc illæ loquendi formulæ, de fronte exporrecta, explicita, vel serena, signante animum hilarem, beneuolum, & ad gratificandum paratum. Contra frons, trux, corrugata, contracta, nubila, caperata, animum designat mœstum, vel auersum, à quo nihil sis impetraturus. Affectus ergo per frontem manifestantur, etiam si ibi non resideant. Inde Quintilianus lib. 9. cap. 2. *Perfrica frontem, & dic te meliorem.* Et ita dictum hic per metonymiam subiecti pro adiuncto, perijsse frontem, idest pudorem, seu ruborem in fronte residentem, de rebus, hoc est de moribus. Quod etiam dixit Hieremias 3. *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Quur autem pudore affecti erubescant, ratio esse potest, quia pudefacti sanguis è corde in omnes corporis partes, maximèque in os diffundatur, quasi velamen regens eius, de quo erubescit, facti turpitudinem: quod contra accidit in pallentibus. Hinc Horat. lib. 2 epist. 1.

*Rectè necne crocum, floresq; perambulet Attæ*
*Fabula, si dubitem, clament, perijsse pudorem*

*Cuncti*

*Cuncti penè Patres ea, quũ reprehẽdere conor,*
*Quæ grauis Æsopus, quę doctus Roscius egit.*

Sic Martial. lib. 11. epigr. 7.

*Vel duo frusta rogat cybij, tenuemue lacertũ,*
*Nec dignam toto se botryone putat.*
*Cui portat gaudens ancilla, paropside rubra*
*Alecem, sed quam protinus illa voret,*
*Aut quum perfricuit frontem, posuitq; pudorẽ*
*Succida palliolo, vellera quinque petit.*

Sic & S. Nilus Abbas l. de scetico: [ Nulla ars sine tempore discitur, & sine præceptore: ars artium sola sine magistro percipitur? Agriculturam non profitebitur illius ignarus. Medicæ facultatis imperitus, opus medicum non attinget. Deprehendetur enim hic non solum nullam ægrotantibus opem ferre, verum etiam grauiorem ipsis morbum efficere: ille vero agrum incultum, ac sterilem reddere. Solam religionis disciplinam, vt rerum omnium facillimam (quum sit omnium longè difficillima, audent indocti profiteri. Et quod Paulus ait, nondum se comprehendisse, isti se planè cognitum, atque perspectum habere confirmant, qui ne id quidem sciunt, se nihil scire: ideo ipsorum viuendi ratio contemnitur, & ipsi ab omnibus irridentur.] itaque perijsse frontem de rebus, est, non esse pudorẽ in moribus, & rebus humanis, quando ea petuntur ministeria, quibus exercendis, petentes, sint omnino impares.

*TIBI recto uiuere talo ars dedit, & ueri speciem dignoscere calles ne qua subærato mendosum tinniat auro.* Ordo est: Ars dedit tibi viuere talo recto, & calles dignoscere speciem veri, ne

ne qua tinniat mendosum auro subærato. Supra ad versum 74. dicebamus talos eosdem esse, ac taxillos, seu tesseras lusorias: sed nunc non ita sumitur, sed vt est os in articulo pedis animalium bisulcorum, iuxta Plinium dicentem lib. 11. cap. 46. *Talos asinus Indicus, vnus solipedum habet: nam sues ex vtroque genere existimantur, ideo fœdi earum. Hominem qui existimarunt habere, facilè conuicti. Lynx tantum digitos habentium, simile quiddam talo habet: Leo etiamnum tortuosius. Talus autem rectus est in articulo pedis, ventre eminens concaua in vertebra ligatus.* Sed abusiuè saltem homini tribuitur passim à scriptoribus: hinc Horat. 1. serm. sat. 2.

*Ad talos stola demissa, & circumdata palla*
*Plurima.*

Et Celsus lib 8. cap. 1. *Alterum os ab exteriore parte supra positum est, quod ipsum quoque Sura rectè nominatur, id breuius, supraq; tenuius, ad ipsos talos intumescit; alterum à priore parte positum, cui Tibiæ nomen est, longius & in superiore parte plenius, solum cum femoris inferiore capite committitur, sicut cum humero cubitus. Atq; ea quoq; ossa infra, supraq; coniuncta media, vt in brachio dehiscunt. Excipitur autē crus infra ossa ex trāsuerso talorū, idq; ipsum super os calcis situ est, quod quadā parte sinuatur, quadam excessus habet, & procedētia ex talo recipit, & in sinū eius inseritur.* Eodemq; lib. 8. cap. 22. inquit: *Talus in omnes p rtes probabitur: vbi in interiorem partem excidit, ima pars pedis in exteriorem partem conuertitur; vbi huic contrarius talus, contrarium etiam signum extat. Si in*

*prio-*

*priorem partem erũpit à posteriore latus neruus durus, & insanus est, minusque is opus est: si in posteriorem, calx penè conditur, plaga maior fit. Reponitur autem is quoque per manus, prius in diuersa crure, & pede diductis. Et in hoc quoq; casu diutius in lectulo perseuerandum, ne is talus, qui totum corpus sustinet, parum confirmatis neruis, ferendo oneri cedat, rursusque prorumpat. Calceamentis quoque humilioribus primo tempore vtendum, ne iunctura talum ipsum lædat.* Aliquando ponitur senecdochicè pro toto pede, vel tota re, quę tales habere dicitur. Sic Horat. lib. 2. epist. 1.

*Gestit enim nummum in loculos demittere, posthoc*
*Securus, cadat, an recto stet fabula talo.*

Pes autem metaphoricè ponitur pro affectibus quibus, vt corpus pedibus, animus mouetur. Vnde quod hic dicitur: Viuere recto talo, est, viuere sedatis passionibus, & affectibus rectificatis, quod iuxta stoicos, dat philosophia.

*ARS dedit.* Ars, idest Ethica, siue philosophia moralis. Ars inquam non mechanica, quę in opere consummatur externo, sed quæ in ipso sistat operante. Nec tamen est merè speculatiua, vt Arithmetica, vel Geometria, sed ordinata ad opus, quum sit recta ratio faciendorum, dirigens nempe mores, & actiones humanas ad finem vltimum: vnde sapientia dicta fuit animi georgica, translatione ducta ab agrorum cultura: vt enim per istam agri steriles, vel noxiarum plantarum feraces, vtilium, suauiumque fructuum fertiles

red-

redduntur, sic illa animum vitijs scatentem, virtutum vberrimis fructibus efficit redundantem. Et propterea licet philosophia naturalis nusquam ars dicta reperiatur, vt nec metaphysica, ethica tamen rectè ars dici potuit, quia illæ in sterili tantum rerum speculatione, ista in morum, non tantum cognitione, sed etiam ordinatione, & emendatione, consistunt.

*ET ueri speciem dignoscere calles.* Alicubi legimus: Veri specimen. Sed communis lectio retinenda, vt consona sensui. Veri namque species est, quæ veri habet apparentiam, quãuis non essentiam, nec naturam, vt aurichalcum auri præsefert similitudinem, quum aurum reuera non sit. Callere autem, vt diximus ad satyræ 4. versu 5. est vsu, atque experientia, rem perfectè nouisse. Itaque ironicè hic suscipit, posse vtique Damam dici liberum, siquidem per moralem philosophiam, perfectè nouisset verum à falso, virtutemque à vitijs, discernere.

*NE qua subærato.* Mauult Casaubonus ex Prisciano, vt ait, legere cum distinctione, sub ærato, quia inquit, coniunctio Græcorum erat, non Latinorum. At Casaubonus frequẽs est in textus mutatione, viderint alij vtrum in melius. Certè apud Græcos erat frequens coniunctio etiam plurium verborum, quam Latini noluerunt, vel non potuerunt imitari. Nihilominus, & ipsi Latini suis verbis, & nominibus particulas quasdam, siue ad vim, & efficaciam, siue ad elegantiam, siue ob aliud motiuum, addiderunt, vt passim inuenitur in

Ono-

Onomaſticis,& Grammaticis,& inter iſtas eſt particula ſub, vnde nedum ſubæratum, ſed ſuburbia, ſuburra, ſuburbanum, & verba ſubtraho, ſubueho, ſubuenio, & alia, vt non dubitemus legere coniunctim ſuberato. Aurum autem ſubæratum eſt, quod exteriori quidem apparentia, auri ſpeciem præſefert, at remota illa tenui exteriori apparentia, in natura, & ſubſtantia non eſt niſi æs. Et ſub hac metaphora de illis loquitur, de quibus Matth. 7. *veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces*: nempe verbis, ſine operibus, quæ quum ſonent innocentiam, & ſanctitatem, fraudē nihilominus contegūt, vitia, & malignitatem, qualia ſunt propria ſycophantarum, ſiue hyppocritarum, tam verba, quam facta, procedentium in veſtitu ouium, lupinamque rabiem abſcondentium. Ironicè ergo ait Damam poſſe talia cognoſcere, & ideo eſſe liberum.

*MENDOSVM* à menda, quæ eſt, minus, inſerta D, vt propriè ſit quum aliquid deeſt, & inde eſt etiam mendicus, cui deeſt panis, vel veſtis, vt mendæ veritas. Extenditur mendoſi nomen ad omne perfectione ſui generis carēs, vel ſcatens erroribus, & ſpecialiter tribuitur libris, ſeu codicibus, qui tunc dicuntur mendoſi, quum prototypo non reſpondent, eo quod minus, vel magis habeant, vel mutata verba, ſyllabas, vel elementa Sic Cicero ad Q. fratrem lib 3. epiſt. 5. *De Latinis, quo me vertam neſcio, ita mendoſi & ſcribuntur, & veneūt.* Nec tantum de libris etiam de qualibet re, quocumque vitio deturpata, dicimus eam eſſe men-

mendosam. Sic Ouid.2.Amorum eleg.4.

*Non ego mendosos ausim defendere mores.*

Et hoc modo nunc mendosum positum pro vitioso, vt satyra 3.vers.21.

*Sonat vitium percussa maligne, respondet viridi non cocta fidelia limo.*

*TINNIAT*. Tinnire factum à soni imitatione, proprium est metallorum, quæ percussa eum reddunt sonum, qui tinnitus dicitur, & quandoque extra sonum exteriorem, intra aures audiri videtur. Sic Virg.4.Georg.v 64.

*Tinnitusque cie, & matris quate cymbala circum.*

Et Plinius lib.11.cap.20.*Gaudent plausu, atq; tinnitu æris, eoque conuocantur.* Et idem lib.25. cap.1. *Absentes tinnitu aurium, præsentire sermones de se, receptum est*. Indeque tintinnabuli nomen, quo vsus Plautus Pseudolo Actu 1. scena 3.

*Lanios inde arcessam duos cum tintinnabulis,*
*Eadem duo greges virgarum, inde vlmearum adegero,* (*Ioui.*
*Vt hodie ad litationam huic suppetat satias*

Et idem Truculento Actu 4.scena 3.

*edico prius*
*Ne duplices habeatis linguas, ne ego bilingues vos necem,*
*Nisi ad tintinnaculos voltis vos educi viros.*

Vnde proprijssimè hic dictum est tinnire mẽdosum auro subærato, quia pulsatum, ipso tinnitu, siue sono edito, indicat monetæ, vel vasis falsitatem. Id tamen metaphoricè accipiendum de homine, qui manifestatur non sono, & verbis, sed operibus, & maximà patientia

tientia in aduersis. Hinc Sapientiæ 2 legimus. *Videamus si sermones illius veri sint. Contumelia & tormento interrogemus eum, vt sciamus reuerentiam eius, & probemus patientiam illius.*

*QVÆQ; sequenda forent, et quę uitanda uicissim, illa prius creta, mox hęc carbone notasti.* Sequendorum, & vitandorum nomine, illa intelligit, in quibus beatitudo consistit, aut sũma miseria, idest vltimi finis adeptio, vel ab eo elõgatio. Quæ sequenda, & fugienda, apud Stoicos erant tantum sapientia, & virtutes, vel stultitia, & vitia. Nam apud istos diuitiæ robur, sanitas, libertas non numerabantur in bonis: nec mendicitas exilium, aut ęgritudo in malis: ideoque nec ista summam miseriam, nec illa beatitudinem afferre putabantur, vnde neutra sequenda erant, aut fugienda. Sed tantum apud ipsos, si optio daretur, sapiens, in eligendo, diuitias præferet paupertati, sanitatem ęgritudini, & vinculis libertatem, vt tradit Cicero 4. de Fin. dicens: [ Omnium eorum commodorum, quibus non illi plus tribuunt, qui illa bona esse dicunt, quam Zeno, qui negat, longè præstantissimum esse, quod honestum esset, atque laudabile. Sed si duo honesta proposita sint, alterum cum valetudine, alterum cum morbo, non esse dubium ad vtrum eorum natura nos ipsa deductura sit. Sed tamen tanta vis honestatis esse, tantumque eam rebus omnibus præstare, & excellere, vt nullis nec supplicijs, nec præmijs dimoueri possit ex eo, quod rectum esse decreuerit, omniaque, quę dura, difficilia, aduersa, vi-

videantur, ea virtutibus ijs, quibus à natura essemus ornati, obteri posse. Et infra: Stoici primum valetudinem bonam expetendam negant esse, eligendam dicunt, non quia sit bonum valere, sed quia sit non nihilo existimandum, neq; tamen pluris, quam illis videatur, qui illud non dubitant bonum dicere. Hoc vero te ferre non potuisse, quod antiqui illi quasi barbati, (vt nos de nostris solemus dicere) crediderint eius, qui honestè viueret, si idem etiam benè valeret, benè audiret, copiosus esset, optabiliorem fore vitam, melioremq; & magis expetendam, quam illius, qui æquè vir bonus, multis modis esset, vt Ennij Alcmæo. Circumuentus morbo exilio, atque inopia.] Quod autem ait: *Illa prius creta, mox hæc carbone notasti*; est idem cum eo, quod dixit Horatius 2. serm. sat 3.

*Quorsũ abeant sani? creta an carbone notãdi?* antiqui namque dies, resque felices creta, vel albis notabant lapillis, infelices contra carbone, vel atris Vide sat 2. versu 1.

*ET modicus voti, presso Lare, dulcis amicis, iam nunc adstringas, iam nunc granaria laxes*. Modicum est, quod modum in minus excedit, seu ad modum, mensuramque non venit: modus autem est adiacens rei determinatio: hinc modicum pro paruo ponitur. Sic Horat l. 2. epist. 2.

*Vtar, & ex modico, quantum res poscet aceruo*
*Tollam, nec metuam quid de me iudicet hæres.*

Sic Columel. l 6. c. 1. *Tam vitium est bubulci pinguem, quam exilem bouem reddere: humilis enim, & modica corporatura pecoris operarij*

*debet*

*debet esse, neruisque & musculis robusta, non adipibus obesa, vt nec sui tergoris mole, nec laboris operis degrauetur.* Hinc modicus voti erit, qui sua sorte contentus, non cupit vana, nec quę suam superant conditionem. Sic Horat. lib. 1. epist. 10.

*Lætus sorte tua, uiues sapienter Aristi.*

Et idem Horat. eodem lib. 1. epist. 18.

*Sit mihi, quod nunc est, etiam minus: ut mihi uiuam,*
*Quod superest æui, si quid superesse uolunt Di.*

Et Iuuen sat. 14. v. 311.

*Sensit Alexander testa, quum uidit in illa*
*Magnum habitatorem, quanto fęlicior hic, qui*
*Nil cuperet, quam qui totum sibi posceret orbem.*

*VOTVM* est promissio facta Deo. Sic Cicero 2. de Legibus: *Diligentia uotorum satis in lege dicta est, ac uoti sponsio, qua obligamur Deo: pæna uero uiolatæ religionis, iustam recusationem non habet* Lex autem ibidem talis est: *Impius ne audeto placare donis iram Deorum: caute uota reddunto: pæna uiolati iuris esto.* Et Virg. 8 Æneid. versu 556.

*Vota metu duplicant matres, propiusq; periclo*
*It timor, & maior Martis apparet imago.*

Sed quia quæ á Dijs nuncupatis petimus votis, ardenter videmur concupiscere, vota pro desiderio, & per metonymiam actus pro obiecto, pro ipsa re desiderata ponuntur, inseque dicimus aliquem voti compotem esse factum, quum rem est desideratam adeptus. Sic Plin. lib 3. epist. 1. ait: *Hanc ego uitam uoto, & cogitatione præsumo, ingressurus auidissimè, ut primum*

*mum ratio ętatis receptui canere permiserit*. Et ita nunc sumi debet, vt modicus voti, sit temperans, & moderatus in desiderijs, ne cupiat nisi, quę sui statui sunt conuenientia.

*PRESSO* à verbo premo, quod est calco, seu calce deprimo, vel pondere rei alicui innitor, vt illam in angustias, & breuius redigam spatium. Sic Virg. Eclog. 1. vers. 81.

*Sunt nobis mitia poma*
*Castaneę molles, & pressi copia lactis.*

Et 3. Georg. versu 308.

*Densior hinc soboles, hinc largi copia lactis,*
*Quo magis exhausto spumauerit ubere mulctra*
*Lęta magis pressis manabunt flumina mamis.*

Sic Plinius lib. 18. cap. 31. *Pressura una culeos uiginti implere debet, hic est pes iustus. Ad totidem culeos, & locus uiginti iugeribus unum sufficit torculum. Premunt aliqui singulis, utilius binis, licet magna sit uastitas singulis: Longitudo in his refert, non crassitudo, spatiosa melius premunt.* Et Columell. lib. 12. cap. 36. *Mustum tortiuum est, quod post primam pressuram uinaceorum, circumciso pede exprimitur.* Hic autem presso Lare positum est per metonymiam causæ, pro angusto, nam quod premitur, in angustias contrahitur, & locum breuiorem.

*LAR* Deus familiaris, & domesticus, domi ab habitatoribus cultus, vt supra ad vers. 31. Sumitur & pro domorum habitatoribus, vnde Martialis lib. 1. epigr. 43.

*O mihi curarum pretium non uile mearum*
*Flacce, Antenorei spes, & alumne Laris,*

hoc est familię Antenoreæ. Sed sępius ponitur

pro

pro domo, & habitatione. Hinc Sallustius in Catilinario: *Quis mortalium, cui virile ingenium est, tolerare potest, illis diuitias superare, quas profundant in extruendo mari, & montibus coæquandis, nobis rem familiarem etiam ad necessaria deesse? illos binas, aut amplius domos continuare, nobis larem familiarem nusquā esse?* Et hoc modo nunc intelligitur, vt presso lare, sit domo, & habitatione angusta.

*DVLCIS amicis* periphrasis est eius, quem Græci eutrapelon, Latini, vrbanum, seu affabilem nominant. De quo Cicero 1. de Finib. *Nec vero, vt noster Lucilius, recusabo quominus omnes mea legant; vtinam ille Persius, Scipio vero, & Rutilius multo etiam magis, quorum ille iudicium reformidans, Tarentinis ait, se, & Consentinis & Siculis scribere. Facetè is quidē, sicut alias, sed nec tam docti tunc erant, ad quorum iudicium elaboraret, & tunc illius scripta leuiora, vt vrbanitas summa appareat, doctrina mediocris: Ego autem quem timeam lectorem, quum ad te, ne Græcis quidem cedentem in philosophia, audeam scribere?* Et pro domo sua ad Pontif. *Hic tu me etiam gloriari vetas, negas esse ferenda, quę soleam de me prædicare. & homo facetus, inducis etiam sermonem vrbanum, ac venustum me dicere solere, esse me Iouem, eumdemque dictitare, Mineruam esse sororem meam. Non tam insolens sum, qui Iouem esse me dicam; nec tam ineruditus, qui Mineruam Iouis sororem existimem. Sed tamen ego mihi sororem virginem ascisco, tu sororem tuam virginem esse non siuisti. Sed vide ne tu te debeas Iouem dicere, quod tu iure eamdem sororem, & vxorem appel-*

Benè miniſtrum, & prębitorem, quia ſordidum Regi: Melius etiam,quod largitionem corruptelam dixit eſſe. Fit enim deterior, qui accipit, atque ad idem ſemper expectandum paratior. Hoc ille filio: ſed præceptum putemus omnibus. Quamobrem id quidem non eſt dubium, quin illa benignitas, quę conſtat ex opera, & induſtria, honeſtior ſit, & latius pateat,& poſſit prodeſſe pluribus.] Nonnumquam tamen eſt largiendum,nec hoc benignitatis genus omnino repudiandum eſt, & ſæpe idoneis hominibus indigentibus, de re familiari impertiendum, ſed diligenter,atque moderatè. Multi enim patrimonia effuderunt inconſultè largiendo. Quid autem eſt ſtultius, quam, quod libenter facias, curare,vt diutius facere non poſſis? Atque etiam ſequuntur largitionem rapinæ. Quum enim dando egere cœpiſſent, alienis bonis manus afferre coguntur: ita quum beneuolentiæ comparandæ cauſa, benefici eſſe velint, non tanta ſtudia aſſequuntur eorum,quibus ademerunt.Quamobrem nec ita claudenda eſt res familiaris, vt eam benignitas aperire non poſſit, nec ita reſeranda, vt pateat omnibus: modus adhibeatur,iſque referatur ad facultates. Omnino meminiſſe debemus id, quod à noſtris hominibus ſępiſſimè vſurpatum, iam in prouerbij conſuetudinem venit: Largitionem fundum non habere, &c.

*INQVE luto fixum poſſis tranſcēdere nummum, Nec gluto ſorbere ſaliuam Mercurialem.* In primis eſt hic figura Tmeſis, ſeu Diacope, nempe diuiſio verbi, dixit namq; Inque luto fixum,

fixum, pro, & infixum luto. Fixus autem est à verbo figo, quod vt diximus ad satyrę 3. versum 28. Significat immittere, abdere & penetrando firmare: vnde nummus infixus luto, est in luto abditus, ibique ligatus. Quibus verbis innuitur puerilis quædam ludi species, qua pueri vti solent, dũ nummũ tenui alligatum filo, in luto subabscondentes, obseruant si transeuntium quispiam ad eum colligēdum se demittat; & quum id acciderit, ipsi filum ad se trahentes, & cum eo nummum ipsum, auidum collectorem bifariam illusum, ludibrio habent, & rident.

*TRANSCENDERE* à trans, & scando, est scandendo, seu saltando ad vlteriorem partem venire, vltra gradire, transilire, & superare. Sic Lucanus lib. 4. versu 174.

*Mox, vt stimulis maioribus ardens*
*Rupit amor leges, audet transcendere vallum*
*Miles, in amplexus effusas tendere palmas.*

Et Cicero oratione 4. in Catilinam: *Quantum facinus ad nos delatum sit videtis. Huic si paucos putatis affines esse, vehementer erratis: latius opinione disseminatum est hoc malum, manauit non solum per Italiam, verum etiam transcendit Alpes, & obscurè serpens, multas iam Prouincias occupauit*. Eamdem expressit sententiam Horatius dicens lib. 1. epist. 16.

*Qui melior seruo, qui liberior sit auarus*
*In triuijs fixum, quum se demittit ob assem*
*Non uideo? nam qui cupiet, metuet quoq; porro*
*Qui metuens uiuit, liber mihi nõ erit umquã,*
*Perdidit arma, locum uirtutis deseruit, qui*
*Semper in augenda festinat, & obruitur re.*

affectu, quem sæpe ex fronte cognoscimus, ad out à ferendo dicta putetur, quasi animi præseferens indicia. De ea Plinius lib. 11 c. 37. *Facies homini tantum, cæteris os, aut rostra: frons & alijs, sed homini tantum tristitiæ, hilaritatis, clementiæ, seueritatis index. In ascensu eius supercilia homini, & pariter, & alternè mobilia, & in ijs ipsis pars animi, negamus, annuimus: hæc maximè indicant fastum: superbia, alibi conceptaculum, sed hic sedem habet: in corde nascitur, huc subit, hic pendet.* Hinc illæ loquendi formulæ, de fronte exporrecta, explicita, vel serena, signante animum hilarem, beneuolum, & ad gratificandum paratum. Contra frons, trux, corrugata, contracta, nubila, caperata, animum designat mœstum, vel auersum, à quo nihil sis impetraturus. Affectus ergo per frontem manifestantur, etiam si ibi non resideant. Inde Quintilianus lib. 9. cap. 2. *Perfrica frontem, & dic te meliorem.* Et ita dictum hic per metonymiam subiecti pro adiuncto, perijsse frontem, idest pudorem, seu ruborem in fronte residentem, de rebus, hoc est de moribus. Quod etiam dixit Hieremias 3. *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Quur autem pudore affecti erubescant, ratio esse potest, quia pudefacti sanguis è corde in omnes corporis partes, maximèque in os diffundatur, quasi velamen tegens eius, de quo erubescit, facti turpitudinem: quod contra accidit in pallentibus. Hinc Horat. lib. 2 epist. 1.

*Rectè necne crocum, floresq; perambules Atta*
*Fabula, si dubitem, clament, perijsse pudorem*

Cuncti

*Cuncti penè Patres ea, quũ reprehẽdere conor,*
*Quæ grauis Æsopus, quę doctus Roscius egit.*

Sic Martial. lib. 11. epigr. 7.

*Vel duo frusta rogat cyby, tenuemue lacertũ,*
*Nec dignam toto se botryone putat.*
*Cui portat gaudens ancilla, paropside rubra*
*Alecem sed quam protinus illa voret,*
*Aut quum perfricuit frontem, posuitq pudorẽ*
*Succida palliolo, vellera quinque petit.*

Sic & S. Nilus abbas l. de ascetico: [ Nulla ars sine tempore discitur, & sine præceptore: ars artium sola sine magistro percipitur? Agriculturam non profitebitur illius ignarus. Medicæ facultatis imperitus, opus medicum non attinget. Deprehendetur enim hic non solum nullam ægrotantibus opem ferre, verum etiam grauiorem ipsis morbum efficere: ille vero agrum incultum, ac sterilem reddere. Solam religionis disciplinam, vt rerum omnium facillimam (quum sit omnium longè difficillima, audent indocti profiteri. Et quod Paulus ait, nondum se comprehendisse, isti se planè cognitum, atque perspectum habere confirmant, qui ne id quidem sciunt, se nihil scire: ideo ipsorum viuendi ratio contemnitur, & ipsi ab omnibus irridentur. ] itaque perijsse frontem de rebus, est, non esse pudorẽ in moribus, & rebus humanis, quando ea petuntur ministeria, quibus exercendis, petentes, sint omnino impares.

*TIBI recto uiuere talo ars dedit, & ueri speciem dignoscere calles ne qua subærato mendosũ tinniat auro.* O do est: Ars dedit tibi viuere talo recto, & calles dignoscere speciem veri,

ne

ne qua tinniat mendoſum auro ſubærato. Supra ad verſum 74. dicebamus talos eoſdem eſſe, ac taxillos, ſeu teſſeras luſorias: ſed nunc non ita ſumitur, ſed vt eſt os in articulo pedis animalium biſulcorum, iuxta Plinium dicentem lib. 11. cap. 46. *Talos aſinus Indicus, vnus ſolipedum habet: nam ſues ex vtroque genere exiſtimantur, ideo fœdi earum. Hominem qui exiſtimarunt habere, facilè conuicti. Lynx tantum digitos habentium, ſimile quiddam talo habet: Leo etiamnum tortuoſius. Talus autem rectus eſt in articulo pedis, ventre eminens concaua in vertebra ligatus*. Sed abuſiuè ſalcem homini tribuitur paſſim à ſcriptoribus: hinc Horat. 1. ſerm. ſat. 2.

*Ad talos ſtola demiſſa, & circumdata palla*
*Plurima.*

Et Celſus lib 8. cap. 1. *Alterum os ab exteriore parte ſupra poſitum eſt, quod ipſum quoque Sura rectè nominatur, id breuius, ſupraq; tenuius, ad ipſos talos intumeſcit; alterum à priore parte poſitum, cui Tibiæ nomen eſt, longius & in ſuperiore parte plenius, ſolum cum femoris inferiore capite committitur, ſicut cum humero cubitus. Atq; ea quoq; oſſa infra, ſupraq; coniuncta media, vt in brachio dehiſcunt. Excipitur autē crus infra oſſa ex trāſuerſo talorū, idq; ipſum ſuper os calcis ſitū eſt, quod quadā parte ſinuatur, quadam exceſſus habet, & procedētia ex talo recipit, & in ſinū eius inſeritur*. Eodemq; lib. 8. cap. 22. inquit: *Talus in omnes p rtes probabitur: vbi in interiorem partem excidit, ima pars pedis in exteriorem partem conuertitur; vbi huic contrarius talus, contrarium etiam ſignum extat. Si in*

*priorem partem erũpit à posteriore latus neruus durus, & insanus est, minusque is opus est: si in posteriorem, calx penè conditur, plaga maior fit. Reponitur autem is quoque per manus, prius in diuersa crure, & pede diductis. Et in hoc quoq; casu diutius in lectulo perseuerandum, ne is talus, qui totum corpus sustinet, parum confirmatis neruis, ferendo oneri cedat, rursusque prorumpat. Calceamentis quoque humilioribus primo tempore vtendum, ne iunctura talum ipsum lædat.* Aliquando ponitur senecdochicè pro toto pede, vel tota re, quę tales habere dicitur. Sic Horat. lib. 2. epist. 1.

*Gestit enim nummum in loculos demittere, posthoc*
*Securus, cadat, an recto stet fabula talo.*

Pes autem metaphoricè ponitur pro affectibus quibus, vt corpus pedibus, animus mouetur. Vnde quod hic dicitur: Viuere recto talo, est, viuere sedatis passionibus, & affectibus rectificatis, quod iuxta stoicos, dat philosophia.

*ARS dedit.* Ars, ideſt Ethica, siue philosophia moralis. Ars inquam non mechanica, quę in opere consummatur externo, sed quæ in ipso sistat operante. Nec tamen est merè speculatiua, vt Arithmetica, vel Geometria, sed ordinata ad opus, quum sit recta ratio faciendorum, dirigens nempe mores, & actiones humanas ad finem vltimum: vnde sapientia dicta fuit animi georgica, translatione ducta ab agrorum cultura: vt enim per istam agri steriles, vel noxiarum plantarum feraces, vtilium, suauiumque fructuum fertiles red-

redduntur, sic illa animum vitijs scatentem, virtutum vberrimis fructibus efficit redundantem. Et propterea licet philosophia naturalis nusquam ars dicta reperiatur, vt nec metaphysica, ethica tamen rectè ars dici potuit, quia illæ in sterili tantum rerum speculatione, ista in morum, non tantum cognitione, sed etiam ordinatione, & emendatione, consistunt.

*ET ueri speciem dignoscere calles.* Alicubi legimus: Veri specimen. Sed communis lectio retinenda, vt consona sensui. Veri namque species est, quæ veri habet apparentiam, quãuis non essentiam, nec naturam, vt aurichalcum auri præsefert similitudinem, quum aurum reuera non sit. Callere autem, vt diximus ad satyræ 4. versu 5: est vsu, atque experientia, rem perfectè nouisse. Itaque ironicè hic asserit, posse etique Damam dici liberum, siquidem per moralem philosophiam, perfectè nouisset verum à falso, virtutemque à vitijs, discernere.

*NE qua subærato.* Mauult Casaubonus ex Prisciano, vt ait, legere cum distinctione, sub ærato, quia inquit, coniunctio Græcorum erat, non Latinorum. At Casaubonus frequẽs est in textus mutatione, viderint alij vtrum in melius. Certè apud Græcos erat frequens coniunctio etiam plurium verborum, quam Latini noluerunt, vel non potuerunt imitari. Nihilominus, & ipsi Latini suis verbis, & nominibus particulas quasdam, siue ad vim, & efficaciam, siue ad elegantiam, siue ob aliud motiuum, addiderunt, vt passim inuenitur in

Ono-

Onomaſticis,& Grammaticis,& inter iſtas eſt particula ſub, vnde nedum ſubæratum, ſed ſuburbia,ſuburra,ſuburbanum, & verba ſubtraho,ſubueho,ſubuenio,& alia,vt non dubitemus legere coniunctim ſubærato. Aurum autem ſubæratum eſt, quod exteriori quidem apparentia, auri ſpeciem præſefert, at remota illa tenui exteriori apparentia, in natura, & ſubſtantia non eſt niſi æs. Et ſub hac metaphora de illis loquitur,dequibus Matth. 7 *veniunt ad vos in veſtimentis ouium,intrinſecus autem ſunt lupi rapaces*: nempe verbis, ſine operibus, quæ quum ſonent innocentiam, & ſanctitatem, fraudē nihilominus contegūt, vitia, & malignitatem, qualia ſunt propria ſycophantarum, ſiue hyppocritarum, tam verba, quam facta, procedentium in veſtitu ouium,lupinamque rabiem abſcondentium. Ironicè ergo ait Damam poſſe talia cognoſcere,& ideo eſſe liberum.

*MENDOSVM* à menda,quæ eſt,minus, inſerta D, vt propriè ſit quum aliquid deeſt, & inde eſt etiam mendicus, cui deeſt panis, vel veſtis,vt mendax veritas. Extenditur mendoſi nomen ad omne perfectione ſui generis carēs, vel ſcatens erroribus, & ſpecialiter tribuitur libris, ſeu codicibus, qui tunc dicuntur mendoſi, quum prototypo non reſpondent, eo quod minus, vel magis habeant,vel mutata verba,ſyllabas,vel elementa Sic Cicero ad Q. fratrem lib 3. epiſt.5. *De Latinis, quo me vertam neſcio,ita mendoſi & ſcribuntur,& veneūt.* Nec tantum de libris etiam de quahbet re, quocumque vitio deturpata,dicimus eam eſſe

men-

mendosam. Sic Ouid. 2. Amorum eleg. 4.

*Non ego mendosos ausim defendere mores.*

Et hoc modo nunc mendosum positum pro vitioso, vt satyra 3. vers. 21.

*Sonat vitium percussa maligne, respondet viridi non cocta fidelia limo.*

*TINNIAT*. Tinnire factum à soni imitatione, proprium est metallorum, quæ percussa eum reddunt sonum, qui tinnitus dicitur, & quandoque extra sonum exteriorem, intra aures audiri videtur. Sic Virg. 4. Georg. v 64.

*Tinnitusque cie, & matris quate cymbala circum.*

Et Plinius lib. 11. cap. 20. *Gaudent plausu, atq; tinnitu æris, eoque conuocantur.* Et idem lib. 25. cap. 1. *Absentes tinnitu aurium, præsentire sermones de se, receptum est.* Indeque tintinnabuli nomen, quo vsus Plautus Pseudolo Actu 1. scena 3.

*Lanios inde arcessam duos cum tintinnabulis,*
*Eadem duo greges virgarum, inde vlmearum adegero,*
*Vt hodie ad litationem huic suppetat satias (Ioui.*

Et idem Truculento Actu 4. scena 3.

*edico prius*
*Ne duplices habeatis linguas, ne ego bilingues vos necem,*
*Nisi ad tintinnaculos voltis vos educi viros.*

Vnde proprijssimè hic dictum est tinnire mẽdosum auro suberato, quia pulsatum, ipso tinnitu, siue sono edito, indicat monetæ, vel vasis falsitatem. Id tamen metaphoricè accipiendum de homine, qui manifestatur non sono, & verbis, sed operibus, & maximà patientia

tientia

ſentia in aduerſis. Hinc Sapientiæ 2 legimus. *Videamus ſi ſermones illius veri ſint. Contumelia & tormento interrogemus eum, vt ſciamus reuerentiam eius, & probemus patientiam illius.*

*QVÆQ; ſequenda forent, et quę uitanda uiciſſim, illa prius creta, mox hęc carbone notaſti.* Sequendorum, & vitandorum nomine, illa intelligit, in quibus beatitudo conſiſtit, aut sũma miſeria, ideſt vltimi finis adeptio, vel ab eo elõgatio. Quæ ſequenda, & fugienda, apud Stoicos erant tantum ſapientia, & virtutes, vel ſtultitia, & vitia. Nam apud iſtos diuitiæ robur, ſanitas, libertas non numerabantur in bonis: nec mendicitas exilium, aut ęgritudo in malis: ideoque nec iſta ſummam miſeriam, nec illa beatitudinem afferre putabantur, vnde neutra ſequenda erant, aut fugienda. Sed tantum apud ipſos, ſi optio daretur, ſapiens, in eligendo, diuitias præferet paupertati, ſanitatem ęgritudini, & vinculis libertatem, vt tradit Cicero 4. de Fin. dicens: [ Omnium eorum commodorum, quibus non illi plus tribuunt, qui illa bona eſſe dicunt, quam Zeno, qui negat, longè præſtantiſſimum eſſe, quod honeſtum eſſet, atque laudabile. Sed ſi duo honeſta propoſita ſint, alterum cum valetudine, alterum cum morbo, non eſſe dubium ad vtrum eorum natura nos ipſa deductura ſit. Sed tamen tanta vis honeſtatis eſſe, tantumque eam rebus omnibus præſtare, & excellere, vt nullis nec ſupplicijs, nec præmijs dimoueri poſſit ex eo, quod rectum eſſe decreuerit, omniaque, quę dura, difficilia, aduerſa, vi-

videantur, ea virtutibus ijs, quibus à natura essemus ornati, obteri posse. Et infra: Stoici primum valetudinem bonam expetendam negant esse, eligendam dicunt, non quia sit bonum valere, sed quia sit non nihilo existimandum, neq; tamen pluris, quam illis videatur, qui illud non dubitant bonum dicere. Hoc vero te ferre non potuisse, quod antiqui illi quasi barbati, (vt nos de nostris solemus dicere) crediderint eius, qui honestè viueret, si idem etiam benè valeret, benè audiret, copiosus esset, optabiliorem fore vitam, melioremq; & magis expetendam, quam illius, qui æquè vir bonus, multis modis esset, vt Ennij Alcmæo. Circumuentus morbo exilio, atque inopia.] Quod autem ait: *Illa prius creta, mox hæc carbone notasti*; est idem cum eo, quod dixit Horatius 2. serm. sat 3.

*Quorsũ abeant sani? creta an carbone notãdi?* antiqui namque dies, resque felices creta, vel albis notabant lapillis, infelices contra carbone, vel atris Vide sat 2. versu 1.

*ET modicus voti, presso Lare, dulcis amicis, iam nunc adstringas, iam nunc granaria laxes.* Modicum est, quod modum in minus excedit, seu ad modum, mensuramque non venit: modus autem est adiacens rei determinatio: hinc modicum pro paruo ponitur. Sic Horat l. 2. epist. 2.

*Vtar, & ex modico, quantum res poscet aceruo*
*Tollam, nec metuam quid de me iudicet hæres.*

Sic Columel. l 6. c. 2. *Tam vitium est bubulci pinguem, quam exilem bouem reddere: humilis enim, & modica corporatura pecoris operarij debet*

debet esse, neruisque & musculis robusta, non adipibus obesa, vt nec sui tergoris mole, nec labore operis degrauetur. Hinc modicus voti erit, qui sua sorte contentus, non cupit vana, nec quę suam superant conditionem. Sic Horat. lib. 1. epist. 10.

*Lætus sorte tua, uiues sapienter Aristi.*

Et idem Horat. eodem lib. 1. epist. 18.

*Sit mihi, quod nunc est, etiam minus: ut mihi uiuam,*
*Quod superest æui, si quid superesse uolunt Di.*

Et Iuuen sat. 14. v. 311.

*Sensit Alexander testa, quum uidit in illa*
*Magnum habitatorem, quanto fęlicior hic, qui*
*Nil cuperet, quam qui totum sibi posceret orbem.*

*VOTVM* est promissio facta Deo. Sic Cicero 2. de Legibus: *Diligentia uotorum satis in lege dicta est, ac uoti sponsio, qua obligamur Deo: pœna uero uiolatæ religionis, iustam recusationem non habet* Lex autem ibidem talis est: *Impius ne audeto placare donis iram Deorum: caute uota reddunto: pœna uiolati iuris esto.* Et Virg. 8 Æneid. versu 556.

*Vota metu duplicant matres, propiusq; periclo*
*It timor, & maior Martis apparet imago.*

Sed quia quæ à Dijs nuncupatis petimus votis, ardenter videmur concupiscere, vota pro desiderio, & per metonymiam actus pro obiecto, pro ipsa re desiderata ponuntur, inde que dicimus aliquem voti compotem esse factum, quum rem est desideratam adeptus. Sic Plin. lib 3. epist. 1. ait: *Hanc ego uitam uoto, & cogitatione pręsumo, ingressurus auidissimè, ut primum*

*mum ratio ętatis receptui canere permiserit*. Et ita nunc sumi debet, vt modicus voti, sit temperans, & moderatus in desiderijs, ne cupiat nisi, quę sui statui sunt conuenientia.

*PRESSO* à verbo premo, quod est calco, seu calce deprimo, vel pondere rei alicui innitor, vt illam in angustias, & breuius redigam spatium. Sic Virg. Eclog. 1. vers. 81.

*Sunt nobis mitia poma*
*Castaneę molles, & pressi copia lactis.*

Et 3. Georg. versu 308.

*Densior hinc soboles, hinc largi copia lactis,*
*Quo magis exhausto spumauerit ubere mulctra*
*Lęta magis pressis manabunt flumina mãmis.*

Sic Plinius lib. 18. cap. 31. *Pressura una culeos uiginti implere debet, hic est pes iustus. Ad totidem culeos, & locus uiginti iugeribus unum sufficit torculum. Premunt aliqui singulis, utilius binis, licet magna sit uastitas singulis: Longitudo in his refert, non crassitudo, spatiosa melius premunt.* Et Columell. lib. 12. cap. 36. *Mustum tortiuum est, quod post primam pressuram uinaceorum, circumciso pede exprimitur.* Hic autem presso Lare positum est per metonymiam causæ, pro angusto, nam quod premitur, in angustias contrahitur, & locum breuiorem.

*LAR* Deus familiaris, & domesticus, domi ab habitatoribus cultus, vt supra ad vers. 31. Sumitur & pro domorum habitatoribus, vnde Martialis lib. 1. epigr. 43.

*O mihi curarum pretium non uile mearum*
*Flacce, Antenorei spes, & alumne Laris,*

hoc est familię Antenoreæ. Sed sępius ponitur pro

pro domo, & habitatione. Hinc Sallustius in Catilinario: *Quis mortalium, cui virile ingenium est, tolerare potest, illis diuitias superare, quas profundant in extruendo mari, & montibus coæquandis, nobis rem familiarem etiam ad necessaria deesse? illos binas, aut amplius domos continuare, nobis larem familiarem nusquã esse?* Et hoc modo nunc intelligitur, vt presso lare, sit domo, & habitatione angusta.

*DVLCIS amicis* periphrasis est eius, quem Græci eutrapelon, Latini, vrbanum, seu affabilem nominant. De quo Cicero 1. de Finib. *Nec vero, vt noster Lucilius, recusabo quominus omnes mea legant; vtinam ille Persius, Scipio vero, & Rutilius multo etiam magis, quorum ille iudicium reformidans, Tarentinis ait, se, & Consentinis & Siculis scribere. Facetè is quidẽ, sicut alias, sed nec tam docti tunc erant, ad quorum iudicium elaboraret, & tunc illius scripta leuiora, vt vrbanitas summa appareat, doctrina mediocris: Ego autem quem timeam lectorem, quum ad te, ne Græcis quidem cedentem in philosophia, audeam scribere?* Et pro domo sua ad Pontif. *Hic tu me etiam gloriari vetas, negas esse ferenda, quę soleam de me prædicare. & homo facetus, inducis etiam sermonem vrbanum, ac venustum me dicere solere, esse me Iouem, eumdemque dictitare, Mineruam esse sororem meam. Non tam insolens sum, qui Iouem esse me dicam; nec tam ineruditus, qui Mineruam Iouis sororem existimem. Sed tamen ego mihi sororem virginem ascisco, tu sororem tuam virginem esse non siuisti. Sed vide ne tu te debeas Iouem dicere, quod tu iure eamdem sororem, & vxorem appel-*

*pellare possis*. Eutrapelia ergo, siue vrbanitas, & affabilitas, seu moderatio in ludis, & iocis, est facilitas condescendendi honestis amicorum petitionibus, fugiens asperitatem truculentiamque tam oris, quam verborũ qua virtute, qui præditus fuerit, se paratum semper exhibebit in quocumque amicorum negocio. Et propterea hic dictus est, dulcis amicis.

*GRANARIA* sunt loca condendis seminum granis parata, seu in quibus frugum grana reponuntur. Sic Columella lib.2.c.21. *Pura frumenta, si in annos reconduntur, repurgari debent, nam quanto sunt expolitiora, minus à curculionibus exeduntur, sin protinus vsui destinantur, nihil attinet repoliri, satisque est in vmbra refrigerari, & ita granario inferri.* Locus autẽ granarij aliquando est in superiori ædiũ parte, aliquando vero puteus, vel specus subterranea, Syrus dicta. Sic Varro RR.l.1.c.57. *Triticum condi oportet in granaria sublimia, quæ perflentur vento ab exortu, ac Septentrionũ regione, ad quæ nulla aura humida è propinquis locis aspiret: parietes & solũ opere tectorio marmorato loricandi: si minus, ex argilla, mixto acere è frumento, & amurca, quod murem, & vermem non patitur esse, & grana facit solidiora, & firmiora. Quidam ipsum triticum conspergunt, quum addant circiter in mille modium, quadrantal amurcæ: Item alius aliud afriat, aut aspergit, aut chalcidicam, aut caricam cretam, aut absynthium, absynthijue decoctum. Item huius generis alij quidem granaria habent sub terris vti speluncas, quas vocant Syros, vt in Cappadocia, ac Thracia; alij, vt in Hispania*

*citeriore, puteos, ut in agro Carthaginenſi, & Oſcenſi. Horum ſolum paleis ſubſternunt, & curent ne humor, aut aer tangere poſſit, niſi quum promitur ad vſum quo enim ſpiritus non peruenit, ibi non oritur curculio. Sic conditum triticum manet, vel annos quinquaginta, millium vero plus annos centum. Granaria in agro quidam ſublimia faciunt, vt in Hiſpania citeriore, & in Appulia, ita ut non ſolum à lateribus per feneſtras, ſed etiam ſubtus à ſolo ventus regirare poſſit.* Et præter iſta granaria, erant eidem vſui deputatæ Cumeræ, ideſt vaſa viminea, quorum meminit Horat dicens 1.ſer.ſat.1.

*Dum ex parte nobis tantumdem haurire relinquas, (ſtris?*
*Quur tua plus laudes cumeris granaria no-*

At hic per ſenecdochen ſpeciei pro genere, granariorum nomine intelliguntur conditoria rerum quarumcumque ad humanæ vitæ vſum neceſſariarũ, tã eſculentorũ, & poculentorũ, quã veſtimentorũ, & aliarũ. Cuiuſmodi cõditoria laxanda, & reſeranda ſunt, ad ſubleuãdam amicorum, ſeu proximorum inopiam: qua ceſſante, quum eos integros cognouerimus, contra virtutem foret, ſi illis dare pergeremus, ideoque tunc granaria ſunt adſtringẽda. Hinc Cicero lib.2. officiorum: [Præclarè in epiſtola quadam Alexandrum filium Philippus accuſat, quod largitione beneuolentiã Macedonum conſectetur. Quæ te, malum, inquit, ratio, in iſtam ſpem induxit, vt eos tibi fideles putares fore, quos pecunia corrupiſſes? An tu id agis, vt Macedones non te Regẽ ſuum, ſed miniſtrum, & præbitorem putent?

P 2 Benè

Benè ministrum, & præbitorem, quia sordidum Regi: Melius etiam, quod largitionem corruptelam dixit esse. Fit enim deterior, qui accipit, atque ad idem semper expectandum paratior. Hoc ille filio: sed præceptum putemus omnibus. Quamobrem id quidem non est dubium, quin illa benignitas, quę constat ex opera, & industria, honestior sit, & latius pateat, & possit prodesse pluribus.] Nonnumquam tamen est largiendum, nec hoc benignitatis genus omnino repudiandum est, & sæpe idoneis hominibus indigentibus, de re familiari impertiendum, sed diligenter, atque moderatè. Multi enim patrimonia effuderunt inconsultè largiendo. Quid autem est stultius, quam, quod libenter facias, curare, vt diutius facere non possis? Atque etiam sequuntur largitionem rapinæ. Quum enim dando egere cœpissent, alienis bonis manus afferre coguntur: ita quum beneuolentiæ comparandæ causa, benefici esse velint, non tanta studia assequuntur eorum, quibus ademerunt. Quamobrem nec ita claudenda est res familiaris, vt eam benignitas aperire non possit, nec ita reseranda, vt pateat omnibus: modus adhibeatur, isque referatur ad facultates. Omnino meminisse debemus id, quod à nostris hominibus sępissimè vsurpatum, iam in prouerbij consuetudinem venit: Largitionem fundum non habere, &c.

*INQVE luto fixum possis transcēdere nummum, Nec gluto sorbere saliuam Mercurialem.* In primis est hic figura Tmesis, seu Diacope, nempe diuisio verbi, dixit namq; Inque luto fixum,

fixum, pro, & infixum luto. Fixus autem est à verbo figo, quod vt diximus ad satyrę 3. versum 28. Significat immittere, abdere & penetrando firmare: vnde nummus infixus luto, est in luto abditus, ibique ligatus. Quibus verbis innuitur puerilis quædam ludi species, qua pueri vti solent, dū nummū tenui alligatum filo, in luto subabscondentes, obseruant si transeuntium quispiam ad eum colligēdum se demittat; & quum id acciderit, ipsi filum ad se trahentes, & cum eo nummum ipsum, auidum collectorem bifariam illusum, ludibrio habent, & rident.

*TRANSCENDERE* à trans, & scando, est scandendo, seu saltando ad vlteriorem partem venire, vltra gradire, transilire, & superare. Sic Lucanus lib. 4. versu 174.

*Mox, vt stimulis maioribus ardens*
*Rupit amor leges, audet transcendere vallum*
*Miles, in amplexus effusas tendere palmas.*

Et Cicero oratione 4. in Catilinam: *Quantum facinus ad nos delatum sit videtis. Huic si paucos putatis affines esse, vehementer erratis: latius opinione disseminatum est hoc malum, manauit non solum per Italiam, verum etiam transcendit Alpes, & obscurè serpens, multas iam Prouincias occupauit.* Eamdem expressit sententiam Horatius dicens lib. 1. epist. 16.

*Qui melior seruo, qui liberior sit auarus*
*In triuijs fixum, quum se demittit ob assem*
*Non video? nam qui cupiet, metuet quoq; porro*
*Qui metuens uiuit, liber mihi nō erit umquā,*
*Perdidit arma, locum uirtutis deseruit, qui*
*Semper in augenda festinat, & obruitur re.*

GLVTTVS quandoque ſumitur pro terra locoque benè ſubacto. Sic Cato de RR. c.45. & ex eo Plinius lib.17.cap.18 *Taleas oleaginas, quas in ſcrobe ſaturus eris, tripedaneas, decidito, diligenterque tractato, ne liber laboret: quum dolabis, aut ſecabis, quas in ſeminario ſaturus eris, pedales facito, eaſque ſic inſerito: Locus bipalio ſubactus ſiet, beneque gluttus ſiet: quum taleam demittes, pede tantum opprimito, ſi parum deſcendit malleolo, aut matteola adigito, cauetoque ne librum ſcindas, quum adiges.* Sed propriè guttus eſt vas vnde vinum, aut alius liquor guttatim effunditur. Verũ Varro lib.4. LL. ait; Quũ vinũ dabant, vt minutatim funderetur, à guttis guttum appellarunt, & quo ſumebant minutatim, à ſumendo, ſimpulum nominauere, indeque gluttõ, ſiue gluttus. Sic Feſtus; Ingluuies à gula dicta, hinc & ingluuioſus, & glutto, & gulo, gumia, guttur, gutturioſus, & gurgulio. Propriè autem gluttus eſt pars colli, qua cibus in ſtomachum tranſmittitur, quæ guttur, & ab anatomicis aſpera arteria appellatur, dicta gluttus per onomatopoijam, & ſoni imitationem, quem edit liquor per anguſtum tramitem fuſus. Vnde de ruſtico ebrio dictum fuit:

*Percutit & frangit uas, uinum defluit, anſa*
*Stricta fuit, glut, glut, murmurat unda ſonãs.*

Indeque glutire, & deglutire, & glutiendum apud Auguſtinum de C.D lib.7.cap.8. dicentem: *Sed Iani bifrontis ſimulachri interpretatio proferatur: duas enim facies ante, & retro habere dicitur, quod hiatus noſter, quum os aperimus, mundo ſimilis uideatur, unde & palatum*

Græci

*Græci οὐρανὸν appellant, & nonnulli inquit, poetæ Latini Cælum uocauerunt palatum, à quo hiatu oris, & foras eßet aditus ad dentes uersus, & introrsus ad fauces. Ecce quo perductus est mũdus propter palati nostri uocabulum, uel Græcum, uel poeticum. Quid autem hoc ad animam? quid ad uitam æternam? Propter solas saliuas colatur hic Deus, quibus partim glutiendis, partim expuendis sub Cælo palati, utraque panditur ianua. Quid est porro absurdius, quam in ipso mundo non inuenisse duas ianuas ex aduerso sitas, per quas, uel admittat ad se aliquid intro, uel emittat è se foras, & de nostro ore, & gutture, quorum similitudinem mundus non habet, uelle mundi simulachrum componere cum Iano propter solum palatum, cuius similitudinem Ianus non habet.*

*SALIVAM Mercurialem.* Mercurialis est herba, de qua Plinius lib 25. cap. 5. ait: *Linozostis, siue parthenion Mercury inuentum est, ideo apud Græcos Hermupoan multi uocãt eam, apud nos omnes Mercurialem. Duo eius genera masculus, & fæmina, quę efficacior, caule cubitali, interdum ramoso in cacumine, ocymo angustioribus foliis, geniculis densis, alarum cauis multis, semine in geniculis dependente, fæminæ copioso, mari iuxta genicula stãte rariori, ac breui, contortoque, fæminæ soluto, ac candido: folia maribus nigriora; fæminis candidiora, radix superuacua, prætenuis; nascuntur in campestribus cultis.* At hic Mercurialis nomine, lucri auiditas, non vero herba intelligitur. Mercurius enim est Mercatorum Deus præsidens lucris ex mercimonio venientibus, vnde nomen ac-

cepit. Metaphora ducta à gulosis, qui ad conspectum ciborum palato suauium, etiã si gustare de illis non detur, saliuam saltem, illorũ vice glutiunt. Sic auari, viso lucro, vel nummo, Mercurialem glutiunt, seu sorbẽt saliuam concupiscendo, illa vt sua, possidere. Et ita bifariam sordidus notatur auarus, primum eo quod pueris illudendum se præbuit, inclinans se ad colligendum nummum luto defixum: secundo, quia ad memoriam, visionem, aut relationem lucri alterius, saliuam glutiret Mercurialem, designantem illius desiderium.

*HÆC mea sunt, Teneo: quum verè dixeris, esto liberque, ac sapiens, Prætoribus, ac Ioue dextro.* Ordo est, Quum verè dixeris: Hæc mea sunt: Teneo, esto liber & sapiens, dextro Ioue & Pretoribus, Quasi diceret: Quando tu Dama, poteris, secundum rei veritatem dicere, Hæ virtutes quas modo enumerasti, meæ sũt, illasque teneo, & possideo, tunc per me liceat sis nedum liber, sed etiam felix, & sapiens, fauentibus tibi Prætoribus, quibus libertatem acceptam ferebas, & annuente etiam Ioue, qui est autor sapientiæ, & veræ libertatis. Eamdem sententiam docuit Horatius dicens 2. serm sat. 7.

*Quisnam igitur liber? sapiens, sibi qui imperiosus,*
*Quem neque pauperies, neq; mors, neq; uincula terrent*
*Responsare cupidinibus, contemnere honores,*
*Fortis, & in seipso totus teres, atq; rotundus*
*Externi ne quid ualeat per leue morari,*
*In quem manca ruit semper fortuna. Potesne*
*Ex his, ut proprium quid noscere? Quinq; talenta*

Po-

*Poscit te mulier, uexat, foribusq repulsum*
*Perfundit gelida, rursus uocat; eripe turpi*
*Colla iugo, liber, liber sum, dic age. Non quis*
*Vrget enim dominus mentẽ non lenis, & acres*
*Subiectat lasso stimulos, uersatq; negantem.*

Verissima certè sententia, nam virtutibus pollens, qui inordinatarum passionum, vitiorumque iugum excussit, veram solidamque nactus est libertatem. Vnde legimus Prouerb. 16. *Melior est sapiens uiro forti, et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.* Vnusquisque enim nisi seipsum, & suas deuicerit cupiditates, durissimam seruiet seruitutem.

*SIN tu quũ fueris nostræ paullo ante farinę Pelliculam ueterem retines, & fronte politus, astutam uapido seruas sub pectore uulpem, quę dederam supra, repeto, funemque reduco: Nil tibi concessit ratio, digitum exere, peccas: Et quid tam paruum est? sed nullo thure litabis, hęreat in stultis breuis, ut semuncia recti* Ordo est: Sin tu quum paulo ante fueris farinæ nostræ, retines pelliculam veterem, & politus fronte, seruas vulpem astutam sub pectore vapido, repeto, quæ dederam supra, & reduco funem, ratio nil concessit tibi, exere digitum, peccas: & quid est tam paruum? sed non litabis vllo thure, vt breuis semuncia recti hęreat in stultis. Eiusdem farinæ esse dicuntur, qui eorumdem, seu consimilium sunt morum, translatione ducta à pane, qui quum est ex eadem farina, plerumque est eiusdem coloris, saporis, & salubritatis. Frasis ista sumitur semper in malam partem, vt eiusdem farinæ esse dicantur congerrones, nepotes, & alij pessimæ stu-

frugis sodales. Et aptè farina vitijs comparatur, nam vt farina consperguntur esculenta, ita vitijs hominum vita. Quum etiam Dama dictus fuerit nostræ farinæ, modestia in causa fuit, per cinomiam, seu criminis communicationem, alioquin poeta, nedum eques Romanus, sed & philosophus Stoicus, sapientiæ addictus, Dama autem treßis agaso, vappa, & lippus erant.

*PELLICVLAM* diminutiuum à pelle, dictã, vel à φολὶς squama serpentis: vel à φελλὸς cortex arboris, quum prius significaret animalis pellem, vox trãslata est ad arboris corticem: Vel à pellendo, eo quod tegendo, externas depellat iniurias. Pellis ergo nomine cutem designat, qua caro, nerui ac venæ in animalis corpore contegũtur. Quibus verbis alludere videtur ad serpentes, qui hyemali, vel autumnali tempore, veterem deponentes, nouam induunt pellem, Dama tamen adhuc veterem retinebat. Sed pellis nomine metaphoricè, mores intelligit, quos Dama etiam manumissus, seruiles, & inquinatos seruabat, licet exterius, vt liber, alium se profiteretur. Adhuc sub iudice lis est, quinam peius de hominum genere mereantur, num qui, vt dicitur Hieremiæ 3. frontem habentes meretricis, etiam in sceleribus deprehensi, nolunt erubescere, & vt ait Sapiens Prouerb. 2. *Gloriantur, quum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.* Nã isti, innumeros quibus persuadent, non esse malum, quod tanta cum libertate committitur, in idem iniquitatum barathrũm trahũt: An qui, vt ait Apostolus 2. Timoth 3.

moth.3. habentes speciem pietatis, abnegant illius virtutem, & iuxta Matth.7. sub vestitu ouium lupinam contegunt rabiem: quales passim fuerunt heretici, qui propterea simplicioribus imponere potuerunt, innocentiam publicè, habitu, incessu, & verbis simulantes, prauitatem vero abscondentes, quam, data opportunitate, secretis saltè, & priuatis allocutionibus ingerebant illis, quos, hypocrisi, sibi affectos reddiderant, & ita salutare promittentes poculum, prꝑsentaneum exhibebāt venenum. Vt nuper Michael Molinos Romæ complures habuit sectatores, & alibi per epistolas non pauciores, hoc habens speciale, vt non statim, nec omnibus venenum exhiberet, sed eis tantum, quos vel sensibus deditos, vel simpliciores longa conuersatione didicisset: qui videntes viros probatissimos, dignitatibus, sapientiaq; fulgentes, illius vti conuersatione, credentesque peruersum illum, ac versipellem, eadem omnibus tradere, facilè irretiebantur. Is, vt demum patuit, lupus sub ouina pelle, & miluus sub specie columbæ, contemplationem quamdam introducere conabatur, quam non præcessisset carnis, ac sensuum mortificatio etiam voluntaria, contra, quam doceat Nyssenus hom. 6. in Cantica his verbis: *Myrrha est apta ad corporum sepulturam. Thus autem est quadam ratione consecratum honori Dei. Qui se vult ergo Dei dedicare cultui, non erit bonum thus ex eo consacratum, nisi prius fuerit myrrha, hoc est nisi mortificauerit membra, quę sunt super terram, consepultus cum eo, qui pro nobis mortem suscepit, & myrrhā*

*illam, quæ assumpta est ad domini sepulturam in propria carne, ad mortificanda sua membra acceperit. Quę quum facta fuerint, omne genus aromatum ex uirtute in uitæ circulo, tamquam in aliquo mortario in subtiles partes comminutorum, suauem illum efficit puluerem, quem qui accepit, simul cum eo conuersatur, plenus fama diuini spiritus.* Et idem Nyssenus homil. 12. in Cantica ait; *Non potest alia ratione fieri, ut uiuum uerbum sit in nobis, purus inquam ille, & incorporeus sponsus, qui per immortalitatem, ac sanctitatem sibi animam copulat, nisi quis necando membra sua terrena, carnis cortinam sustulerit, atque ita Verbo ostium aperuerit, per quod animam ingrediatur. Id uero manifestum est non modo ex diuinis Apostoli dogmatibus, sed etiam ex ijs, quæ hic à sponsa dicuntur: Surrexi, ait, ut aperirem cognato meo, idque efficiendo ex manibus meis myrrhę fontes, è quibus hoc aroma profluat, & declarando digitos meos integros non nisi myrrham esse. Nam his uerbis modum indicat, quo aperiatur ostium sponso. Surrexi propterea, quod sepulta cum eo fuerim per baptismum in mortem. Non enim resurrectio quidquam efficacitatis habuisset, nisi mortificatio uoluntaria præcessisset: uoluntarij autem indicium est stillicidiũ illud myrrhę fluẽtis ex ipsius manibus, & quod hoc aromate digiti eius abundare dicantur. Non enim aliunde myrrha in manum ipsius ait peruenire. Nam si res ita se haberet, existimandum esset aliunde ortum, & quidem ipsa inuita ei accidisse, quod per myrrham significatur. Nimirum manus ipsas inquit, (& manuum appellatione motus animi, qui actionum*

*esse-*

*effectores sunt,) denotant ex sese stillasse myrrham, quo significare voluit ex certo animi iudicio institutam corporearum affectionum exunctionem, quam, omnibus in digitis fuisse uberem, ait: digitorum appellatione intelligens singulas eorum species, quæ in cultu uirtutis diuerse à nobis instituuntur. Itaut horum omnium, quæ dicuntur hic, sensus quidem sit huiusmodi. Accepi uim resurrectionis ex eo, quod membra mea terrena mortua reddiderim, eamque membrorum mortificationem sponte mea instituerim, non ab alio myrrha mihi in manus data, sed defluente illa certo animi mei arbitratu, ita ut in omnibus meis uirtuti consentaneis conatibus, (quos digitos uocauit) hęc animi affectio copiose conspiciatur.* Sic etiam Gregorius Nazianzenus Oratione in laudem Cypriani Martyris ait: *Neque enim ulla re perinde, atque corporis, animiq; afflictatione conciliatur Deus, lacrimisq; misericordia uicissim rependi solet.* Et idem Nazianzenus Oratione de dogmate, & statu Episcoporum ait: *Per uitę probitatem ascende, per purgationem, eum qui purus est, adipiscere. Vis Theologus aliquando fieri, ac diuinitate dignus? mãdata serua, per Dei pręcepta incede. Actio enim contemplationis fundamentum est: ex corpore operam animæ naua.* Sic etiam idem Nazianz. in illud Euangelij Matth. 19. Quum consummaßet Iesus hos Sermones, sic ait: *Videtis in ijs aquarum fluxibus, qui plumbeis canalibus inclusi continentur, quod quoniam nimium comprimuntur, atq; conglobate uoluuntur, adeo plerumque aquæ naturam excedunt, ut quod retro protruditur, sursum semper feratur. Consimile*

*mili modo si amorem strinxeris, totaque Deo coniuncta fueris, sursum tendes, numquam humi prolaberis, nec difflues, tota Christi manebis, quousque Christum quoque sponsum tuum uideas. Inaccessam teipsam custodi, & verbo, & opere, & cogitatione, animique agitatione. Vndequaq; impurus ille spiritus te perscrutatur, atque explorat, vbi feriat, vbi vulneret, num quid detectum apertumque reperiat, plagæque obuium: quo puriorem cernit, eo enixius te commaculare atque inquinare contendit: splendidæ etenim vestis, luculentiores sunt sordes.* Tum etiam Nazianzenus oratione 4. de Theol. ait Christus *obedientiam honore afficit, eamque perpetiendis doloribus experitur: neque enim sufficiebat animi affectio, quemadmodum nec nobis, nisi manum quoque operibus admoueamus: Opus enim affectionis animi argumentum est.* Sic Nicetas in orationem Nazianzeni de Christi Natiuitate ad illa verba: *Quemadmodum in ueteri Adamo mortui sumus, ita in Christo viuamus; vnà cum eo nascentes, una Cruci affixi, vna sepulti, vna resurgentes.* Sic exponendo loquitur: [ Quemadmodum ait Paulus, peccatum vetus, non secus ac vestem quamdam cariosam, ac vetustate erosam abijcientes, nouum hominem induamus, hoc est virtutem, aut etiam ipsum Christum; & sicut iuxta eumdem Apostolum, in Adamo mortui sumus, mortali scilicet facta ipsius natura, talique ad posteros transfusa, sic in Christo quoque viuamus, per eum rursum ad immortalitatem reuocati, cum Christo vna nascentes, per baptismum regenerationis, vna Cruci affixi per laboriosam

sam vitæ degendæ rationem, vna sepulti per affectuũ extinctionem, Quemadmodum autẽ litterali sensu, crucifixio, & sepultura inter se differunt, sic etiam spirituali, & allegorico. Crucifixio enim afflictionem, & patientiam animique in grauibus acerbisque rebus perferendis fortitudinem designat, non tamen eiusmodi animi constitutionem, qua dolorem ex virtutum cultu, atque operatione nascentium sensus omnis ereptus sit: Sepultura autem perfectæ, & omnimodæ affectuum mortificationis signum est. Hanc resurrectio sequitur, idest absoluta contemplatio, ac deificatio.] Et idem Nazianz. carmine. De seipso ex translatione Iacobi Billij ait: [Virtus non Dei solum, tametsi imaginem suam eximio amore complectatur, beneficio contingit: nam tua quoque cura accedat necesse est; nec rursus solius hominis studio, atque industria comparatur, maiores enim vires requirit, quemadmodum nec oculus solum meus, quãlibet acutus, & perspicax, ea quæ in aspectum cadunt, cernit, nisi solis lumen accedat, quod simul oculos collustret, & oculis illuceat, &c.] Sic etiam in sententijs distichis comprehẽsis ait idem Nazianzenus. [In hac canicie corpus lanio, oculos premo, diurnis nocturnisq; curis ter miseram animam conficio, vt eam à flamma extraham; nec sic quidem tamen nisi admodum ægrè corpus in potestate teneo: Quanam ergo fronte tu, & ætate florens, & carnes elephanto ipso latiores excitans, postea nihili delicias facis, perinde atque egre-

gia

quadam puritate præditus, atque amasiam tuam spirituali dumtaxat amore complectẽs? O auersandum amorem, quem Christus fastidit!] Pręclarè etiam, & ad rem Petrus Damianus Opusc. 13. de Perfectione Monachorum cap. 8. Laban duas filias habuit, quarum iuniorem Iacob in coniugium concupiuit, ad cuius tamen amplexus peruenire non potuit, donec maiorem, ignarus, atque adeo inuitus accepit. Sed quia rem sciẽtibus loquor, non mihi multis elaborandum est verbis. Laban quippe dealbatio interpretatur: quis autem ad Deum conuertitur, nisi vt deposita peccatorum nigredine, per remissionis gratiã dealbetur? Sicut ipse pollicetur dicens: Si fuerint peccata vestra quasi vermiculus, tam quam nix dealbabuntur, quod felix ille peccator postulabat, quum diceret: Mundabor, lauabis me, & super niuem dealbabor. Lia interpretatur laborans: Rachel, verbum, siue visum principium. Sed si scripturam diligenter attendimus, nec vno quidem die seruisse Iacob propter Liæ desiderium reperimus, sed per totas illas annorum hebdomadas pro sola Rachel seruituti subiacuit: insuper & ipsam Liam ad illius intuitum tolerauit. Quis enim ad Deum idcirco conuertitur, vt labores, & ærumnas, ac tentationum certamina patiatur? Omnis enim Deum quærentis intentio hoc sperat, ad hoc spectat, vt ad requiem quandoque perueniat, & in summæ contemplationis gaudio, velut in pulchræ Rachel amplexibus requiescat, videlicet vt per verbum quod audit, adscendat ad videndum principium

quod

quod quæsiuit. Sed necesse est, vt hunc diuer-
sorum certaminum labor exerceat antequam
ad quietis intimæ suauitatem, quam concu-
piscit, attingat. Prius seruitute deprimitur,
vt iure postmodum ad perfectæ libertatis ti-
tulos proueharur. Septem vero annis sub
dealbationis gratia seruit, quum septem ea,
quæ ad proximi dilectionem pertinent, De-
calogi mandata custodit, videlicet vt primò,
timore constrictus, atque ideo seruitutis iugo
depressus, saltem à vetustæ legis incipiat in-
stitutis, vt nimirum parentes honoret, vt non
mœchetur, non occidat, non furetur, non falsũ
testimonium proferat, non vxorem alterius,
non rem proximi concupiscat. Quibus ritè
seruatis, non mox, vt sperabat, ad contempla-
tionis oblectamenta perducitur, vt velut ex-
pectata diu Rachel pulchritudine perfruatur,
sed Lia sibi per noctem inopinato supponitur,
quia inter humanæ huius ignorantiæ tene-
bras, tolerantia sibi laboris iniungitur. Ex
qua tamen iam numerosam sobolem suscipit,
quia vberes spiritualis lucri per hunc laborẽ
fructus acquirit. Hanc itaque tolerat, vt ad
illam quandoque perueniat, quam perseue-
ranter amat. Suadetur ergo, vt alios septem
annos seruire desudet, quia profectò necesse
est, vt adhuc alia septem præcepta conseruet,
sed iam aliquanto liberior, non Legalia tam-
quam seruus, sed Euangelica sicut gener, vi-
delicet, vt sit pauper spiritu, sit mitis, lugeat,
esuriat, sitiatque iustitiam, sit misericors, mũ-
dum cor habeat, sit postremo pacificus. Enim-
uero vellet homo, si fieri posset, nullas quidem
la-

laborum molestias, agendo, vel patiendo perferre, sed protinus in ipsis sui tyrocinij rudimentis, ad pulchræ contemplationis delicias peruenire: verumtamen hoc non in terra morientium fit, sed in terra viuentium: quod significare videtur illud, quod ad Iacob dicitur: Non est, inquit Laban, consuetudinis in loco nostro, vt minores ante tradamus ad nuptias. Nec absurdè maior appellatur, quæ prior est tempore. Prior est enim in hominis eruditione labor boni operis, quam requies contemplationis. Expletis itaque duabus hebdomadibus, altera videlicet legis antiquæ, altera Euangelicæ gratiæ, mox ad diu desideratæ Rachelis peruenitur amplexus, quia quisquis pertingere ad Diuinæ contemplationis oblectamenta desiderat, prius necesse est vtriusque Testamenti peragere mandata contẽdat, &c.] Apage ergo Molinos iste molere dignus in gehennali pistrino, qui aureum Babylonis calicem improuidis exhibens, iræ Dei fæcem (pestiferũ inquam dogma) propinabat, habẽs quidem speciem pietatis, sed eius abnegans virtutem, dum orationis promittens quietem, & contemplationem, quam vocabat actiuam, in sensualitatis cœno, veluti sus immunda volutabatur. Nos in præsenti seculo, per corporis mortificationem ad animæ puritatem, & cordis mundiciam disponi conemur, si fortè per Dei gratiam ad Dei contemplationem pertingere valeamus, quæ mundis corde promittitur. Non est huius loci hanc dirimere quæstionem, Persius tamen in eam inclinat sententiam, vt eos credat perniciosiores, qui

quum

quum sanctitatem simulent, inquinatis verbis, vel exemplis, alios ad scelera trahunt, seu qui simulantes se ab iniquitate conuersos, priora, & peiora vitia sub sanctitatis abscondũt imagine. Et per exergasiam eamdem repetit sententiam, dum ait: *Et fronte politus, astutam vapido seruas sub pectore vulpem.*

*ASTVTAM* ab astu, de qua voce sic Festus Astus apud poetas astutiam significat, cuius origo ex Græco ab oppido ἄστυ deducitur, in quo conuersati assiduè, sint cauti atque acuti esse videantur. Eius oppidi nomen fortè expressit Terentius Eunucho Actu 5. scena 6. dum ait:

*An in astu venit.*

Cicero 2. de Legib. innuit, Astu esse Athenas ait enim: *Ego mehercule, & illi, & omnibus municipibus, duas censeo esse patrias, vnam naturæ, alteram ciuitatis, ut ille Cato, quum esset Tusculi natus, in populi Romani ciuitatem susceptus est, itaque quum ortu Tusculanus esset, ciuitate Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram iuris. Vt vestri Attici, priusquam Theseus eosdem migrare ex agris, & in Astu, quod appellatur, omnes se conferre iussit, & Sunij erant ijdem, & Attici.* Sed Astus, astuti, & astutiæ nomen, in malam sumitur partem, hinc docet Seruius ad 11. Æneidos, Astum esse malitiam, nam propriè astutos malitiosos vocamus, siue callidos, dolis, & fallacijs plenos, cuiusmodi epitheton vulpi tribuitur, & hominibus vulpinos habentibus mores. Sic Horat. ad Pisones:

*si carmina condes*

Num-

*Numquã te fallant animi sub uulpe latentes.*
Sic Plautus Casina Actu 5. scena 5.
*Nec fallaciam*
*Astutiorem, ullus fecit poeta.*
Sic Lactantius lib.5.cap.18. *Qui uendentis errorem non redarguit, ut aurum paruo emat, aut qui non profitetur fugitiuum seruum, uel pestilentem se domum uendere, lucro, & commodo suo consulens, non est ille sapiens, ut Carneades uideri uolebat, sed callidus & astutus. Calliditas & astutia in mutis quoque animantibus sunt, uel quum insidiantur alijs, & dolo capiunt, ut deuorent: uel quum insidias aliorum uario genere deludunt, sapientia uero in hominem solum cadit.* Sic Cicero 3. de officijs: *Aliter leges, aliter philosophi tollunt astutias.* Timendum autem erat de Dama, qui manumissus, altiores assumpserat spiritus, quasi non esset adhuc tressis agaso, sed fortis, sapiens, iustus, &c.

*REPETO.* Repetere est retro poscere, & flagitare vt res data, restituatur ei, qui eam dederat; vt si quis vestem, gladium, vel aliud vtendum, aut alio dederat titulo, & deinde velit sibi illud restitui, repetere dicetur, siue ab eodem, siue ab hæredibus, vel socijs illius. Sic Terent. Eunuch. Actu 4. sc.6.

*Hanc tibi dono do, neque repeto pro illa abs te quidquam pretij.*

Sic auctor Rhetoricę ad Herenn. lib.2. *Id quod argentario tuleris expensum, à socio eius rectè repetere possis.* Vnde repetere dona, est nolle ea esse data, in quo sensu facilius promissa reuocantur. Sic Plautus Mostellar. Act.1. sc.3

*infecta dona facio;*

*Per-*

*Perijsti, quod iam promiseram tibi donum, perdidisti.*

Nonnumquam repetere est reuerti in locum, vnde quis fuerat digressus. Sic Liuius l.1.c.14 *Multiplici terrore perculsi Fidenates, prius pene quam Romulus quique cum eo equites erãt, circumagerent frenis equos, terga uertunt, multoque effusius (quippe uera fuga) quam simulantes paulo ante secuti fuerant, oppidum repetebãt.* Sed nunc de datorum restitutione est intelligendum: nam poeta, qui Damæ concesserat, vt foret liber, & sapiens, Prætoribus, ac Ioue dextro, sub conditione tamen, si vera fuissent, quæ dixerat de vitæ emendatione, stante conditionis falsitate, concessionem reuocat, repetitque dona libertatis, & sapientiæ concessa, volens ea non esse data.

*FVNEMQVE reduco*, seu retroduco, nam si quidpiã hinc abducatur, & iterũ huc ducatur, vel restituatur, reduci dicetur. Sic Cic. pro P. Quint. *Hominẽ P. Quintij deprehẽdis in publico, conaris abducere, non patitur Alphenus, ui tibi ademit, curat ut domum reducatur ad Quintiũ.* Sed quod ait: Funem reduco, innuit metaphoram esse ductam à bestiarijs, qui canes, vrsos, aut alias bestias, funibus alligatas, nonnumquam vagari, & lasciuire permittunt; sed quũ illę minas in obuios intentant, ne eisdem noceãt, vel alias, quum sibi libuerit, funem ad se trahendo, illas reducunt, idest cohercent. Et conuenit translatio in Damam, vt seruitutis, & vinculorum recordaretur.

*DIGITVM exere*. Exerere digitum est confiteri se victum. Varij autem erant victoriam

ce-

cedendi, & se victos confitendi signa: Vnius, pollicem subleuandi, meminit Martialis dicēs lib. 5. epigr. 62.

*Iure tuo nostris maneas licet hospes in hortis*
*Si potes in nudo ponere membra solo*
*Aut si portetur tecum tibi magna suppellex,*
*Nam mea iā digitum sustulit hospitibus.*

Vbi sustulit digitum posuit, pro, fassa est se victam, & vsu consumptam. Alterius, herbam cedendi. Plin. lib. 22. cap. 4. dicens: *Summum apud antiquos signum victoriæ erat, herbam porrigere victos, hoc est terra, & altrice ipsa humo, & humatione etiam cedere: quem morem etiam nunc durare apud Germanos scio.* Sed de varijs ritibus cedendi victoriam, sic ait Alexander ab Alexandro dierum Genialium l. 4. cap. 7. [ Confessio cedentis, & detrectātis certamen, vbi hostes ad pugnam elici nequeunt, pro victoria fuit. Apud Gallos, & Hispanos, brachia, & manus inermes tendere. Apud Romanos, capita scutis subdere, & arma tradere, deditionis signum erat: quare Pompeiani, pugna Pharsalica, passis palmis salutem petiere. Armis quoque dimissis, salutationem more militari facere, magno sæpe præsidio extitit militibus. Iunctis velatisque manibus supplicare, aut cū infulis, & velamentis procedire, apud Græcos manus inermes dare, Indis cum pateris occurrere, & vina libare, aut ex solis ara accensis facibus obuiam prodire, in fidem venire, & potestatem, signum fuit. Neq; enim decebat illos, qui passis palmis in deditionē venissēt, morte afficere, aut in eos, velut hostes, insultare. Dextris etiam esertis, & subla-

blatis manibus incedere, apud Græcos, & Persas, pacis signum erat, sicut Assyrijs, & Massilìensibus cũ infulis, & Græcis cum oleæ ramis, aut lauro accedere, & Barbaris florentes capite corollas gestare; Ægyptiorum mos traditur, vt veste sumpta, & prælatis omnibus sacris, pacem deprecentur: Gallorum, occurrere magistratus cum pueris, & fœminis. Apud Persas terram, & aquam offerre, deditionis signum erat: quare Darij legati, quum ab Atheniensibus magnificis verbis, terram, & aquam peterent, ab eisdem alij in barathrum, nonnulli in puteos, præcipites acti sunt. Apud Lacedæmonios, scutis positis, manus excurere: in singulari pugna, vox, Herbam do. Et ita Nazianzenus in præceptis ad Virgines ex translatione Iacobi Billij ait:

*Nec quum nō impar numerus virtutis honore*
*Te superet. quā qui laudis tibi porrigit herbā*
*Sic animos tollas, quasi non sit par tibi quisquam.*

Se victum fateri significat: sicut olim bello capti, quum salutem peterent, in discrimine extremo, salutem dicere cœperunt. Athletarum mos erat, vt quum in certamine victi, digitum, aut manum eserendo, pacem peti ostēderent. At nunc eserere digitum, est quid minimum, & facillimum, vt elationem digiti, operari, in quo etiam, iuxta Stoicos, stulti peccant. Fuit enim Stoicorum placitum, inter sapientem, & stultum nihil esse medium. Indeque inferebant, omnem stulti operationem, malam esse, & peccaminosam, vtpotè ex stultitia procedentem: sicut è contra, quamcumq; sa-

ſapientis actionem eſſe laudabilem, & actum virtutis, quaſi deſcenderet ex habitu virtutis, & ſapientiæ, actualiter informantis, & dignificantis nedum ſubiectum, ſed etiam actum, & opus ipſum: adeout ipſe habitus ſit veluti arbor, & iuxta illud Matthæi 7 *Omnis arbor bona, fructus bonos facit, mala autem arbor malos fructus facit: non poteſt arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere*, iuxta ſpeciem habitus ſapientię, vel ſtultitiæ, ſit omnis ſapientis, aut ſtulti operatio. Et quia apud eoſdem, ſapientiæ, & ſtultitię habitus, immobiles ſunt, & inuariabiles, hinc inferebant, peccata omnia æqualis eſſe grauitatis, ſiue malitiæ: vt virtutes, pari laude dignas. In quibus aſſertis philoſophi iſti, in caliginoſa admodum luce ambulabant: vnde, quia in luce, vera quidem nonnulla dicebant: ſed quia in luce caliginoſa, non mirum ſi in pleriſq; à veritate deuiarent. Quod enim dicebant nihil inter ſtultum, ſapientemque mediare, miſſo ſermone de vera conſummataque ſapientia, in Dei clara viſione conſiſtente, & de ſumma ſtultitia, habita per omnimodam Dei abdicationem, abiectionemque, coniunctam pœnæ damni, quam illi non cognouerunt: miſſo etiam ſermone de ſapientia illa, quę habetur per fidem infuſam, quæ præſtat cognitionem Dei ſupernaturalem, & de ſtultitia conſiſtente in priuatione talis cognitionis ob infidelitatem, quando nec iſtius notitię digni fuerunt, vt de talibus dicere potuerint nihil inter ſtultum mediare, ac ſapientem: ſed ſiſtendo in ſapientia merè naturali, conſiſtente

in cognitione rerum habita per causas, licet naturales, altissimas tamen,& vniuersales, abstractasque ab omni materia, cuiusmodi habetur per metaphysicam: & in coercitione perturbationum, siue passionum,& affectuum animi, cum exercitio virtutum tam moraliū, quam intellectualium; & in stultitia, huic sapientiæ ex diametro opposita, consistente nimirum in carentia cognitionis rerum naturalium per quascumque causas: & in petulanti libertate perturbationum,& affectuum animi, procedentium absque rationis fræno: Sic inquam loquendo de sapientia, atque stultitia, falsum est nihil inter illas mediare. Huiusmodi namque sapientia acquisita fuit: nequiuit autem acquiri per actus stultitię, qui certè aliud efficere non potuissent, nisi amplius præexistētem stultitiæ habitum firmare. Acquisita ergo fuit per actus sapientiæ, productos ab eo, qui nondum erat sapiēs, sed potius, ex habitu, stultus; non ergo omnis stulti actus stultitia est, vel peccatum, quum tales non sint illi, quibus sapientiæ acquiritur habitus, quando ex multiplicatis actibus, habitus generatur. Et eadem ratione, quum sapiens à sapientia ad stultitiam possit deficere, siquidem per liberum arbitrium, dum in hac mortali vita sumus, tam à malo resilire, quam à bono deficere possumus, si sapiens stultitiæ actum exerceat, vt furtum, homicidium, patriæ proditionem, vel aliud simile, numquid tale opus à sapiente factum, procedet ex habitu sapientiæ? blasphemia foret id asserere. Procedit ergo ex stultitia irrepente: ideoq; di-

cendum, dari actus, qui non procedant ex habitu sapientiæ, vel stultitiæ, quales sunt illi, ex quorum multiplicatione tales habitus generantur, & ita dabitur medium inter sapientiam, & stultitiam, nec omne quod agit sapiẽs erit actus virtutis, nec quidquid operatur stultus, erit peccatum. Verum decepti fuere non discernentes inter operari actum, vt specificatiuè, & vt reduplicatiuè talem, vt nunc in scholis loquuntur. Sanè quidquid agit sapiens inquantum sapiens, (quod est operari reduplicatiuè, vt sapiens) est actus virtutis, nam actus ille procedit nedum à subiecto, & persona in qua est habitus sapientiæ, sed & ab ipsa forma, & habitu sapientiæ, actum dignificante: & omne operatum à stulto in eo quod stultus, seu reduplicatiuè vt stultus, stultitia est, & peccatum, quia non procedit tantum ab hypostasi, & persona in qua est stultitia, sed & à stultitiæ habitu. Cęterum non omne patratum à sapiẽte per aliud quam sapientiæ habitum, oportet esse actum sapientię, siue iustum: nec quidquid operatur stultus, si ad id non concurrat stultitiæ habitus, erit peccatum, tunc enim sapiens, & stultus operantur, vt specificatiuè, non vt reduplicatiuè tales, idest illi, qui alioquin sunt sapientes, aut stulti, sed non per illos habitus. Certè Socrates, Zeno, Chrysippus, alijq; Stoicorumq primores, sapientiam sibi per multos actus comparauerunt, quorum actuum singuli præcesserunt generationem habitus sapientiæ, num ergo actus illi peccata erant, quia non procedebant ab habitu sapientiæ, qui

non-

nondum inerat? Negandum certè, alioquin sapientiæ habitum gignere non potuissent. Et ita dantur actus, qui, etsi non procedant ab habitu sapientiæ, non tamen sunt peccata. Et si quis Busyris, vel Sardanapalus, aut Tyrannorum alius, depositum reddat, aut fidem seruet promissam, numquid in talibus, recta intentione factis, peccabit? Minime gentium, quinimmo si in talibus perseueraret è stultitia emergeret. In tenebris ergo philosophi isti ambulabant, & tamen in tantis tenebris, lux aliqua rationis eis affulsit, siquidem etiam super illos, vt psalmo 4. dicitur, *signatum est lumen vultus* Dei, ratio scilicet naturalis, quā tamen perfectè percipere, indigni fuerunt. Lux autem ista hæc erat, quod sapientia consistens in Dei gratia gratum faciente, nequit simul esse cum peccati stultitia, quia quum opponantur priuatiuè, vna expellit aliam ab eodem subiecto. Nec tamen quidquid agit peccator, etiam in peccato existens, peccatum erit, vt si in Dei cultum, vt præcepto, vel consilio satisfaciat, absque vanitate, vel alio prauo motiuo, ieiunet, oret, sacrum audiat, eleemosynam largiatur, etiam si opera ista dicantur mortua, in quantum carent gratia ea viuificante, vnde supernaturale prœmium nō merentur, non sunt tamen mortifera, seu peccaminosa, immo eis tribuetur prœmium aliquod temporale, vt sanitas, dignitas, potentia, & aliquando etiam efficax vocatio ad veram sapiētiam. Quod vero dicunt peccata omnia æqualis esse malitiæ, paradoxos omnino, & absurdum est. Quis enim rectè discernens, vmquam

concedet æqualis esse malitiæ blasphemiam in Deum, vel patriæ proditionem, & vnum obolum furto subripere? patrem, vel hospitem ferro, aut veneno necare, & hostem pessimè meritum, occidere, vel quocumque damno afficere? peierare, & leuiter mentiri? Nec mouet quod dicunt, virtutes omnes esse connexas, vt qui vnam habuerit, cunctas habere sit necesse; indeque fieri vt delinquens aduersus vnam, simul aduersus omnes peccet, ideoque oportere, peccata omnia esse æqualia. Nam quamuis vltro, & libenter demus virtutes, quum possidentur in culmine perfectionis, esse ad inuicem connexas, vt qui earum vnam possideat in gradu heroico, cæteras omnes simul habere sit necessè, non tamen est id necessarium, quum habentur in gradu imperfecto, & actu acquisitionis earum. Immo etiam si quis virtutes omnes, & in gradu heroico, seu purgati animi habuerit, actus nihilominus qui hic & nunc ab hoc heroe manabit, non procedet directè nisi ab hac virtute, putà à iustitia, vel prudentia, etsi concomitantibus reliquis: indeque excellentiam habebit ex proprio obiecto, eritque nobilior, ac dignior actu procedente à fortitudine, vel temperantia eiusdem herois, licet ad hunc etiam actum, concomitanter, concurrant habitus iustitiæ, prudẽtiæ, & reliquarum virtutum: Actuum enim nobilitas attendi debet ex proprio obiecto potius quam circumstantijs, nam ex illo sortitur speciem. Et eodem modo discurrendum est de peccatis, ea esse grauiora, quæ ex obiecto sunt talia, vt quæ contra Deum, deinde quæ

ad-

aduersus bonum commune: post quę contra vitam, & personam: & demum, quæ damna inferunt in temporalibus: atque adeo non omnia peccata sunt æqualia. Persius tamen, sequens Stoicorum sententiam, asserit Damam peccare etiam si digitum moueat, qui est actus facillimus, & indifferens ex sua specie, etiam si iuxta conditiones indiuiduales, necessario, vel bonus esse debeat, vel malus, quum non detur actus indifferens in indiuiduo. Et ratio poetæ est, quia Dama impetrare non poterat, vt stultus quidquam iustitiæ habeat: quod vt diximus verificatur de stulto reduplicatiuè, non vero specificatiuè tantum tali.

*LITABIS*. Litare, & sacrificare differunt, vt species à genere, nam vt ait Macrobius l.3 c.5. *Litare significat sacrificio facto placare numen*: sacrificare vero, vtcunque hostias Dijs offerre. Inde Plaut. Penulo Actu 2. scena 1.

*Si hercle istud vmquam factum est, tum me Iuppiter*
*Faciat, vt semper sacrificem, nec vmquam litē.*

Et ita præter hostiæ immolationem, voti importat impetrationem. Hinc Suetonius in Iulio cap.81. inquit: *Dein pluribus hostijs cęsis, quum litare non posset, introijt Curiam, spreta religione*. Placet quibusdam, litare esse quasi lutare à luo, hoc est soluo, quasi sit sacra persoluere. Sic Varro: Habes qui, & cuius gratia fecerim hecatombē, in quo ego vt puto, quoniam est luere, soluere, lutaui. Lito autem putatur esse frequentatiuum à luo, & esse, placatur, nam qui debitum soluit, à creditoris molestia seipsum liberat. Sed alij litare deducunt à Græ-

Et Palladius de RR. in menſe Auguſto, ſeu lib. 9. titulo 9. *In fodiendis puteis, cauendum eſt foſſorum periculum, quoniam plerumq; terra ſulphur, alumen, bitumen educit: quorum ſpiritus miſti anhelitum peſtis exhalant, & occupatis ſtatim naribus, extorquent animas, niſi quis fugæ ſibi velocitate ſuccurrat. Prius ergo quam deſcendatur ad intima, in eis locis lucernam ponis accenſam, quæ ſi extincta non fuerit, periculum non timebis; ſi vero extinguatur, cauendus eſt locus quem ſpiritus mortifer occupabit. Quod ſi alio loco aqua non poteſt inueniri, dextra læuaque puteos fodiemus, vſque ad aquę ipſius libramentum, & ab his foramina hinc inde patefacta, velut nares intus agemus, qua nocens ſpiritus euaporet: quo facto, latera puteorum ſtructura ſuſcipiat.* Hi autem foſſores, vtpotè ruſtici, & quaſi terræ quam colunt, aſſiduè affixi, inepti ad numeroſam videntur ſaltationem. Verum hic per metaphoram dicere intendit, ne ſperare velis, vt qui tota vita inſipienter, ac ſtultè te geſſeris, in aliquo núnc negocio, ſtudiosè valeas operari. Et ita repetit ſententiam immediatè ante dictam, nõ poſſe ſtultum ſemunciam ſaltem recti habere.

*TRES tamen ad numeros.* Numerus eſt multitudo menſurata per vnum, & obiectum Arithmeticę, ac iuxta varias modificationes, ratione adhærentium circumſtantiarum, diuerſificat ſcientias Arithmeticæ ſubalternatas: inter quas eſt muſica, quæ numerum conſiderat ſub ratione harmonici. Verum numerus nedum dicitur de concentu harmonico, qui appellatur rithmus, & eſt in vocibus, atq; ſonis,

sonis, sed etiam de eo, qui est in gestibus, & motibus corporis, nam & hi ad numerum fiunt. De numero sic Macrobius ad somnium Scipionis lib.1.cap.1.ait: [ Ex omni innumera varietate numerorum, pauci & numerabiles inuenti sunt, qui sibi ad conficiendam musicam conuenirent: sunt autem hi sex omnes, Epitritus, Hemiolius, Duplaris, Triplaris, Quadruplus, & Epogdous. Et est Epitritus, quum de duobus numeris maior habet totum minorem, & insuper eius tertiam partem, vt sunt quatuor ad tria, nam in quatuor sunt tria, & tertia pars trium, idest vnum; & is numerus vocatur Epitritus, deque eo nascitur symphonia, quę appellatur διατεσσάρων. Hemiolius est, quum de duobus numeris maior habet totum minorem, & insuper eius medietatem, vt sunt tria ad duo, nam in tribus sunt duo, & media pars duorum, idest vnum: Ex hoc numero, qui Hemiolius dicitur, nascitur symphonia, quæ appellatur διαπέντε. Duplaris numerus est, quum de duobus numeris, minor bis in maiori numeratur, vt sunt quatuor ad duo: & ex hoc Duplari numero nascitur symphonia, cui nomen est διαπασῶν. Triplaris autem, quum de duobus numeris minor ter in maiori numeratur, vt sunt tria ad vnũ: & ex hoc numero symphonia procedit, quę dicitur διαπασῶν καὶ διαπέντε. Quadruplus est, quum de duobus numeris, minor quater in maiore numeratur, vt sunt quatuor ad vnum: qui numerus facit symphoniam, quam dicũt δὶς διαπασῶν. Epogdous est numerus, qui intra se habet minorem, & insuper

Et Palladius de RR. in mense Augusto, seu lib. 9. titulo 9. *In fodiendis puteis, cauendum est fossorum periculum, quoniam plerumq; terra sulphur, alumen, bitumen educit: quorum spiritus misti anhelitum pestis exhalant, & occupatis statim naribus, extorquent animas, nisi quis fugæ sibi velocitate succurrat. Prius ergo quam descendatur ad intima, in eis locis lucernam ponis accensam, quæ si extincta non fuerit, periculum non timebis; si vero extinguatur, cauendus est locus quem spiritus mortifer occupabit. Quod si alio loco aqua non potest inueniri, dextra læuaque puteos fodiemus, vsque ad aquę ipsius libramentum, & ab his foramina hinc inde patefacta, velut nares intus agemus, qua nocens spiritus euaporet: quo facto, latera puteorum structura suscipiat.* Hi autem fossores, vtpotè rustici, & quasi terræ quam colunt, assiduè affixi, inepti ad numerosam videntur saltationem. Verum hic per metaphoram dicere intendit, ne sperare velis, vt qui tota vita insipienter, ac stultè te gesseris, in aliquo núnc negocio, studiosè valeas operari. Et ita repetit sententiam immediatè ante dictam, nō posse stultum semunciam saltem recti habere.

*TRES tamen ad numeros.* Numerus est multitudo mensurata per vnum, & obiectum Arithmeticę, ac iuxta varias modificationes, ratione adhærentium circumstantiarum, diuersificat scientias Arithmeticæ subalternatas: inter quas est musica, quæ numerum considerat sub ratione harmonici. Verum numerus nedum dicitur de concentu harmonico, qui appellatur rithmus, & est in vocibus, atq;

sonis,

sonis, sed etiam de eo, qui est in gestibus, & motibus corporis, nam & hi ad numerum fiunt. De numero sic Macrobius ad somnium Scipionis lib.2.cap.1.ait: [ Ex omni innumera varietate numerorum, pauci & numerabiles inuenti sunt, qui sibi ad conficiendam musicam conuenirent: sunt autem hi sex omnes, Epitritus, Hemiolius, Duplaris, Triplaris, Quadruplus, & Epogdous. Et est Epitritus, quum de duobus numeris maior habet totum minorem, & insuper eius tertiam partem, vt sunt quatuor ad tria, nam in quatuor sunt tria, & tertia pars trium, idest vnum; & is numerus vocatur Epitritus, deque eo nascitur symphonia, quę appellatur διάτεσσάρων. Hemiolius est, quum de duobus numeris maior habet totum minorem, & insuper eius medietatem, vt sunt tria ad duo, nam in tribus sunt duo, & media pars duorum, idest vnum: Ex hoc numero, qui Hemiolius dicitur, nascitur symphonia, quæ appellatur διαπέντε. Duplaris numerus est, quum de duobus numeris, minor bis in maiori numeratur, vt sunt quatuor ad duo: & ex hoc Duplari numero nascitur symphonia, cui nomen est διάπασῶν. Triplaris autem, quum de duobus numeris minor ter in maiori numeratur, vt sunt tria ad vnũ: & ex hoc numero symphonia procedit, quę dicitur διαπασῶν κὶ διαπέντε. Quadruplus est, quum de duobus numeris, minor quater in maiore numeratur, vt sunt quatuor ad vnum: qui numerus facit symphoniam, quam dicũt δὶς διαπασῶν. Epogdous est numerus, qui intra se habet minorem, & insuper

eius octauam partem, vt nouem ad octo, quia in nouem sunt octo, & insuper octaua pars eorum, idest vnum. Hic numerus sonum parit, quem, Tonon musici vocauerunt. Sonum vero tono minorem, veteres quidem semitonium vocitare voluerunt, sed non ita accipiendum est, vt dimidius tonus putetur, quia nec semiuocalem in litteris pro medietate vocalis accipimus. Deinde tonus per naturam diuidi in duo sibi ęqua non poterit, quum enim ex nouenario numero constet, nouem autem numquam æqualiter diuidantur, tonus in duas diuidi medietates recusat: sed semitonium vocitauerunt sonum tono minorem, quem tam paruo distare à tono deprehensum est, quantum hi duo numeri inter se distant, idest 243. & 256. Hoc semitonium Pythagorici quidem veteres Diesin nominabant: sed sequens vsus sonum semitonio minorem, Diesin constituit nominandum. Plato semitoniũ λεῖμμα vocitauit. Sunt igitur symphoniæ quinque, idest *διὰ τεσσάρων διὰ πέντε, διὰ πασῶν, διὰ πασῶν καὶ διὰ πέντε δὶς διὰ πασῶν*. Sed hic, numerum symphoniarum ad musicam pertinet, quem vel flatus humanus intendere, vel capere potest humanus auditus. Vltra autem se tendit harmonię cœlestis accessio, idest vsq; ad quater *διὰ πασῶν καὶ διὰ πέντε*. Nunc interim de his, quas nominauimus, differamus. Symphonia diatesseron constat de duobus tonis & semitonio, vt minutias, quæ in additamento sunt, relinquamus, ne difficultatem creemus: & fit ex Epitrito. Diapente constat ex tribus tonis, & semitonio, & fit de Homio-

lio.

lio. Diapason constat de sex tonis, & fit de duplari. Sed Diapason, & Diapente constat ex nouem tonis, & hemitonio, & fit de triplari numero. Dis autem diapason, continet tonos duodecim, *& fit ex quadruplo.* De eisdem numeris, seu de musica inter alia hæc habet Athenæus lib. 14. cap. 10. *Musica facultas mores instituit, iracundiam mitigat, minusque rectis mentibus moderatur. Idcirco Clinias Pythagoricus, vt testatur Chamæleon Ponticus, quum & viuendi ratione, & moribus, paulo esset difficilior, si quando ob iracundiam se grauem esse sentiret, lyram accipiens, eam pulsabat: ad percunctantes autem causam, respondebat, mitigor. Achilles etiam Homericus cythara leniebatur, quam solam ex Eetionis spolijs Homerus illi permisit, qua illius iracundiam posset cohibere. Solo igitur hoc musicę genere vsus est in Iliade. Quod morbi etiã musica curentur, testatur Theophrastus in libro de afflatione Numinis, vbi Ischiacos scribit sanos fieri, si more Phrygio harmoniam aliquis indigena illis accinerit. Hanc harmoniam Phryges primi inuenerunt, atque in manus alijs tradiderunt. Quare efficitur, vt tibicines apud Gręcos Phrygij, ac seruiles postea vocitentur, cuiusmodi Sambas est, & Adon, & Telus apud Alcmanem: apud Hipponactem Ceon, Codalus, & Bathys, de quo etiam extat prouerbium in eos, qui semper peius tibia canunt: & Ceon, aut Bathys modulatur. Aristoxenus ipsius inuentionem Hyagnidi Phrygio adscribit: Heraclides vero Ponticus lib. de musica 3. neque harmoniam quidem appellandam esse Phrygium scribit, neque Lydium, quum tres sint omnino har-*

*moniæ, ac tria Græcorum genera, Dorici, Aeoles, Iones: quum maxima sit differentia inter horum mores. Cæteris Doricis diligentius Lacedęmonij patria instituta obseruant: Thessali vero (isti enim generis initium ab Aeolibus acceperunt) simillimam prorsus viuendi rationem obseruant. At Ionum plurima multitudo immutata est, quia semper à potentioribus barbaris imperantibus, huc illuc transferuntur. Eam igitur melodiam institutionem, quam Dorici constituerunt, harmoniam Doricam appellarunt: atque Aeolida, eam harmoniam, quam Aeoles canebant: Ionicam tertiam dixerunt, quam audiuerunt cantari ab Ionibus. Harmonia igitur Dorica strenuitatem, magnificentiamque quamdam præsefert, non autem quidpiam hians, & hilare, sed triste, ac vehemens, neque uarium, neque uersutum. Atque Aeolum mos quiddam habet contumax, & superbum, ac laxum præterea, quod eorum educationi equorum, hospitibusque accipientis assentitur. Non astutum quidem habet, sed exemptionem, ac fiduciam quamdam: quo efficitur ut illis familiare sit studium, potus indulgere, resque Venereæ, atque omnis circa uiuendi rationem ipsam relaxatio: hinc accidit, ut consuetudinem seruent harmoniæ hypodoriæ uocatę: est autem ea, quæ dicta est ab Aeolis, sicuti asserit Heraclides, Lasusque Hermioneus in hymno ad Cererem Hermionem, hoc pacto: Cererem cano puellam Plutonis uxorem Melibœum hymnum, legens Aeolida simul grauiter frementē harmoniā. Has cātilenas hypodorias omnes concinunt. Quoniam igitur cantilena est hypodoria, & cantilenas merito Aeolida harmoniam esse Lasus attestatur, scribit alt-*

*alicubi Pratinas*. Nec quæ remissa, rursus incitata, quæ est Sectare, quæ sit Aeolum, sed per media Atua Aeolıza cantibus profectus hinc. *Et manifestius inquit in sequentibus Aeolis harmonia omnibus audacter loquentibus cantilena conuenit. Prius enim, vti dicebam, Aeolida ipsam vocarunt, ac postea hypodorium. Constituta est inter tibias, vt affirmant nonnulli, qui eam sub Dorium harmoniam collocarunt. Mihi vero videntur ij, qui fastum probitatisque simulatam in harmoniæ moribus viderunt, Dorium quidem ipsam non existimasse: at illi rationes quadam similem, quare hypodorium appellarunt, sicuti albo simile subalbum dicimus, atque non dulce quidem, dulci tamen propinquius, subdulce dicimus sic etiam hypodorium, non omnino Dorium. In sequentibus vero Milesiorum morem consideremus, quem Iones ostendunt in corporibus bene habentibus: superbia, iracundiaque sunt pleni, difficulter reconciliantur, contentiose, nihil humanum, nihil suaue admittunt, duritiem, asperitatemq; ostendunt in moribus: quamobrem neque Ionicam harmoniæ genus floridum quidpiam, aut iucundum, sed austerum, durumque habet, continet etiam quemdam non ignobilem fastum, quamobrem harmonia persimilis est tragœdiæ. Præsentium vero Ionum mores sunt delicatissimi, ac eo quod sequitur multũ differt harmoniæ institutum. Scriptum reliquis Pythermũ Teium obscuras cantilenas in hoc suo genere harmoniæ fecisse, atque quum poeta esset Ionicus, Ionicam harmoniam fuisse vocatum. Hic est is Pythermus, de quo mentionem fecit Ananius Hipponax hoc pacto in Iambis:* Autum refert Py-

thc -

*Numquã te fallant animi sub uulpe latentes.*

Sic Plautus Casina Actu 5. scena 5.

*Nec fallaciam*

*Astutiorem, ullus fecit poeta.*

Sic Lactantius lib.5.cap.18. *Qui uendentis errorem non redarguit, ut aurum paruo emat, aut qui non profitetur fugitiuum seruum, uel pestilentem se domum uendere, lucro, & commodo suo consulens, non est ille sapiens; ut Cerneades uideri uolebat, sed callidus & astutus. Calliditas & astutia in mutis quoque animantibus sunt, uel quum insidiantur alijs, & dolo capiunt, ut deuorent: uel quum insidias aliorum uario genere deludunt, sapientia uero in hominem solum cadit.* Sic Cicero 3. de officijs: *Aliter leges, aliter philosophi tollunt astutias.* Timendum autem erat de Dama, qui manumissus, altiores assumpserat spiritus, quasi non esset adhuc trellis agaso, sed fortis, sapiens, iustus, &c.

*REPETO.* Repetere est retro poscere, & flagitare vt res data, restituatur ei, qui eam dederat, vt si quis vestem, gladium, vel aliud vtendum, aut alio dederat titulo, & deinde velit sibi illud restitui, repetere dicetur, siue ab eodem, siue ab hæredibus, vel socijs illius. Sic Terent. Eunuch. Actu 4. sc.6.

*Hanc tibi dono do, neque repeto pro illa abs te quidquam pretij.*

Sic auctor Rhetoricę ad Herenn.lib.2. *Id quod argentario tuleris expensum, à socio eius rectè repetere possis.* Vnde repetere dona, est nolle ea esse data, in quo sensu facilius promissa reuocantur. Sic Plautus Mostellar. Act.1. sc.3

*infecta dona facio;*

*Per-*

*Perijsti, quod iam promiseram tibi donum, perdidisti.*

Nonnumquam repetere est reuerti in locum, vnde quis fuerat digressus. Sic Liuius l. 1. c. 14 *Multiplici terrore perculsi Fidenates, prius pene quam Romulus quique cum eo equites erãt, circumagerent frenis equos, terga uertunt, multoque effusius (quippe uera fuga) quam simulantes paulo ante secuti fuerant, oppidum repetebãt.* Sed nunc de datorum restitutione est intelligendum: nam poeta, qui Damæ concesserat, vt foret liber, & sapiens, Prætoribus, ac Ioue dextro, sub conditione tamen, si vera fuissent, quæ dixerat de vitæ emendatione, stante conditionis falsitate, concessionem reuocat, repetitque dona libertatis, & sapientiæ concessa, volens ea non esse data.

*FVNEMQVE reduco*, seu retroduco, nam si quidpiã hinc abducatur, & iterũ huc ducatur, vel restituatur, reduci dicetur. Sic Cic. pro P. Quint. *Hominẽ P. Quintij deprehẽdis in publico, conaris abducere, non patitur Alphenus, ui tibi ademit, curat ut domum reducatur ad Quintiũ.* Sed quod ait: Funem reduco, innuit metaphoram esse ductam à bestiarijs, qui canes, vrsos, aut alias bestias, funibus alligatas, nonnumquam vagari, & lasciuire permittunt; sed quũ illę minas in obuios intentant, ne eisdem noceãt, vel alias, quum sibi libuerit, funem ad se trahendo, illas reducunt, idest cohercent. Et conuenit translatio in Damam, vt seruitutis, & vinculorum recordaretur.

*DIGITVM exere.* Exerere digitum est confiteri se victum. Varij autem erant victoriam ce-

cedendi, & se victos confitendi signa: Vnius, pollicem subleuandi, meminit Martialis dicẽs lib. 5. epigr. 62.

*Iure tuo nostris maneas licet hospes in hortis*
*Si potes in nudo ponere membra solo*
*Aut si portetur tecum tibi magna suppellex,*
*Nam mea iã digitum sustulit hospitibus.*

Vbi sustulit digitum posuit, pro, fassa est se victam, & vsu consumptam. Alterius, herbam cedendi. Plin. lib. 22. cap. 4. dicens: *Summum apud antiquos signum uictoriæ erat, herbam porrigere uictos, hoc est terra, & altrice ipsa humo, & humatione etiam cedere: quem morem etiam nunc durare apud Germanos scio.* Sed de varijs ritibus cedendi victoriam, sic ait Alexander ab Alexandro dierum Genialium l. 4. cap. 7. [ Confessio cedentis, & detrectãtis certamen, vbi hostes ad pugnam elici nequeunt, pro victoria fuit. Apud Gallos, & Hispanos, brachia, & manus inermes tendere. Apud Romanos, capita scutis subdere, & arma tradere, deditionis signum erat: quare Pompeiani, pugna Pharsalica, passis palmis salutem petiere. Armis quoque dimissis, salutationem more militari facere, magno sæpe præsidio extitit militibus. Iunctis velatisque manibus supplicare, aut cũ infulis, & velamentis procedire, apud Græcos manus inermes dare, Indis cum pateris occurrere, & vina libare, aut ex foliis ara accensis facibus obuiam prodire, in fidem venire, & potestatem, signum fuit. Neq; enim decebat illos, qui passis palmis in deditionẽ venissẽt, morte afficere, aut in eos, velut hostes, insultare. Dextris etiam efertis, & subla-

blatis manibus incedere, apud Græcos, & Persas, pacis signum erat, sicut Assyrijs, & Massiliensibus cũ infulis, & Græcis cum oleæ ramis, aut lauro accedere, & Barbaris florentes capite corollas gestare; Ægyptiorum mos traditur, vt veste sumpta, & prælatis omnibus sacris, pacem deprecentur: Gallorum, occurrere magistratus cum pueris, & fœminis. Apud Persas terram, & aquam offerre, deditionis signum erat: quare Darij legati, quum ab Atheniensibus magnificis verbis, terram, & aquam peterent, ab eisdem alij in barathrum, nonnulli in puteos, præcipites acti sunt. Apud Lacedæmonios, scutis positis, manus excutere: in singulari pugna, vox, Herbam do. Et ita Nazianzenus in præceptis ad Virgines ex translatione Iacobi Billij ait:

*Nec quum nõ impar numerus virtutis honore*
*Te superet, quã qui laudis tibi porrigit herbã*
*Sic animos tollas, quasi non sit par tibi quisquam.*

Se victum fateri significat: sicut olim bello capti, quum salutem peterent, in discrimine extremo, salutem dicere cœperunt. Athletarum mos erat, vt quum in certamine victi, digitum, aut manum eferendo, pacem peti ostẽderent. At nunc eferere digitum, est quid minimum, & facillimum, vt elationem digiti, operari, in quo etiam, iuxta Stoicos, stulti peccant. Fuit enim Stoicorum placitum, inter sapientem, & stultum nihil esse medium. Indeque inferebant, omnem stulti operationem, malam esse, & peccaminosam, vtpotè ex stultitia procedentem: sicut è contra, quamcumq;

sa-

sapientis actionem esse laudabilem, & actum virtutis, quasi descenderet ex habitu virtutis, & sapientiæ, actualiter informantis, & dignificantis nedum subiectum, sed etiam actum, & opus ipsum: adeout ipse habitus sit veluti arbor, & iuxta illud Matthæi 7 *Omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor malos fructus facit: non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere*, iuxta speciem habitus sapientiæ, vel stultitiæ, sit omnis sapientis, aut stulti operatio. Et quia apud eosdem, sapientiæ, & stultitiæ habitus, immobiles sunt, & inuariabiles, hinc inferebant, peccata omnia æqualis esse grauitatis, siue malitiæ: vt virtutes, pari laude dignas. In quibus assertis philosophi isti, in caliginosa admodum luce ambulabant: vnde, quia in luce, vera quidem nonnulla dicebant: sed quia in luce caliginosa, non mirum si in plerisq; à veritate deuiarent. Quod enim dicebant nihil inter stultum, sapientemque mediare, misso sermone de vera consummataque sapientia, in Dei clara visione consistente, & de summa stultitia, habita per omnimodam Dei abdicationem, abiectionemque, coniunctam pœnæ damni, quam illi non cognouerunt: misso etiam sermone de sapientia illa, quę habetur per fidem infusam, quæ præstat cognitionem Dei supernaturalem, & de stultitia consistente in priuatione talis cognitionis ob infidelitatem, quando nec istius notitię digni fuerunt, vt de talibus dicere potuerint nihil inter stultum mediare, ac sapientem: sed sistendo in sapientia merè naturali, consistente

in

in cognitione rerum habita per causas, licet naturales, altissimas tamen, & vniuersales, abstractasque ab omni materia, cuiusmodi habetur per metaphysicam: & in coercitione perturbationum, siue passionum, & affectuum animi, cum exercitio virtutum tam moraliũ, quam intellectualium; & in stultitia, huic sapientiæ ex diametro opposita, consistente nimirum in carentia cognitionis rerum naturalium per quascumque causas: & in petulanti libertate perturbationum, & affectuum animi, procedentium absque rationis frœno: Sic inquam loquendo de sapientia, atque stultitia, falsum est nihil inter illas mediare. Huiusmodi namque sapientia acquisita fuit: nequiuit autem acquiri per actus stultitię, qui certè aliud efficere non potuissent, nisi amplius præexistẽtem stultitiæ habitum firmare. Acquisita ergo fuit per actus sapientiæ, productos ab eo, qui nondum erat sapiés, sed potius, ex habitu, stultus; non ergo omnis stulti actus stultitia est, vel peccatum, quum tales non sint illi, quibus sapientiæ acquiritur habitus, quando ex multiplicatis actibus, habitus generatur. Et eadem ratione, quum sapiens à sapientia ad stultitiam possit deficere, siquidem per liberum arbitrium, dum in hac mortali vita sumus, tam à malo resilire, quam à bono deficere possumus, si sapiens stultitiæ actum exerceat, vt furtum, homicidium, patriæ proditionem, vel aliud simile, numquid tale opus à sapiente factum, procedet ex habitu sapientiæ? blasphemia foret id asserere. Procedit ergo ex stultitia irrepente; ideoq; dicen-

cendum, dari actus, qui non procedant ex habitu sapientiæ, vel stultitiæ, quales sunt illi, ex quorum multiplicatione tales habitus generantur, & ita dabitur medium inter sapientiam, & stultitiam, nec omne quod agit sapiēs erit actus virtutis, nec quidquid operatur stultus, erit peccatum. Verum decepti fuere non discernentes inter operari actum, vt specificatiuè, & vt reduplicatiuè talem, vt nunc in scholis loquuntur. Sanè quidquid agit sapiens inquantum sapiens, (quod est operari reduplicatiuè, vt sapiens) est actus virtutis, nam actus ille procedit nedum à subiecto, & persona in qua est habitus sapientiæ, sed & ab ipsa forma, & habitu sapientiæ, actum dignificante: & omne operatum à stulto in eo quod stultus, seu reduplicatiuè vt stultus, stultitia est, & peccatum, quia non procedit tantum ab hypostasi, & persona in qua est stultitia, sed & à stultitiæ habitu. Cęterum non omne patratum à sapiēte per aliud quam sapientiæ habitum, oportet esse actum sapientię, siue iustum: nec quidquid operatur stultus, si ad id non concurrat stultitiæ habitus, erit peccatum, tunc enim sapiens, & stultus operantur, vt specificatiuè, non vt reduplicatiuè tales, idest illi, qui alioquin sunt sapientes, aut stulti, sed non per illos habitus. Certè Socrates, Zeno, Chrysippus, alijq; Stoicorumq primores, sapientiam sibi per multos actus compararuerunt, quorum actuum singuli præcesserunt generationem habitus sapientiæ, num ergo actus illi peccata erant, quia non procedebant ab habitu sapientiæ, qui

non-

nondum inerat? Negandum certè, alioquin sapientiæ habitum gignere non potuissent. Et ita dantur actus, qui, etsi non procedant ab habitu sapientiæ, non tamen sunt peccata. Et si quis Busyris, vel Sardanapalus, aut Tyrannorum alius, depositum reddat, aut fidem seruet promissam, numquid in talibus, recta intentione factis, peccabit? Minime gentium, quinimmo si in talibus perseueraret è stultitia emergeret. In tenebris ergo philosophi isti ambulabant, & tamen in tantis tenebris, lux aliqua rationis eis affulsit, siquidem etiam super illos, vt psalmo 4. dicitur, *signatum est lumen vultus* Dei, ratio scilicet naturalis, quā tamen perfectè percipere, indigni fuerunt. Lux autem ista hæc erat, quod sapientia consistens in Dei gratia gratum faciente, nequit simul esse cum peccati stultitia, quia quum opponantur priuatiuè, vna expellit aliam ab eodem subiecto. Nec tamen quidquid agit peccator, etiam in peccato existens, peccatum erit, vt si in Dei cultum, vt præcepto, vel consilio satisfaciat, absque vanitate, vel alio prauo motiuo, ieiunet, oret, sacrum audiat, eleemosynam largiatur, etiam si opera ista dicantur mortua, in quantum carent gratia ea viuificante, vnde supernaturale prœmium nō merentur, non sunt tamen mortifera, seu peccaminosa, immo eis tribuetur prœmium aliquod temporale, vt sanitas, dignitas, potentia, & aliquando etiam efficax vocatio ad veram sapiētiam. Quod vero dicunt peccata omnia æqualis esse malitiæ, paradoxos omnino, & absurdum est. Quis enim rectè discernens, vmquam

concedet æqualis esse malitiæ blasphemiam in Deum, vel patriæ proditionem, & vnum obolum furto subripere? patrem, vel hospitem ferro, aut veneno necare, & hostem pessimè meritum, occidere, vel quocumque damno afficere? peierare, & leuiter mentiri? Nec mouet quod dicunt, virtutes omnes esse connexas, vt qui vnam habuerit, cunctas habere sit necesse; indeque fieri vt delinquens aduersus vnam, simul aduersus omnes peccet, ideoque oportere, peccata omnia esse æqualia. Nam quamuis vltro, & libenter demus virtutes, quum possidentur in culmine perfectionis, esse ad inuicem connexas, vt qui earum vnam possideat in gradu heroico, cœteras omnes simul habere sit necesse, non tamen est id necessarium, quum habentur in gradu imperfecto, & actu acquisitionis earum. Immo etiam si quis virtutes omnes, & in gradu heroico, seu purgati animi habuerit, actus nihilominus qui hic & nunc ab hoc heroe manabit, non procedet directè nisi ab hac virtute, putà à iustitia, vel prudentia, etsi concomitantibus reliquis: indeque excellentiam habebit ex proprio obiecto, eritque nobilior, ac dignior actu procedente à fortitudine, vel temperantia eiusdem herois, licet ad hunc etiam actum, concomitanter, concurrant habitus iustitiæ, prudētiæ, & reliquarum virtutum: Actuum enim nobilitas attendi debet ex proprio obiecto potius quam circumstantijs, nam ex illo sortitur speciem. Et eodem modo discurrendum est de peccatis, ea esse grauiora, quæ ex obiecto sunt talia, vt quæ contra Deum, deinde quæ ad-

aduersus bonum commune: post quę contra vitam, & personam: & demum, quæ damna inferunt in temporalibus: atque adeo non omnia peccata sunt æqualia. Persius tamen, sequens Stoicorum sententiam, asserit Damam peccare etiam si digitum moueat, qui est actus facillimus, & indifferens ex sua specie, etiam si iuxta conditiones indiuiduales, necessario, vel bonus esse debeat, vel malus, quum non detur actus indifferens in indiuiduo. Et ratio poetæ est, quia Dama impetrare non poterat, vt stultus quidquam iustitiæ habeat: quod vt diximus verificatur de stulto reduplicatiuè, non vero specificatiuè tantum tali.

*LITABIS.* Litare, & sacrificare differunt, vt species à genere, nam vt ait Macrobius l. 3 c. 5. *Litare significat sacrificio facto placare numen*: sacrificare vero, vtcunque hostias Dijs offerre. Inde Plaut. Pœnulo Actu 2. scena 1.

*Si hercle istud vmquam factum est, tum me Iuppiter*
*Faciat, vt semper sacrificem, nec vmquam litē.*

Et ita præter hostiæ immolationem, voti importat impetrationem. Hinc Suetonius in Iulio cap. 81. inquit: *Dein pluribus hostijs cęsis, quum litare non posset, introijt Curiam, spreta religione.* Placet quibusdam, litare esse quasi luitare à luo, hoc est soluo, quasi sit sacra persoluere. Sic Varro: Habes qui, & cuius gratia fecerim hecatombē, in quo ego vt puto, quoniam est luere, soluere, lutaui. Lito autem putatur esse frequentatiuum à luo, & esse, placare, nam qui debitum soluit, à creditoris molestia seipsum liberat. Sed alij litare deducunt

à Græco λίτη precor, aut supplico: vnde litaniæ, non letaniæ, vt scribunt referentes ad lethum, seu mortem, quasi forent precationes pro mortuis.

*HÆC miscere nefas, nec quum sis cętera fossor, treis tamen ad numeros satyri mouecare Bathylli* Miscere est confundere, vel perturbare. Sic Virg. 1. Æneid. vers. 128.

*Interea magno misceri murmure pontum,*
*Emissamque hyemem sensit Neptunus.*

Sic Cicero pro Roscio Amerino. *Verumtamen ut fit, multa sępe imprudentibus Imperatoribus, vis belli, ac turba molitur, dum is in aliis rebus erat occupatus, qui summam rerum administrabat, erat interea, qui suis vulneribus mederētur, qui tamquam si offusa Reip. sempiterna nox esset, ita ruebant in tenebris, omniaque miscebant.* Et Columella lib 6. cap. 4. *Multi & largo sale miscent pabula: quidam marrubium deterunt cum oleo, & vino: quidam porri fibras, alij grana thuris, alij sabinam herbam, rutamque cum mero diluunt, eaque medicamenta potanda præbent. Multi caulibus vitis albę, & valuulis erui bubus medentur, nonnulli pellem serpentis obtritam cum vino miscent.* Et quia liquorem vnum alteri infundere, est illos confundere, & miscere, Plinius lib. 14. cap. 4. ait: *Vino antiquissima claritas, Maroneo in Thraciæ maritima parte genito, vt autor est Homerus, neque enim fabulosa, aut de origine variè prodita consectamur, præterquam Aristæum primum omniū in eadem gente mel miscuisse vino, suauitate præcipua vtriusque naturæ spontè prouenientis Maroneum, vicies tanto addito aquę miscēdum,*

*Ho-*

*Homerus prodidit.* Ex quo factum, vt ministrare, seu præbere potum, etiam merum, cœperit dici misceri, sic Iuuenalis sat. 5 versu 59.

*Tu Getulum Ganymedem*
*Respice, quum sities, nescis tot millibus emptus*
*Pauperibus miscere puer.*

Hic tamen miscere sumitur propriè pro confundere: à qua tamen proprietate, translata est vox ad significandam confusionem qualitatum sapientię, atque stultitiæ.

*NEFAS* est indignum fari, seu, de quo sermo habeatur. Sic Cicero de senectute: *Quorsũ igitur hæc tam multa de Maximo? quia profectò videtis nefas esse dictu, miseram fuisse talem senectutem.* Sic Virg. 4. Æneid. vers. 563.

*Illa dolos, dirumq; nefas in pectore versat.*

Et Horat. 1. Carminum ode 24.

*Durum, sed leuius fit patientia*
*Quidquid corrigere est nefas.*

*CÆTERA*, in reliquis, quoad negotia alia. Sic Martialis lib. 13 epigr. 78.

*Hic scarus ęquoreis, qui venit obæsus ab vndis*
*Visceribus bonus est, cætera vile sapit.*

*FOSSOR*, qui terram fodit sarculo, aut ligone. Sic Horat. 1. Carminum ode 1.

*Gaudentem patrios findere sarculo Agros.*

Et Ouid. 5. Fastorum:

*Bella diu tenuere viros, erat aptior ensis*
*Vomere, cedebat taurus arator, equo*
*Sarcula cessabant, versiq; in pila ligones,*
*Factaq; de rastri pondere cassis erat.*

Et Plinius lib. 18 capite 19. *Tantumq; est laboris homini, vt etiam boum vice fungatur: certè sine hoc animali, montanę gentes sarculis arant.*

Et Palladius de RR. in mense Augusto, seu lib. 9. titulo 9. *In fodiendis puteis, cauendum est fossorum periculum, quoniam plerumq; terra sulphur, alumen, bitumen educit: quorum spiritus misti anhelitum pestis exhalant, & occupatis statim naribus, extorquent animas, nisi quis fugæ sibi velocitate succurrat. Prius ergo quam descendatur ad intima, in eis locis lucernam ponis accensam, quæ si extincta non fuerit, periculum non timebis; si vero extinguatur, cauendus est locus quem spiritus mortifer occupabit. Quod si alio loco aqua non potest inueniri, dextra læuaque puteos fodiemus, vsque ad aquę ipsius libramentum, & ab his foramina hinc inde patefacta, velut nares intus agemus, qua nocens spiritus euaporet: quo facto, latera puteorum structura suscipiat.* Hi autem fossores, vtpotè rustici, & quasi terræ quam colunt, assiduè affixi, inepti ad numerosam videntur saltationem. Verum hic per metaphoram dicere intendit, ne sperare velis, vt qui tota vita insipienter, ac stultè te gesseris, in aliquo núnc negocio, studiosè valeas operari. Et ita repetit sententiam immediatè ante dictam, nō posse stultum semunciam saltem recti habere.

*TRES tamen ad numeros.* Numerus est multitudo mensurata per vnum, & obiectum Arithmeticę, ac iuxta varias modificationes, ratione adhærentium circumstantiarum, diuersificat scientias Arithmeticæ subalternatas: inter quas est musica, quæ numerum considerat sub ratione harmonici. Verum numerus nedum dicitur de concentu harmonico, qui appellatur rithmus, & est in vocibus, atq; sonis,

sonis, sed etiam de eo, qui est in gestibus, & motibus corporis, nam & hi ad numerum fiunt. De numero sic Macrobius ad somnium Scipionis lib.2.cap.1.ait: [ Ex omni innumera varietate numerorum, pauci & numerabiles inuenti sunt, qui sibi ad conficiendam musicam conuenirent: sunt autem hi sex omnes, Epitritus, Hemiolius, Duplaris, Triplaris, Quadruplus, & Epogdous. Et est Epitritus, quum de duobus numeris maior habet totum minorem, & insuper eius tertiam partem, vt sunt quatuor ad tria, nam in quatuor sunt tria, & tertia pars trium, idest vnum; & is numerus vocatur Epitritus, deque eo nascitur symphonia, que appellatur διάτεσσάρων. Hemiolius est, quum de duobus numeris maior habet totum minorem, & insuper eius medietatem, vt sunt tria ad duo, nam in tribus sunt duo, & media pars duorum, idest vnum: Ex hoc numero, qui Hemiolius dicitur, nascitur symphonia, quæ appellatur διαπέντε. Duplaris numerus est, quum de duobus numeris, minor bis in maiori numeratur, vt sunt quatuor ad duo: & ex hoc Duplari numero nascitur symphonia, cui nomen est διάπασῶν. Triplaris autem, quum de duobus numeris minor ter in maiori numeratur, vt sunt tria ad vnũ: & ex hoc numero symphonia procedit, quę dicitur διαπασῶν κὶ διαπέντε. Quadruplus est, quum de duobus numeris, minor quater in maiore numeratur, vt sunt quatuor ad vnum: qui numerus facit symphoniam, quam dicũt δὶς διαπασῶν. Epogdous est numerus, qui intra se habet minorem, & insuper

eius octauam partem, vt nouem ad octo, quia in nouem sunt octo, & insuper octaua pars eorum, idest vnum. Hic numerus sonum parit, quem, Tonon musici vocauerunt. Sonum vero tono minorem, veteres quidem semitonium vocitare voluerunt, sed non ita accipiendum est, vt dimidius tonus putetur, quia nec semiuocalem in litteris pro medietate vocalis accipimus. Deinde tonus per naturam diuidi in duo sibi ęqua non poterit, quum enim ex nouenario numero constet, nouem autem numquam æqualiter diuidantur, tonus in duas diuidi medietates recusat: sed semitonium vocitauerunt sonum tono minorem, quem tam paruo distare à tono deprehensum est, quantum hi duo numeri inter se distant, idest 243. & 256. Hoc semitonium Pythagorici quidem veteres Diesin nominabant: sed sequens vsus sonum semitonio minorem, Diesin constituit nominandum. Plato semitoniū λεῖμμα vocitauit. Sunt igitur symphoniæ quinque, idest διὰ τεσσάρων διὰ πέντε, διὰ πασῶν, διὰ πασῶν καὶ διὰ πέντε δὶς διὰ πασῶν. Sed hic, numerum symphoniarum ad musicam pertinet, quem vel flatus humanus intendere, vel capere potest humanus auditus. Vltra autem se tendit harmonię cœlestis accessio, idest vsq; ad quater διὰ πασῶν καὶ διὰ πέντε. Nunc interim de his, quas nominauimus, differamus. Symphonia diatesseron constat de duobus tonis & semitonio, vt minutias, quæ in additamento sunt, relinquamus, ne difficultatem creemus: & fit ex Epitrito. Diapente constat ex tribus tonis, & semitonio, & fit de Homiolio.

lio. Diapason constat de sex tonis, & fit de duplari. Sed Diapason, & Diapente constat ex nouem tonis, & hemitonio, & fit de triplari numero. Dis autem diapason, continet tonos duodecim, *& fit ex quadruplo.* De eisdem numeris, seu de musica inter alia hæc habet Athenæus lib. 14. cap. 10. *Musica facultas mores instituit, iracundiam mitigat, minusque rectis mentibus moderatur. Idcirco Clinias Pythagoricus, vt testatur Chamæleon Ponticus, quum & viuendi ratione, & moribus, paulo esset difficilior, si quando ob iracundiam se grauem esse sentiret, lyram accipiens, eam pulsabat: ad percunctantes autem causam, respondebat, mitigor. Achilles etiam Homericus cythara leniebatur, quam solam ex Eetionis spolijs Homerus illi permisit, qua illius iracundiam posset cohibere. Solo igitur hoc musicę genere vsus est in Iliade. Quod morbi etiã musica curentur, testatur Theophrastus in libro de afflatione Numinis, vbi Ischiacos scribit sanos fieri, si more Phrygio harmoniam aliquis indigena illis accinerit. Hanc harmoniam Phryges primi inuenerunt, atque in manus alijs tradiderunt. Quare efficitur, vt tibicines apud Gręcos Phrygij, ac seruiles postea vocitentur, cuiusmodi Sambas est, & Adon, & Telus apud Alcmanem: apud Hipponactem Ceon, Codalus, & Bathys, de quo etiam extat prouerbium in eos, qui semper peius tibia canunt: & Ceon, aut Bathys modulatur. Aristoxenus ipsius inuentionem Hyagnidi Phrygio adscribit: Heraclides vero Ponticus lib. de musica 3. neque harmoniam quidem appellandam esse Phrygium scribit, neque Lydium, quum tres sint omnino har-*

*moniæ, ac tria Græcorum genera, Dorici, Aeoles, Iones: quum maxima sit differentia inter horum mores. Cæteris Doricis diligentius Lacedæmonij patria instituta obseruant: Thessali vero (isti enim generis initium ab Aeolibus acceperunt) simillimam prorsus viuendi rationem obseruant. At Ionum plurima multitudo immutata est, quia semper à potentioribus barbaris imperantibus, huc illuc transferuntur. Eam igitur melodiam institutionem, quam Dorici constituerunt, harmoniam Doricam appellarunt: atque Aeolida, eam harmoniam, quam Aeoles canebant: Ionicam tertiam dixerunt, quam audiuerunt cantari ab Ionibus. Harmonia igitur Dorica strenuitatem, magnificentiamque quamdam præfefert, non autem quidpiam hians, & hilare, sed tristè, ac vehemens, neque uarium, neque uersutum. Atque Aeolum mos quiddam habet contumax, & superbum, ac laxum præterea, quod eorum educationi equorum, hospitibusque accipientis assentitur. Non astutum quidem habet, sed exemptionem, ac fiduciam quamdam: quo efficitur ut illis familiare sit studium, potui indulgere, resque Venereæ, atque omnis circa uiuendi rationem ipsam relaxatio: hinc accidit, ut consuetudinem seruent harmoniæ hypodoriæ uocatę: est autem ea, quæ dicta est ab Aeolis, sicuti asserit Heraclides, Lasusque Hermioneus in hymno ad Cererem Hermionem, hoc pacto: Cererem cano puellam Plutonis uxorem Melibœum hymnum, legens Aeolida simul grauiter frementẽ harmoniã. Has cãtilenas hypodorias omnes concinunt. Quoniam igitur cantilena est hypodoria, & cantilenas merito Aeolida harmoniam esse Lasus attestatur, scribit*

*ali-*

*alicubi Prasinas.* Nec quæ remissa, rursus incitata, quæ est Sectare, quæ sit Aeolum, sed per media Atua Aeoliza cantibus profectus hinc. *Et manifestius inquit in sequentibus Aeolis harmonia omnibus audacter loquentibus cantilena conuenit. Prius enim, vti dicebam, Aeolida ipsam vocarunt, ac postea hypodorium. Constituta est inter tibias, vt affirmant nonnulli, qui eam sub Dorium harmoniam collocarunt. Mihi vero videntur ij, qui fastum probitatisque simulatam in harmonię moribus viderunt, Dorium quidem ipsam non existimasse: at illi rationem quadam similem, quare hypodorium appellarunt, sicuti albo simile subalbum dicimus, atque non dulce quidem, dulci tamen propinquius, subdulce dicimus sic etiam hypodorium, non omnino Dorium. In sequentibus vero Milesiorum morem consideremus, quem Iones ostendunt in corporibus benè habentibus: superbia, iracundiaque sunt pleni, difficulter reconciliantur, contentiosè, nihil humanum, nihil suaue admittunt, duritiem, asperitatemq; ostendunt in moribus: quamobrem neque Ionicum harmoniæ genus floridum quidpiam, aut iucundum, sed austerum, durumque habet, continet etiam quemdam non ignobilem fastum, quamobrem harmonia persimilis est tragœdiæ. Præsentium vero Ionum mores sunt delicatissimi, ac eo quod sequitur multũ differt harmoniæ institutum. Scriptum reliquis Pythermũ Teium obscuras cantilenas in hoc suo genere harmonię fecisse, atque quum poeta esset Ionicus, Ionicam harmoniam fuisse vocatum. Hic estis Pythermus, de quo mentionem fecit Ananius Hipponax hoc pacto in Iambis:* Aurum refert Pythe-

thermus, atque nil aliud. Dicit autem ita *Pythermus: nihil igitur erant reliqua, nisi aurum. Nonne & iuxta hanc rationem consentaneum est, vt Pythermus, qui inde extitit, institutionem cantilenarum fecerit, quæ moribus Ionum conueniat? Quare Ionicam non esse harmoniam censeo, at admirabilem potius quemdam harmoniæ morem; ij sunt igitur contemnendi, qui differentias secundum singulas formas speculari, cognoscereque minimè possunt, at sonorum, vel grauitatem sequuntur, vel acumen, at Hypermixolydũ harmoniam constituunt, atque super hanc rursus aliam. Non enim Hyperphrygium, quæ propriũ, peculiaremque morem habeat perspicio, quamuis dicant nonnulli aliam nouam harmoniam Hyperphrygium se inuenisse. Opus est autem, vt harmonia formam, vel affectus habeat, vel moris, velut Locrensis, qua vsi sunt nonnulli eorum, qui Simonidis, aut Pindari tempestate floruerunt, ac postea contemptui est habita. Sunt igitur tres harmoniæ, veluti antea dicebamus, quot etiam numero sunt genera.* Verum nunc poeta non tam loquitur de eo numero, qui est in sonis & vocibus, quam de eo, qui est in motu, & gestu corporis, de quo idẽ Athenæus l.14 c.11. ait: [ Sũt tres saltationes poesis scenicę, Tragica, Comica, Satyrica: similiter vero lyricæ poesis tres sunt species, Pyrrhica, Gymnopœdica, Hyporchematica. Atque Pyrrhica satyricæ, est persimilis, ambæ siquidem cum velocitate exercentur, Pyrrhica vero militaris esse videtur, quam pueri armati saltabant: opus est autem velocitate in rebus bellicis, & ad insequendum, & ad fugiendum, quum ita res tulerit,

rit,neque expectare conuenit,neque aliquando malos esse vereri. Gymnopœdica Tragicæ saltationi est simillima, quæ Emmelia vocatur, ac in vtraque & grauitas conspicitur, & dignitas. Hyporchematicam Comicę comparari conuenit,quæ Cordax nuncupatur, ioco plenæ sunt ambæ. ] De eadem re sic habet Alexander ab Alexandro lib.2.cap.25. Saltationis genera, & motus Ionicos, Romanam iuuentutem ediscere, quandoque in vsu fuisse: siquidem Iones psallendi normam, & molles saltus primi inuenisse traduntur. Itaque ingenuos pueros,etiam Senatorũ filios,schola egressos,ad ludum saltatorium frequentes cõmeare,& cum crotalis,neruorumque & tibiarum cantibus, ad numerum,certo motu,psallere,antiquę disciplinæ fuit.Quod apud Græcos,Persas atque Indos, dignum laude, & requisitæ artis fuisse, Homero teste probatur, qui inter cætera ludicra liberalia,saltationem ponit: quippe saltare habent Persæ,& equitare præcipuum. Lacedæmonij,quoque, saltationem,tamquam ad bellum vtilem, vt gressu composito incederent, inter quotidianas disciplinas habuere. Et vt concinna fieret motio in congrediendis hostibus, pueri nudi saltare didicerũt. Quare Epaminũdas & saltasse, & cãtasse dicitur probe, quas etiã per genera, & modos distinxerũt, vt Pod smus,& Siphismus modus,Comus,& Tetracomus in hostiũ congressu fierent. Ascholiasmus vero Baccho dicatus erat,vbi in theatro super vtres obductos, vno pede saltãt. Colabrismus,Phalicus, Bactriasmus,Strobilus,Apocinus,& ℓ psisis, aliaque saltationum genera, diuerso quoque

gestu, & modo erant in quotidiano magis vsu frequentia. Et tamen saltatio non vbique & passim, sed in tempestiuo conuiuio, deliciarũ causa, si quando præstabatur, laudi fuit, quippe cantus, & saltatio, Homero teste, conuiuij appendices sunt, modesta tamen, non impudens, qualis fuit Hippoclidis, qui apud Clisthenem futurum socerum, dum intempestiuè saltat, & gesticulatur, illum desaltasse matrimonium, Clisthenes dixit. Plinius etiam l. 7. cap. 48. refert: *Stephanionem (qui primus togatus saltare instituit) vtrisque secularibus ludis saltasse, & D. Augusti, & quos Claudius Cæsar, Consulatu suo quarto fecit* Eodemque lib. 7. cap 56. ait: *Saltationem armatam Curetes docuere, pyrrhicen Pyrrhus, vtramque in Creta.* Et de his numeris nunc loquitur, prohibens rusticum fossorem, terræ quodammodo affixum, & implantatum velle moueri ad tres numeros satyri Bathylli. Sed quur ad tres dixit? Nodũ passim transeunt interpretes, nisi quod aliqui ad tres, idest ad paucos actus artificiosos exponunt, sed ex relatis ex Athenæo, liquet, quur ad tres dixerit, nam tam harmoniarum, quam saltationum tria dixit esse genera, in quibus, vt Bathyllus excelluit, ita vanum erat sperare, fossorem aptè posse moueri.

*SATYRI*, quos aliqui per V, saturos scribere maluerũt, dicti à σάθης pene, quem semper habent erectum. Vnde Macrobius lib. 1. cap. 8. Propter abscissorum pudendorum fabulam, etiam nostri eum Saturnum vocitauerunt à σάθην, quod membrum virile declarat, veluti Sathurnum: vnde satyros etiam veluti Sathuros, quod sint in libidinem proni, appellatos

latos opinantur. Dicti sunt autem Satyri Panos soboles: de quibus sic Plinius lib 7 cap. 2. *Sunt & Satyri subsolanis Indorum montibus ( Carthadulorum dicitur regio ) pernicissimum animal, tum quadrupedes, tum rectè currentes, humana effigie propter velocitatem nisi senes, aut ægri, non capiuntur*. Et idem lib 6. cap. 30. ait: *Sita est Ethiopia ab Oriente hyberna ad occidentem hybernum Meridiano cardine, silue hebeno maximè virent: à media eius parte imminens mari mons excelsus æternis ardet ignibus, Theon Ochema dictus Græcis, à quo nauigatio quatridui ad promontorium, quod Hesperion ceras vocatur, confine Africæ iuxta Æthiopes Hesperios Quidam & in eo tractu modicos colles amœna opacitate vestitos, Ægipanum, Satyrorũque produnt.* Idem lib. 8. cap. 54. refert, Satyros mitissimæ esse naturæ. Et lib. 10. cap. 7. ait: *Condit in thesauris maxillarũ cibum sphingiorum, & satyrorum genus, mox inde sensim ad mandendum manibus expromit, & quod formicis in annum sollemne est, his in dies, vel horas.* Ex quibus inter alia habes Ægipanos, seu semicapros, satyrosq; animalia esse velocissima. Sic Virg. eclog. 5. versu 72.

*Cantabunt mihi Damœtas, & Lictius, Ægon.*
*Saltantes Satyros imitabitur Alphesibæus,*

quia videlicet ob pedum pernicitatem ad saltandum erant aptissimi. Sed hic quid Casanbono dicam, nescio, nisi eum vnum inuentum esse, qui studiosissimè, veteres quæsiuerit autores deprauare. Dixerat certè, & rectè in Commentario huius loci, Bathyllum primum cum Pylade gesticulationem Pantomimicam

Ro-

*habent incuruum bathillum, in quo sit extremo serrula ferrea: hęc quum comprehendit fascem spicarum desecat, & stramenta stantia in segete relinquit, vt postea subsecentur.* Alius item batillus, seu vatillus est instrumentum ferreum, aut ligneum, quo prunæ in igne versantur, de quo Plinius lib. 33. cap. 8. *Argenti duæ differentiæ batillis ferreis candentibus, ramento imposito, quod candidum permaneat, probatur: proxima bonitas ruffo, nulla nigro. Sed experimento quoque fraus interuenit, seruatis in virorum vrina batillis, inficitur ita ramentum obiter dũ vritur, candoremque mentitur.* Batilli etiam dicebantur vasa, quibus vtebantur in mensis ad suaues thuris, & similium suffitus, & ne cibi frigerent. Hinc vetus Horatij interpres, ad illa verba 1. serm. sat. 5.

*insani ridentes præmia scribæ*
*Prætextam, & lati clauum, prunæq; batillũ,*

ait: *Vatillum, diminutiuum à vase, est uas paruũ, in quo pro felici hospitum aduentu, incensis odoribus, Ioui hospitali sacra fiebant: est & uatillum in quo ponuntur prunæ in hyeme super mensam, ne cœna frigeat.* Batillis etiam istis cum thure vtebantur, quo hospites grato oblectarent odore, vnde legimus in Abdia Babylonico l. 9. historiæ Apostolicæ. Erant virgines cum lyris cantantes, alij cum tibijs, alij cum tympanis, alij cum batillis, & thuribulis. Denique batillum erat instrumentum, quo purgabantur augiæ, siue haræ, de quo Varro RR. lib. 3. c 6. *Pastorem earum,* pauonum, *cum batillo circumire oportet, ac stercus tollere, ac conseruare, quod & ad agriculturam idoneum est, & ad substramen*

*men pullorum.* Batillus etiam est ferreum instrumentum, cuius ligni manubrio innitentes rustici, fossas excauant: & ita poeta æquiuocatione lusit, nam rustici, quo ferrea pala huius instrumenti terræ infigatur, ligneum manubrium etiã pectore premunt, ita vt salire videãtur, saltu tamẽ inepto, & minimè numerosso, nec conferẽdo cum illo Satyri Bathylli.

*LIBER ego. Vnde datum hoc sumis tot subdite rebus? An dominum ignoras nisi quem vindicta relaxat?* Repetit poeta verba Damæ, vt ea falsificatis, & ipsum arguat ignorantiæ, vt qui nesciret, alium, immo & quam multos alios esse dominos, præter illum à cuius seruitute per Prætoris virgam fuerat liberatus, qui domini, passiones inordinatæ sunt, vt docet etiam Xenophon in Oeconomico, dicens: [ At profectò magnopere clari, ijdemque flagitiosi, qui te minimè latent, si flagitium putas ocium, molliciem animi, negligentiam: adde his aleam, inutiles sodalitates, aliaq; huiuscemodi, quæ tamquam domini, specie voluptatis decipiunt. Temporis spacio demum deceptis, non quidem voluptates esse, sed dolores apparent, quæ prohibent illos in actionibus vtilibus versari. Alij vero nonnulli minimè prohibentur, quin potius solertes in agendo sunt, operamque dant rei parandæ, ac vt redditus plures consequantur: verum cupiditatibus, ac libidinibus dediti, domos labefactant. Horum igitur alij serui sũt gulæ, alij luxuriæ, nonnulli temulentiæ, quidam etiam stultæ cuiusdam ambitionis, aut impensè vitijs addicti, ita tenentur ab eis, donec florente ætate

à Græco λίτη precor, aut supplico: vnde litaniæ, non letaniæ, vt scribunt referentes ad lethum, seu mortem, quasi forent precationes pro mortuis.

*HÆC miscere nefas, nec quum sis cętera fossor, treis tamen ad numeros satyri mouecare Bathylli.* Miscere est confundere, vel perturbare. Sic Virg. 1. Æneid. vers. 128.

*Interea magno misceri murmure pontum,*
*Emissamque hyemem sensit Neptunus.*

Sic Cicero pro Roscio Amerino. *Verumtamen ut fit, multa sępe imprudentibus Imperatoribus, vis belli, ac turba molitur, dum is in alijs rebus erat occupatus, qui summam rerum administrabat, erat interea, qui suis vulneribus mederētur, qui tamquam si offusa Reip. sempiterna nox esset, ita ruebant in tenebris, omniaque miscebant.* Et Columella lib 6. cap. 4. *Multi & largo sale miscent pabula: quidam marrubium dederunt cum oleo, & vino: quidam porri fibras, alij grana thuris, alij sabinam herbam, rutamque cum mero diluunt, eaque medicamenta potanda prębent. Multi caulibus vitis albę, & valuulis erui bubus medentur, nonnulli pellem serpentis obtritam cum vino miscent.* Et quia liquorem vnum alteri infundere, est illos confundere, & miscere, Plinius lib. 14. cap. 4. ait: *Vino antiquissima claritas, Maroneo in Thraciæ maritima parte genito, vt autor est Homerus, neque enim fabulosa, aut de origine variè prodita consectamur, præterquam Aristæum primum omniū in eadem gente mel miscuisse vino, suauitate præcipua vtriusque naturæ spontè prouenientis Maroneum, vicies tanto addito aquę miscēdum,*

*Ho-*

*Homerus prodidit.* Ex quo factum, vt ministrare, seu præbere potum, etiam merum, cœperit dici misceri, sic Iuuenalis sat. 5 versu 59.

*Tu Getulum Ganymedem*
*Respice, quum sities, nescis tot millibus emptus*
*Pauperibus miscere puer.*

Hic tamen miscere sumitur propriè pro confundere: à qua tamen proprietate, translata est vox ad significandam confusionem qualitatum sapientię, atque stultitiæ.

*NEFAS* est indignum fari, seu, de quo sermo habeatur. Sic Cicero de senectute: *Quorsū igitur hæc tam multa de Maximo? quia profectò videtis nefas esse dictu, miseram fuisse talem senectutem.* Sic Virg. 4. Æneid. vers. 563.

*Illa dolos, dirumq; nefas in pectore versat.*

Et Horat. 1. Carminum ode 24.

*Durum, sed leuius fit patientia*
*Quidquid corrigere est nefas.*

*CÆTERA*, in reliquis, quoad negotia alia. Sic Martialis lib. 13 epigr. 78.

*Hic scarus ęquoreis, qui venit obæsus ab vndis*
*Visceribus bonus est, cætera vile sapit.*

*FOSSOR*, qui terram fodit sarculo, aut ligone. Sic Horat. 1. Carminum ode 1.

*Gaudentem patrios findere sarculo Agros.*

Et Ouid. 5. Fastorum:

*Bella diu tenuere viros, erat aptior ensis*
*Vomere, cedebat taurus arator, equo*
*Sarcula cessabant, versiq; in pila ligones,*
*Factaq; de rastri pondere cassis erat.*

Et Plinius lib. 18 capite 19. *Tantumq; est laboris hominis, vt etiam boum vice fungatur: certè sine hoc animali, montanę gentes sarculis arant.*

Et Palladius de RR. in menſe Auguſto, ſeu lib. 9. titulo 9. *In fodiendis puteis, cauendum eſt foſſorum periculum, quoniam plerumq; terra ſulphur, alumen, bitumen educit: quorum ſpiritus miſti anhelitum peſtis exhalant, & occupatis ſtatim naribus, extorquent animas, niſi quis fugæ ſibi velocitate ſuccurrat. Prius ergo quam deſcendatur ad intima, in eis locis lucernam ponis accenſam, quæ ſi extincta non fuerit, periculum non timebis; ſi vero extinguatur, cauendus eſt locus quem ſpiritus mortifer occupabit. Quod ſi alio loco aqua non poteſt inueniri, dextra læuaque puteos fodiemus, vſque ad aquę ipſius libramentum, & ab his foramina hinc inde patefacta, velut nares intus agemus, qua nocens ſpiritus euaporet: quo facto, latera puteorum ſtructura ſuſcipiat.* Hi autem foſſores, vtpotè ruſtici, & quaſi terræ quam colunt, aſſiduè affixi, inepti ad numeroſam videntur ſaltationem. Verum hic per metaphoram dicere intendit, ne ſperare velis, vt qui tota vita inſipienter, ac ſtultè te geſſeris, in aliquo nunc negocio, ſtudioſè valeas operari. Et ita repetit ſententiam immediatè ante dictam, nō poſſe ſtultum ſemunciam ſaltem recti habere.

*TRES tamen ad numeros.* Numerus eſt multitudo menſurata per vnum, & obiectum Arithmeticę, ac iuxta varias modificationes, ratione adhærentium circumſtantiarum, diuerſificat ſcientias Arithmeticæ ſubalternatas: inter quas eſt muſica, quæ numerum conſiderat ſub ratione harmonici. Verum numerus nedum dicitur de concentu harmonico, qui appellatur rithmus, & eſt in vocibus, atq; ſonis,

sonis, sed etiam de eo, qui est in gestibus, & motibus corporis, nam & hi ad numerum fiunt. De numero sic Macrobius ad somnium Scipionis lib.2.cap.1.ait: [ Ex omni innumera varietate numerorum, pauci & numerabiles inuenti sunt, qui sibi ad conficiendam musicam conuenirent: sunt autem hi sex omnes, Epitritus, Hemiolius, Duplaris, Triplaris, Quadruplus, & Epogdous. Et est Epitritus, quum de duobus numeris maior habet totum minorem, & insuper eius tertiam partem, vt sunt quatuor ad tria, nam in quatuor sunt tria, & tertia pars trium, idest vnum; & is numerus vocatur Epitritus, deque eo nascitur symphonia, quę appellatur διὰτεσσάρων. Hemiolius est, quum de duobus numeris maior habet totum minorem, & insuper eius medietatem, vt sunt tria ad duo, nam in tribus sunt duo, & media pars duorum, idest vnum: Ex hoc numero, qui Hemiolius dicitur, nascitur symphonia, quæ appellatur διαπέντε. Duplaris numerus est, quum de duobus numeris, minor bis in maiori numeratur, vt sunt quatuor ad duo: & ex hoc Duplari numero nascitur symphonia, cui nomen est διάπασῶν. Triplaris autem, quum de duobus numeris minor ter in maiori numeratur, vt sunt tria ad vnũ: & ex hoc numero symphonia procedit, quę dicitur διαπασῶν κὶ διαπέντε. Quadruplus est, quum de duobus numeris, minor quater in maiore numeratur, vt sunt quatuor ad vnum: qui numerus facit symphoniam, quam dicũt δὶς διαπασῶν. Epogdous est numerus, qui intra se habet minorem, & insuper

eius octauam partem, vt nouem ad octo, quia in nouem sunt octo, & insuper octaua pars eorum, idest vnum. Hic numerus sonum parit, quem, Tonon musici vocauerunt. Sonum vero tono minorem, veteres quidem semitonium vocitare voluerunt, sed non ita accipiendum est, vt dimidius tonus putetur, quia nec semiuocalem in litteris pro medietate vocalis accipimus. Deinde tonus per naturam diuidi in duo sibi ęqua non poterit, quum enim ex nouenario numero constet, nouem autem numquam æqualiter diuidantur, tonus in duas diuidi medietates recusat: sed semitonium vocitauerunt sonum tono minorem, queat tam paruo distare à tono deprehensum est, quantum hi duo numeri inter se distant, idest 243. & 256. Hoc semitonium Pythagorici quidem veteres Diesin nominabant: sed sequens vsus sonum semitonio minorem, Diesin constituit nominandum. Plato semitoniũ λεῖμμα vocitauit. Sunt igitur symphoniæ quinque, idest διὰ τεσσάρων διὰ πέντε, διὰ πασῶν, διὰ πασῶν καὶ διὰ πέντε δὶς διὰ πασῶν. Sed hic, numerum symphoniarum ad musicam pertinet, quem vel flatus humanus intendere, vel capere potest humanus auditus. Vltra autem se tendit harmonię cœlestis accessio, idest vsq; ad quater διὰ πασῶν καὶ διὰ πέντε. Nunc interim de his, quas nominauimus, differamus. Symphonia diatesseron constat de duobus tonis & semitonio, vt minutias, quæ in additamento sunt, relinquamus, ne difficultatem creemus: & fit ex Epitrito. Diapente constat ex tribus tonis, & semitonio, & fit de Homiolio.

lio. Diapason constat de sex tonis, & fit de duplari. Sed Diapason, & Diapente constat ex nouem tonis, & hemitonio, & fit de triplari numero. Dis autem diapason, continet tonos duodecim, *& fit ex quadruplo.* De eisdem numeris, seu de musica inter alia hæc habet Athenæus lib. 14. cap. 10. *Musica facultas mores instituit, iracundiam mitigat, minusque rectis mentibus moderatur. Idcirco Clinias Pythagoricus, vt testatur Chamæleon Ponticus, quum & viuendi ratione, & moribus, paulo esset difficilior, si quando ob iracundiam se grauem esse sentiret, lyram accipiens, eam pulsabat: ad percunctantes autem causam, respondebat, mitigor. Achilles etiam Homericus cythara leniebatur, quam solam ex Eetionis spolijs Homerus illi permisit, qua illius iracundiam posset cohibere. Solo igitur hoc musicę genere vsus est in Iliade. Quod morbi etiā musica curentur, testatur Theophrastus in libro de afflatione Numinis, vbi Ischiacos scribit sanos fieri, si more Phrygio harmoniam aliquis indigena illis accinerit. Hanc harmoniam Phryges primi inuenerunt, atque in manus alijs tradiderunt. Quare efficitur, vt tibicines apud Gręcos Phrygij, ac seruiles postea vocitentur, cuiusmodi Sambas est, & Adon, & Telus apud Alcmanem: apud Hipponactem Ceon, Codalus, & Bathys, de quo etiam extat prouerbium in eos, qui semper peius tibia canunt: & Ceon, aut Bathys modulatur. Aristoxenus ipsius inuentionem Hyagnidi Phrygio adscribit: Heraclides vero Ponticus lib. de musica 3. neque harmoniam quidem appellandam esse Phrygium scribit, neque Lydium, quum tres sint omnino har-*

*moniæ, ac tria Græcorum genera, Dorici, Aeoles, Iones: quum maxima sit differentia inter horum mores. Cæteris Doricis diligentius Lacedæmonij patria instituta obseruant: Thessali vero (isti enim generis initium ab Aeolibus acceperunt) simillimam prorsus viuendi rationem obseruant. At Ionum plurima multitudo immutata est, quia semper à potentioribus barbaris imperantibus, huc illuc transferuntur. Eam igitur melodiam institutionem, quam Dorici constituerunt, harmoniam Doricam appellarunt: atque Aeolida, eam harmoniam, quam Aeoles canebant: Ionicam tertiam dixerunt, quam audiuerunt cantari ab Ionibus. Harmonia igitur Dorica strenuitatem, magnificentiamque quamdam præsefert, non autem quidpiam hians, & hilare, sed tristè, ac vehemens, neque uarium, neque uersutum. Atque Aeolum mos quiddam habet contumax, & superbum, ac laxum præterea, quod eorum educationi equorum, hospitibusque accipientis assentitur. Non astutum quidem habet, sed exemptionem, ac fiduciam quamdam: quo efficitur ut illis familiare sit studium, potus indulgere, resque Venereæ, atque omnis circa uiuendi rationem ipsam relaxatio: hinc accidit, ut consuetudinem seruent harmoniæ hypodoriæ uocatę: est autem ea, quæ dicta est ab Aeolis, sicuti asserit Heraclides, Lasusque Hermioneus in hymno ad Cererem Hermionem, hoc pacto: Cererem cano puellam Plutonis uxorem Melibœum hymnum, legens Aeolida simul grauiter frementē harmoniā. Has cātilenas hypodorias omnes concinunt. Quoniam igitur cantilena est hypodor. a, & cantilenas merito Aeolida harmoniam esse Lasus attestatur, scribit alt-*

*alicubi Pratinas*. Nec quæ remissa, rursus incitata, quæ est Sectare, quæ sit Aeolum, sed per media Atua Aeolica cantibus profectus hinc. *Et manifestius inquit in sequentibus Aeolis harmonia omnibus audacter loquentibus cantilena conuenit. Prius enim, vti dicebam, Aeolida ipsam vocarunt, ac postea hypodorium. Constituta est inter tibias, vt affirmant nonnulli, qui eam sub Dorium harmoniam collocarunt. Mihi vero videntur ij, qui fastum probitatisque simulatam in harmoniæ moribus viderunt, Dorium quidem ipsam non existimasse: at illi rationem quadam similem, quare hypodorium appellarunt, sicuti albo simile subalbum dicimus, atque non dulce quidem, dulci tamen propinquius, subdulce dicimus sic etiam hypodorium, non omnino Dorium. In sequentibus vero Milesiorum morem consideremus, quem Iones ostendunt in corporibus benè habentibus: superbia, iracundiaque sunt pleni, difficulter reconciliantur, contentiosè, nihil humanum, nihil suaue admittunt, duritiem, aspertatemq; ostendunt in moribus: quamobrem neque Ionicum harmoniæ genus floridum quidpiam, aut iucundum, sed austerum, durumque habet, continet etiam quemdam non ignobilem fastum, quamobrem harmonia persimilis est tragœdiæ. Præsentium vero Ionum mores sunt delicatissimi, ac eo quod sequitur multũ differt harmoniæ institutum. Scriptum reliquis Pythermũ Tesum obscuras cantilenas in hoc suo genere harmoniæ fecisse, atque quum poeta esset Ionicus, Ionicam harmoniam fuisse vocatum. Hic est is Pythermus, de quo mentionem fecit Anani dipponax hoc pacto in Iambis:* Aurum refert Py-

thermus, atque nil aliud. Dicit *autem ita Pythermus: nihil igitur erant reliqua, nisi aurum. Nonne & iuxta hanc rationem consentaneum est, vt Pythermus, qui inde extitit, institutionem cantilenarum fecerit, quæ moribus Ionum conuenias? Quare Ionicam non esse harmoniam censeo, at admirabilem potius quemdam harmoniæ morem; ij sunt igitur contemnendi, qui differentias secundum singulas formas speculari, cognoscereque minimè possunt, at sonorum, vel grauitatem sequuntur, vel acumen, at Hypermixolydiũ harmoniam constituunt, atque super hanc rursus aliam. Non enim Hyperphrygium, quæ propriũ, peculiaremque morem habeat perspicio, quamuis dicant nonnulli aliam nouam harmoniam Hyperphrygium se inueniss̄e. Opus est autem, vt harmonia formam, vel affectus habeat, vel moris, velut Locrensis, qua vsi sunt nonnulli eorum, qui Simonidis, aut Pindari tempestate floruerunt, ac postea contemptui est habita. Sunt igitur tres harmoniæ, veluti antea dicebamus, quot etiam numero sunt genera.* Verum nunc poeta non tam loquitur de eo numero, qui est in sonis & vocibus, quam de eo, qui est in motu, & gestu corporis, de quo idẽ Athenæus l.14 c.12. ait: [ Sũt tres saltationes poesis scenicę, Tragica, Comica, Satyrica: similiter vero lyricæ poesis tres sunt species, Pyrrhica, Gymnopœdica, Hyporchematica. Atque Pyrrhica satyricæ, est persimilis, ambæ siquidem cum velocitate exercentur, Pyrrhica vero militaris esse videtur, quam pueri armati saltabant: opus est autem velocitate in rebus bellicis, & ad insequendum, & ad fugiendum, quum ita res tulerit,

rit, neque expectare conuenit, neque aliquando malos esse vereri. Gymnopædica Tragicæ saltationi est simillima, quæ Emmelia vocatur, ac in vtraque & grauitas conspicitur, & dignitas. Hyporchematicam Comicę comparari conuenit, quæ Cordax nuncupatur, ioco plenæ sunt ambæ. ] De eadem re sic habet Alexander ab Alexandro lib.2.cap.25 Saltationis genera, & motus Ionicos, Romanam iuuentutem edifcere, quandoque in vsu fuisse: siquidem Iones psallendi normam, & molles saltus primi inuenisse traduntur. Itaque ingenuos pueros, etiam Senatorū filios, schola egressos, ad ludum saltatorium frequentes cōmeare, & cum crotalis, neruorumque & tibiarum cantibus, ad numerum, certo motu, psallere, antiquę disciplinæ fuit. Quod apud Græcos, Persas atque Indos, dignum laude, & requisitæ artis fuisse, Homero teste probatur, qui inter cætera ludicra liberalia, saltationem ponit: quippe saltare habent Persæ, & equitare præcipuum. Lacedæmonij quoque, saltationem, tamquam ad bellum vtilem, vt gressu composito incederent, inter quotidianas disciplinas habuere. Et vt concinna fieret motio in congrediendis hostibus, pueri nudi saltare didicerūt. Quare Epaminūdas & saltasse, & cātasse dicitur probe, quas etiā per genera, & modos distinxerūt, vt Pod smus, & Siphismus modus, Comus, & Tetracomus in hostiū congressu fierent. Ascholiasmus vero Baccho dicatus erat, vbi in theatro super vtres obductos, vno pede saltāt. Colabrismus, Phalicus, Bactriasmus, Strobilus, Apocinus, & ℓ pussis, aliaque saltationum genera, diuerso quoque

Lt.

gestu, & modo erant in quotidiano magis vsu frequentia. Et tamen saltatio non vbique & passim, sed in tempestiuo conuiuio, deliciarũ causa, si quando præstabatur, laudi fuit, quippe cantus, & saltatio, Homero teste, conuiuij appendices sunt, modesta tamen, non impudens, qualis fuit Hippoclidis, qui apud Clisthenem futurum socerum, dum intempestiuè saltat, & gesticulatur, illum desaltasse matrimonium, Clisthenes dixit. Plinius etiam l. 7. cap. 48. refert: *Stephanionem (qui primus togatus saltare instituit) vtrisque secularibus ludis saltasse, & D. Augusti, & quos Claudius Cæsar, Consulatu suo quarto fecit* Eodemque lib. 7. cap 56. ait: *Saltationem armatam Curetes docuere, pyrrhicen Pyrrhus, vtramque in Creta.* Et de his numeris nunc loquitur, prohibens rusticum fossorem, terræ quodammodo affixum, & implantatum velle moueri ad tres numeros satyri Bathylli. Sed quur ad tres dixit? Nodũ passim transeunt interpretes, nisi quod aliqui ad tres, idest ad paucos actus artificiosos exponunt, sed ex relatis ex Athenæo, liquet, quur ad tres dixerit, nam tam harmoniarum, quam saltationum tria dixit esse genera, in quibus, vt Bathyllus excelluit, ita vanum erat sperare, fossorem aptè posse moueri.

*SATYRI*, quos aliqui per V, saturos scribere maluerũt, dicti à σάθης pene, quem semper habent erectum. Vnde Macrobius lib. 1. cap. 8. Propter abscissorum pudendorum fabulam, etiam nostri eum Saturnum vocitauerunt à σάθην, quod membrum virile declarat, veluti Sathurnum: vnde satyros etiam veluti Sathuros, quod sint in libidinem proni, appel-

latos

latos opinantur. Dicti sunt autem Satyri Panos soboles: de quibus sic Plinius lib 7 cap. 2. *Sunt & Satyri subsolanis Indorum montibus (Carthadulorum dicitur regio) pernicissimum animal, tum quadrupedes, tum rectè currentes, humana effigie propter velocitatem nisi senes, aut ægri, non capiuntur.* Et idem lib 6. cap. 30. ait: *Sita est Ethiopia ab Oriente hyberno ad occidentem hybernum Meridiano cardine, siluę hebeno maximè virent: à media eius parte imminens mari mons excelsus æternis ardet ignibus, Theon Ochema dictus Græcis, à quo nauigatio quatriduo ad promontorium, quod Hesperium ceras vocatur, confine Africæ iuxta Æthiopes Hesperios. Quidam & in eo tractu modicos colles amœna opacitate vestitos, Ægipanum, Satyrorūque produnt.* Idem lib. 8. cap. 54. refert, Satyros mitissimæ esse naturæ. Et lib. 10. cap. 7. ait: *Condit in thesauris maxillarū cibum sphingiorum, & satyrorum genus, mox inde sensim ad mandendum manibus expromit. & quod formicis in annum sollemne est, his in dies, vel horas.* Ex quibus inter alia habes Ægipanos, seu semicapros, satyrosq; animalia esse velocissima. Sic Virg. eclog. 5. versu 72.

*Cantabunt mihi Damoetas, & Lictius, Ægon.*
*Saltantes Satyros imitabitur Alphesibœus,*

quia videlicet ob pedum pernicitatem ad saltandum erant aptissimi. Sed hic quid Casanbono dicam, nescio, nisi eum vnum inuentum esse, qui studiosissimè, veteres quæsiuerit autores deprauare. Dixerat certè, & rectè in Commentario huius loci, Bathyllum primum cum Pylade gesticulationem Pantomimicam

Ro-

Romā intulisse,& subdiderat,Satyrus Bathyllus,non quia saltat satyrū, vt dicimus saltare Medæam, vel Canacem, sed quia non minus benè quam satyrus saltat, nam saltare proprium est satyrorum. Sed immediatè post,mēte in deterius mutata, maluit textum deprauare, legendo: Tres tamen ad nūmeros satyrū moueare Bathylli,quam communem sequi lectionem. Quam emēdationem(deprauationem potius) gloriatur se primum inuenisse, eamq; deinde sequutus est Farnabius, non alia de causa,nisi quia legerat Horatium dicentem lib.2. epist.2.

*Ludentis speciem dabit,& torquebitur, vt qui*
*Nunc Satyrū,nunc agrestem Cyclopa mouetur,*

quasi oportuerit vbique & etiam hic, Horatianam phrasim Persium imitari, nec sit elegantissimum dicere,quem moueri ad numeros satyri Bathylli: sed stomachor tantas in hoc vno commentatore inuenire deprauationes.

*BATHYLLI.* Quis fuerit Bathyllus iste, quæsitum.Fuit enim Bathyllus quidam Phorci marini monstri filius:alius excellēs in Tragœdijs, in Comœdijs vero non adeo felix. Tertius Anacreontis poetæ amasius, de quo Horatius Epodo ode 14.

*Non aliter Samio dicunt arsisse Bathyllo*
*Anacreonta Teium.*

Sed de nullo horum intelligit. Sunt & alij: vnus memoratus à Cornuto,& relatus à Stelluto, libertus Mecenatis. Alius à Fontio, & Bond, qui Neronis æuo formosus erat adolescēs,ioculator,& saltator eximius, qui ob pedum agilitatem satyri meruit appellationem: qui

qui alius fuit à liberto Mecenatis, quum ab Augusti (cuius obitum præcessit mors Mecenatis) ad primum Neronis annum, anni intercesserint saltem vnum, & quadraginta, idest tres, & viginti Tiberij, quatuor Caligulæ, & quatuordecim Claudij, vt non potuerit libertus Mecenatis Neronis æuo esse formosus adolescens. Tertius fuit æui posterioris, de quo Iuuenalis ait sat.6.versu 63.

*Chironomon Ledam molli saltante Bathyllo*
*Tuccia vesicę non imperat, Appula gannit.*

Quartus, de quo puto poetam intellexisse, est cuius meminit Athenęus, dicens lib.1.cap.16. *Huius saltationis Tragicæ appellatæ, primus extitit introductor Bathyllus Alexandrinus, quem Seleucus legitimè saltasse asseuerat. Hũc Bathyllum scribit Aristonicus, & Pylades, cuius extat quoddam de saltationibus volumen, Italicam inuenisse saltationem, ex comica, quæ dicitur Chordax, ex tragica, quæ Emmelia, & ex Satyrica, quæ Sicinnis nuncupatur. Vnde Sicinnistæ Satyrici dicuntur, cuius inuentor fuit Sicinnus, vir quidam barbarus. Sunt tamen, qui Sicinnum Cretensem fuisse arbitrentur. Erat ea Pyladæ saltatio fastu plena, & affectu, laboriosaque admodum, Bathylli vero iucundior, quia saltationibus erat is idoneus, & cantilenis.* Et de hoc Bathyllo nunc intelligit, quamuis videatur præter morem nunc æquiuocatione voluisse iocari. Nam Bathyllus nedum, est nomen proprium viri, sed etiam instrumentum ferreum, cum ligneo manubrio, cui ferra affigitur, eoque messores vtuntur, vnde Varro de RR.l.1.c.50. *Altero modo metunt, vt in Piceno, vbi ligneum*

*habent incuruum bathillum, in quo sit extremo serrula ferrea: hęc quum comprehendit fascem spicarum desecat, & stramenta stantia in segete relinquit, vt postea subsecentur.* Alius item batillus, seu vatillus est instrumentum ferreum, aut ligneum, quo prunæ in igne versantur, de quo Plinius lib. 33. cap. 8. *Argenti duæ differentiæ batillis ferreis candentibus, ramento imposito, quod candidum permaneat, probatur: proxima bonitas ruffo, nulla nigro. Sed experimento quoque fraus interuenit, seruatis in virorum vrina batillis, inficitur ita ramentum obiter dū vritur, candoremque mentitur.* Batilli etiam dicebantur vasa, quibus vtebantur in mensis ad suaues thuris, & similium suffitus, & ne cibi frigerent. Hinc vetus Horatij interpres, ad illa verba 1. serm. sat. 5.

*insani ridentes præmia scribæ*
*Prætextam, & latū clauum, prunæq; batillū,*

ait: *Vatillum, diminutiuum à vase, est uas paruū, in quo pro felici hospitum aduentu, incensis odoribus, Ioui hospitali sacra fiebant: est & uatillum in quo ponuntur prunæ in hyeme super mensam, ne cœna frigeat.* Batillis etiam istis cum thure vtebantur, quo hospites grato oblectarent odore, vnde legimus in Abdia Babylonico l. 9. historiæ Apostolicæ. Erant virgines cum lyris cantantes, alij cum tibijs, alij cum tympanis, alij cum batillis, & thuribulis. Denique batillum erat instrumentum, quo purgabantur augiæ, siue haræ, de quo Varro RR. lib. 3. c 6. *Pastorem earum*, pauonum, *cum batillo circumire oportet, ac stercus tollere, ac conseruare, quod & ad agriculturam idoneum est, & ad substramen*

*men pullorum*. Batillus etiam est ferreum instrumentum, cuius ligni manubrio innitentes rustici, fossas excauant: & ita poeta æquiuocatione lusit, nam rustici, quo ferrea pala huius instrumenti terræ infigatur, ligneum manubrium etiā pectore premunt, ita vt saltare videātur, saltu tamē inepto, & minimè numeroso, nec conferēdo cum illo Satyri Bathylli.

*LIBER ego. Vnde datum hoc sumis tot subdite rebus? An dominum ignoras nisi quem vindicta relaxat?* Repetit poeta verba Damæ, vt ea falsitatis, & ipsum arguat ignorantiæ, vt qui nesciret, alium, immo & quam multos alios esse dominos, præter illum à cuius seruitute per Prætoris virgam fuerat liberatus, qui domini, passiones inordinatæ sunt, vt docet etiam Xenophon in Oeconomico, dicens: [ At profecto magnopere clari, ijdemque flagitiosi, qui te minimè latent, si flagitium putas ocium, molliciem animi, negligentiam: adde his aleam, inutiles sodalitates, aliaq; huiuscemodi, quæ tamquam domini, specie voluptatis decipiunt. Temporis spacio demum deceptis, non quidem voluptates esse, sed dolores apparent, quæ prohibent illos in actionibus vtilibus versari. Alij vero nonnulli minimè prohibentur, quin potius solertes in agendo sunt, operamque dant rei parandæ, ac vt redditus plures consequantur: verum cupiditatibus, ac libidinibus dediti, domos labefactant.. Horum igitur alij serui sūt gulæ, alij luxuriæ, nonnulli temulentiæ, quidam etiam stultæ cuiusdam ambitionis, aut impensè vitijs addicti, ita tenentur ab eis, donec florente æta-

te fiat, vtilesque rebus agendis: quum vero non amplius vtiles, statim ab eis deseruntur, seque deceptos esse sentiunt, quum ad senectutem tristem, ac miseram perueniunt imbecilli. Quare aduersus ea, ò Critobule, non minus quam contra inimicos in bello pro libertare pugnandum: quippe quum illi quandoq; iustiores inueniantur, captos ab se, & modestè sæpe viuere cogunt, & libertate sinunt vti. At huiuscemodi desinere nesciunt, vnaque corpus animumque, ac domum eorum, quos possident vsque ad extremum inquinant.] Et specialiter exemplificat in auaritia, luxuria, & ambitione: passiones istas generali nomine appellans res. Sic etiam Nyssenus libro de vita Mosis, inquit: *Multi uel ignorantia præceptorũ longius, uel temeritate, ac inconstantia, sordidum prioris uitæ fermentum in posteriorem uitam traducunt, & feros Ægypti milites post baptismũ secum adducunt. Nam qui rapina ditati sunt, aut periurio prędam possident, aut adulterio uxores duxerunt, aut aliquid uetitum ante baptismi donum commiserunt, si lauacri gratia ab his se peccatis liberatos putant, in iniuria permanentes, uehementer errant, nec possunt intelligere duris nimium se dominis quasi nexos inseruire. Crudelis enim domina, ac rabiosa luxuria est, libidine quasi stimulis seruilem mentem exagitans. Alia non minus crudelis Domina auaritia, quippe nullam unquam requiem seruientibus, sibi præbere solet, sed quanto plura dies, ac noctis laboribus, & cruciatibus imperio Dominę quæritant, cupiditatemque suam explere conantur, tanto magis anguntur, quasi nihil fecerint,*

*ma-*

*magisque inanes, ac famescentes reperiuntur. eodemque modo cætera uitia dominantur.*

*SVBDITVS* iuxta vocis ethymologiam, est subtus datus, vt submissus, quasi subtus missus, & supportare, quasi subtus portare. Sic ligna, igne subdito, idest subtus dato, vel infra posito, comburuntur. Sic testamentum subditum dicitur, quum occultato eo, quod quis confecit, publicatur aliud, quod ille non fecit. Sic partus dicitur subditus, quum infans subtractus ei mulieri, quæ eum pepererat, supponitur alteri, quæ non peperit, quasi hæc eum fuerit enixa, & mater illius. Sic Plaut. Trucul. Actu 2. scena 4.

*Mater ancillas iubet*
*Quoniam iam decumus mensis aduentat, prope*
*Aliam aliorsum ire percontari, & quærere*
*Puerum, aut puellam, qui supponantur mihi.*
*Quid multa uerba facimus? tonstricem Suram*
*Nouisti, nostras, quæ modo erga ędes habet?*
D. *Noui.*
P. *Hæc una opera circumit per familias*
*Puerum uestigat clanculum, ad me detulit*
*Datum sibi esse dixit.*
D. *O merces malę*
*Eum nunc non illa peperit, quę peperit prior,*
*Sed tu posterior.*
P. *Ordine omnem rem tenes.*

Sed omissis alijs huius vocis significationibus, subditus dicitur quis alteri, quando illius parere tenetur imperio. Et hoc modo nunc sumitur, nam Dama dicitur subditus tot rebus hoc est vitijs, & passionibus, quibus quasi dominis obedire cogebatur.

RE-

RELAXAT. Verba poetę interrogantis Damam, nũ nesciret esse aliũ dominũ præter eũ, à cuius seruitute eximere poterat Prætor per virgam Vindicta appellatam. Relaxare, est remittere, soluere, & quod tensum erat, laxum facere, propriéque dicitur de vinculis corporalibus: sed transfertur ad imperia, & alia incorporalia & maximè ad seruitutem, qua quũ quis adstrictus fuisset, per manumissionem, & virgam Prætoris, illius vincula laxantur; vel quum per patris indulgentiam, laxatur imperium erga filium. Sic Cic. ad Atticum lib. 10. epist. 6. *Magnum opus est, mirabilia multa, nihil simplex, nihil sincerum: nollem suscepisses iuuenem regendum, pater enim nimis indulgens, quidquid ego adstrixi, relaxat.* Et ita nunc accipiendum.

*I PVER, & strigiles Crispini ad balnea defer. Si increpuit: cessas nugator? Seruitium acre te nihil impellit, nec quidquam extrinsecus intrat, quod neruos agitet: sed si intus, & in iecore ægro nascuntur domini qui tu impunitior exis, atque hic quem ad strigiles scutica & metus egit herilis?* Strigilis, vel strigile, aut strigil à strigo, pro stringo, abiecto N. Strigandi verbo multa significantur. Nam strigare dicuntur boues in agricultura, quum in medio actu cessant, nec sulcum vno continuant actu, talesque boues strigosi dicti: quod, vitium quia ex macie plerumque accidit, strigosi boues, vel equi dicuntur male curati, & metaphoricè homines cunctabundi, bouinatoresque: cuius oppositum dicitur protelare, seu protelum ducere, quum boues vnico ductu sulcum absoluunt. Striga

etiam

etiam ab agrimensoribus nominatur agrorum longitudo, vt eorumdem latitudo, scamnum. Sic Hyginus in Geomaticis: Omnem mensurę huius quadraturam dimidio longiorem, siue latiorem facere debebimus, & quod in latitudinem longius fuerit, scamnum appellare, quod in longitudinem, strigam. Sic Aggenus Vrbicus lib. 1. commentariorum in Iulium Frontinum ait: Strigatus ager est, qui à Septentrione in longitudinem in Meridianum decurrit: scamnatus autem, qui eo modo ab Occidente in Orientem crescit, & altitudinem hanc, secundum idioma artis, voluit Frontinus in Oriente intelligi. Tertio strigæ dicti ordines rerum inter se continuate collocatarum, à stringendo; inde turmarum interuallum in quo equi stringuntur, striga dictum. Sic Charisius lib. 1. Striga castrense est vocabulũ, interuallum turmarum significans, in quo equi stringuntur. Et hinc strigilis nomen, quod prius significabat aluminis pumicosi, & ferramenti genus, ad instar spongię, quod imitatur instrumentum, de quo Celsus lib. 7. cap. 6. *In aurem vero infundere aliquod medicamentum oportet, quod semper ante tepefieri conuenit, commodissimeque per strigilem instillatur.* Striges etiã sunt canaliculi in columnis striatis, hęc à strijs differẽtes, quod strię sint partes eminẽtes & extuberantes, striges vero partes depressiores, inter strias subsidentes, ita dictę, quod strigilum more sint sulcatæ. Striges etiam sunt aues nocturnæ, vt noctuæ, aut vespertiliones, de quibus Ouid. 6. Fastor.

*Grande caput, stantes oculi, rostra apta rapinæ*

*Canicies pennis, vnguibus hamus inest*
*Nocte volant, pueroſq; petũt nutricis egentes,*
*Et vitiant cunis corpora rapta suis*
*Carpere dicũtur lactentia viſcera roſtris,*
*Et plenum poto ſanguine guttur habent*
*Eſt illis ſtrigibus nomen, ſed nominis huius*
*Cauſa, quod horrendum ſtridere nocte ſolẽt.*

Volunt quidam aues iſtas veſpis paſci, vuaſq; tam maturas, quam immaturas exſuggere. Plinius lib. 11. cap. 39. ait: *Fabuloſum arbitror de ſtrigibus vbera eas infantium labris immulgere. Eſſe in maledictis iam antiquis ſtrigem conuenit: ſed quæ ſit auium, conſtare non arbitror.* Et ab his mulieres maleficæ, quas aues, & volaticas dicunt, ſtrigæ appellatæ. Verùm hic ſtrigil eſt inſtrumẽtum ex auro, argento, ebore, aut alia materia compoſitum, quo vtebantur in balneis, & frictionibus ad ſordes eluendas, quæ, madefactæ, vnctæ denominatæ à Iuuenale dicente ſatyra 3. verſ. 262. (*Etis*

*Iã lauat, & bucca foculũ excitat, & ſonat vn-*
*Strigilibus, pleno componit lintea guttu.*

Strigiles pergamenas celebrat Mart. l. 14. ep. 51

*Pergamus has miſit, curuo diſtringere ferro*
*Non tam ſæpe teret lintea fullo tibi.*

Strigilum formam deſcribit Apuleius dicens 2. Floridorũ: Fabricatam ſemet ſibi ampullam quoque oleariam, quam geſtabat lenticulari forma, tereti ambitu, preſſula rotunditate, iuxtaque honeſtam ſtrigileculam, recta faſtigiatione clauſulæ, flexa tabulatione ligulæ, vt & ipſa in manu capulo motaretur, & ſudor ex ea riuulo laberetur. Huiuſmodi ſtrigilibus in balneis vtebantur ad eradendas ſordes, ſudoremque tergendum; vnde Suetonius in Augu-

sto cap. 80. ait: *Callis quibusdam ex prurigine corporis, assiduoque & vehementi strigilis vsu, plurifariam concretis ad impetiginis formam.* Et Plinius de Veronensi patruo suo scribit l.3. epist. 5. *In secessu, solum balinei tempus studijs eximebatur: quum dico balinei, de interioribus loquor, nam dum distringitur, tergiturque, audiebat aliquid, aut dictabat.* Strigilis figuram laudatissimam pinxisse Lysippum Sicyonium, refert ipse Veronensis Plinius lib.34. cap. 8. *Plurima ex omnibus signa fecit, inter quę, distringentem se, quem M. Agrippa ante thermas suas dicauit, mire gratum Tiberio Principi, qui non quiuit temperare sibi in eo, quāquam imperiosus sui inter initia principatus, transtulitque in cubiculum, alio ibi signo substituto. Quum quidem tanta populi Romani contumacia fuit, vt magnis theatri clamoribus reponi Apoxyomenon flagitauerit, Princepsque quamquam adamatum reposuerit.* Strigilum vsus pro hominibus nūc obsoleuit, ad equos amandatus, sed linteis, quum opus fuerit, distringuntur.

*CRISPINI*, cuiusdam diuitis, sed effœminati, meminit Iuuenā sat.1. vers.26.

*Quum pars Nilicæ plebis, quū verna Canopi*
*Crispinus, Tyrias humero reuocante lacernas*
*Ventilet, æstiuum digitis sudantibus aurum,*
*Nec sufferre queat maioris pondera gemmæ*
*Difficile est satyram non scribere.*

Et de eodem satyra 4.vers.1.ait:

*Ecce iterū Crispinus, & est mihi sæpe vocādus*
*Ad partes, monstrum nulla virtute redemptū*
*A vitijs, ęger, solaq; libidine fortis.*

Alterius Crispini meminit Tacitus historiarum 1, cap.20, his verbis: [ Paruo interim

 initio,

initio, vnde nihil timebatur, orta seditio, prope Vrbi excidio fuit. Septimam decimam cohortem, Colonia Hostiensi in Vrbem acciri Otho iusserat: armandæ eius cura, Vario Crispino Tribuno è Prætorianis, data. Is, quo magis vacuus, quietis castris, iussa exequeretur, pericula cohortis, incipiente nocte onerari, aperto armamentario iubet. Tempus in suspicionem, causa in crimen, affectatio quietis in tumultum eualuit: & visa inter temulentos arma, cupidinem sui mouere. Fremit miles, & Tribunos, Centurionesque proditionis arguit, tamquam familiæ Senatorum ad perniciem Othonis armarentur. Pars ignaris & vino graues, pessimus quisque in occasionem prædarum, vulgus, vt mos est, cuiusque motus noui cupidum, & obsequia meliorum nox abstulerat. Resistentem seditioni Tribunum, & seuerissimum Centurionem obtruncant. ] Sed de horum neutro intellexit, quum ille Iuuenalis fuerit verna Canopi, seu Ægypti; qui téporibus Domitiani Romam venit, vt sub Nerone proprias thermas habere nequiuerit. Ille vero Taciti, non adeo diuitijs pollebat, vt thermas potuisset ædificare. Supersunt duo alij Crispini; vnius meminit Tacitus lib. 11. cap. 1. fuitq; Rufius Crispinus perfectus Prætorio, Poppęę matrimonio functus, cui Claudius HS. quindecies, & insignia Prætoria dedit: sed eum Agrippina, vt Messalinæ additũ, exautorandum curauit, & in Sardiniam relegandum, vbi demum, accepto damnationis nuncio, voluntaria se morte peremit. Alterius Suetonius in Nerone cap. 35. vbi ait: *Priuignũ*

*Ruf-*

*Rufinum Crispinum Poppæa natum, impuberem adhuc, quia ferebatur Ducatus, & Imperia ludere, mergendum mari, dum piscaretur, seruis ipsius demandauit.* Locum istum intelligendum puto de balneis Ruffi Crispini, qui tamen tẽpore, quo Persius hæc scribebat, vel vitam clauserat, vel, exilio, miseram agebat.

*BALNEA* anxietates ex animo pellere, morbisque nonnullis mederi docent physici, & etiam Augustinus 9. Confessionum: lotione enim corporis exhilaratur animus, & melancholicus humor temperatur. De eis sic loquitur Alexander ab Alexandro lib. 4. cap. 20. Balnea apud maiores nocte, aut ante auroram nulli patebant, vtque sine metu; cuique lauare liceret, à primis tenebris ad auroram sequentem clausa fuisse, siquidem noctu lauare veteribus interdictum erat. Hadrianus vero Cæsar ante octauam, nisi valetudine laboraret, publicis balneis neminem admisit, tempusque lauandi à meridie ad vesperam destinauit, (quo tempore prostare meretricibus permissum) lauacraque pro sexibus separauit. Alexander postea Seuerus, ne quid populo incommodaretur, nocturna concessit balnea, oleo pro luminibus præbito. Quæ quum antea promiscua essẽt viris equè, & mulieribus, ipse post Antoninum philosophum, lauacra mixta submouit, sæpeque cum populo in thermis vna lauit: quod de Tito Vespasiano legitur, vt plerumque in thermis admissa plebe lauaret. Et licet à primis originibus, quum pauca essent balnea, & nullus cultus, Romani raro lauarent, brachiaque & crura, labore

fatigati tantū abluerēt, nec se totos, nisi in nūdinis lauarent, tamen post aliquot ętates, balnea, & thermæ publicis vsibus multimodæ fuerunt, magna mole, & sumptu constructæ Alexandrino, & Numidico marmore, latis specularibus, mira cœlatura, & arte. Nam præter Agrippinas, Neronianas, Vespasiani, & Titi, celebrantur Domitianæ, Alexandrinæ, Gordianę, Seuerianæ, Aurelianæ, & Constantinianę solidissima structura, & sumptu profuso: Censentque M. Agrippam, vt populo placeret, centum septuaginta balnea, seu lacus in Prouinciarum formam Romæ gratuita præbuisse, in quibus etsi calida prius abluerent, postea vt à balneis corpora multa frigida stringerent, constitutum ferunt, nec prius vngi, nisi lauissent. Quumq; pro singulis olim daretur quadrans, D. Antoninus ob popularem gratiam, balneum sine mercede exhibuit, Commodus vero Imperator tanto studio balnea prosecutus fuit, vt septies, atq; octies diebus singulis lauaret, quod de Gordiano, & Gallieno proditum est, qui ęstate quinquies, hyeme vero bis in die lauarēt. Illud certè satis constat Carthaginiensibus distincta fuisse balnea patriciorum, & plebeiorum, moremq; præualuisse, vt in quibus patricij lauabant, ad illa plebei non accederent. Græci vero contra, nulla enim distinctio ordinis fuit, aut personarum: diuites namque cum pauperibus lauare, & patricios cum plebeis, nullo discrimine licebat, in quibus tamen plerumque hominum cuiusque ordinis concurrebat turba, vt balneatores, si vulgi maior vis ingrueret,

ret, peitæsi frequentiam, eræ granum, quod vertigines facit, carbonibus inijcerent, vt tædio odoris diffugerent. Germani vero non in balneis, sed fluminibus lauabant, ideo nandi periti, & summi vrinatores habiti: si quando tamen lauarent balneis, calda abluebantur, lautiq; vescebantur. Dardanis & Illyrijs ter solum lauare permittitur, primo scilicet natali die: secundo in nuptijs, tertio in obitu cuiusq; Lusitanis frigida tantum lauare licet, sicut Spartanis, quibus calda corpus abluere vetitum est, quos quum Apollonius Tyanæus molles, & vnguento delibutos videret, aduocatis Ephoris, balnea interdixit, senectam hominum calida appellans balnea. Quumque Ephesij balneis præpositum lapidibus appeterent, quod illa non calefecisset, summoperè restitit, quum frigida lauare satius duceret. Æthiopes Macrobij fonte abluuntur, in quo loti, perinde, ac oleo vncti, membris agiles fiunt, & violam olent. Scythæ nullo fonte lauant, sed vxoribus aquam fundentibus, corpora scabro lapide conterunt, cupresso, cedro, & thuris ligno confricantes: Assyrijs licet lauare diebus singulis peculiare sit, tamen à coitu, & in morte præcipuum. Apud Celtiberos vero obseruatum est, vt in balneis, non aqua, sed lotio diu seruato lauent, dentesq & gingiuas pumicent, quod & Cantabri factitarunt hanc optimam curationem, & exhaustis viribus mirè proficere arbitrati. Gellius etiam hęc refert lib. 10. cap. 3. *Nuper Theanum Sidicinum Consul venit, vxorem dixit in balneis virilibus lauari velle. Quæstori Sidicino à M.*

*Mario datum est negocium, vti balneis exigerentur, qui lauabantur. Vxor renunciat viro, parum cito sibi balneas traditas esse, & parum lautas fuisse. Idcirco palus destinatus est in foro, eoque adductus suę Ciuitatis nobilissimus homo M. Marius, vestimenta detracta sunt, virgis cæsus est. Caleni, vbi id audierunt, edixerunt ne quis in balneis lauisse vellet, quum Magistratus Romanus ibi esset.* Putant aliqui balnea in numero multitudinis, dici tantum de publicis, priuata vero singulariter efferri, quia, inquiunt in publicis plura fiat loca distincta, siquidem superiùs locus erat calido aere plenus, appellabaturq; Laconicum: sub quo, in media regione locus calidis abūdans aquis inueniebatur: in ima vero parte aqua stagnābat frigida: in quo balnea à thermis diuersificabantur, in his enim nullus frigidæ dabatur locus. Sed non video quur priuati in suis ædibus hanc regionum, & locorum diuersitatem habere non potuerint, quum pleriq; diuitijs affluerent, & delicatè viuere affectarent. Crispini ergo erāt balnea, ad quæ, loturus, strigiles præmittebat.

*INCREPVIT.* Increpare ab in, pro intro, & crepare, quod est sonum, vel vocem emittere, est silenter, & sub lingua queri, & murmurare. A verbo crepo, præteritum non est crepaui, nec supinum crepatum, sed crepui, & crepitū. Itaq; Plaut. Amphitr. Actu 4. scena 2. ait:

*larua vmbratilis, tu me minis territas*
*Nisi hinc actutum fugias, si denuo pultaueris*
*Si minusculo digito increpuerint fores, hac tegula (excrees.*
*Tuū deminuam caput, vt cum dētibus linguā*

Et

Et Liuius lib.4. cap.43. *L.Papyrius Mugillanus proditus Interrex, castigando nunc Patres, nunc Tribunos plebis, desertam omissamque ab hominibus Remp. Deorum prouidentia, curaque exceptam memorabat. Vesentium inducijs, & cunctatione Æquorum, stare: vnde si quid increpet terroris, sine patricio magistratu placere Remp. opprimi.* Nonnumquam tamen increpare est reprehendere cum manuum, pedumque strepitu, ac vociferatione. Sic Plaut. Amphitr. Actu 1 scena 1.

*magnanimi freti virtute, & viribus,*
*Superbè nimis, ferociter legatos nostros increpant.*

Sæpe etiam est accusare, illudere, vel contemnere. Sic Ouid. 3. Metamorph.

*Increpor à cunctis totumq; immurmurat agmen.*

Verum hic est sonuit submissa vox serui excusantis, & ægreferentis durum, & importunũ ministerium, quia ipse fortè lassus erat, vt ille apud Terentium Hecyra Actu 3. scena 4.

*Perij, vouisse hunc dicam, si salnus domum*
*Redijsset unquam, ut me, ambulando rūperet.*

Scio alios velle hanc esse vocem Domini præcipientis: sed hæc iam posita erat vbi dixit: I puer, ad quam commodè sequitur serui excusatio, & deinde alia Domini. Cessas nugator.

*CESSAS* à verbo cedo, vt dictas à verbo dico medijs supinis cessum, & dictum, propriè est quiescere à labore, ab opere vacare, & abstinere, seu otio se tradere, ministeriumq; omittere. Sic Virg. Eclog. 7. vers. 9.

*Huc ades ò Melibæe, caper tibi saluus, et hædi*
*Et, si quid cessare potes, requiesce sub umbra.*

Et ita nunc sumitur, nam Dominus seruum increpat, obiurgatq; quod iniunctum ministerium non illico exequatur, illudq; aggredi differat. Sic Iuuen. sat. 14. vers. 59.

*Hospite uenturo cessabit nemo tuorum:*
*Verre pauimentum, nitidas ostende columnas,*
*Arida cum tota descendat aranea tela,*
*Hic lauet argētum, uasa aspera tergeat alter:*
*Vox domini fremit instantis, uirgamq; tenētis.*
*Ergo miser trepidas, ne stercore fœda canino*
*Atria displiceant oculis uenientis amici,*
*Ne persusa luto sit porticus: & tamen uno*
*Semodio scobis hæc emendat seruulus unus.*
*Illud non agitas, ut sanctam filius omni*
*Aspiciat sine labe domum, uitioq; carentem.*

Et verè mirandum tantam adhiberi curam circa munditiem exteriorem, nullam vero circa interiorem morum, sui, filiorum, & familiæ.

*NVGATOR*, qui nugas, ideſt res vanas, nulliusq; ponderis, vel momenti loquitur, quales Domino videbantur huius serui excusationes Sic Cicero pro L. Flacco: *Hic ego Iudices, si uos Emonensium decretis, si cæterorum Phrygum litteris permoueri putarem, uociferarer, & quātum maximè possem, contenderem, testarer publicanos, excitarem negotiatores, uestram etiam conscientiam implorarem, cera deprehensa, confiderem totius testimonij fictam audaciam, manifesto comprehensam, atque oppressam teneri. Nūc uero non insultabo uehementius, nec uelitabo in hoc insolentius, neque in istum nugatorem, tamquam in aliquem testem inuehare, neque in toto Emonensium testimonio, siue hic confictum est: ut*

*apparet, siue missum domo est, ut ait iam, commouebor; etenim quibus ego istam laudationem remittam, quoniam sunt (ut Asclepiades dicit) leues, harum testimonium non perhorrescam.* Et idem hic significat.

*SERVITIVM*, & seruitus non sunt proximè à verbo seruio, alioquin secundam producerer, vt eam producit auditus, sed sunt à nomine seruus, qui dictus est à seruando, quia quum iure belli posset impune, & licitè occidi, seruatus fuit. Distinguunt quidam inter seruitium, & seruitutem, vt hæc sit actus, vel conditio seruiendi: illud seruorum multitudo. Discrimen tamen istud non inuenitur semper seruatum. Vnde Virg. Eclog. 1. vers. 41.

*neque seruitio me exire licebat.*

Vbi seruitium, obligatio est ministrandi. Et 1. Æneid. vers. 288.

*Quū domus Assaraci Phthiā clarasq; Mycenas*
*Seruitio premet.*

Sic Terent. Andriæ Actu 4 scena 1.

*Ego Pamphile hoc tibi pro seruitio debeo*
*Conari manibus, pedibus, noctesq; & dies*
*Capitis periculum adire, dum prosim tibi*

*ACRE* ab ἄκρον, extremum, vehementiam, vel perfectionem importat, & propriè dicitur de liquoribus, & cibis linguæ, palato, vel stomacho noxijs, aut insuauibus, vt de aceto, citro, cępis, allijs, pomis immaturis, & similibus. Metaphoricè dicimus acrem, virum fortem, velocem, industrium, & actuosum. At hic acer est durus, seuerus, crudelis, & imperiosus. Sic Cicero Officior. 1. *Expendere oportebit quid quisque habeat sui, eaque moderari nec velle experiri,*

*periri, quam se aliena deceant: id enim quemq; decet, quod est cuiusque suum maxime. Suum igitur quisque noscat ingenium, acremque se & uitiorum, & bonorum suorum iudicem præbeat.* Sic & pro P. Sulla: *Me unum uis ferum præter cæteros, me asperum, me inhumanum, existimari, me singulari immanitate, & crudelitate præditum. Hanc mihi tu, si propter res meas gestas, imponis in omni uita mea personam, Torquate, uehementer erras. Me natura misericordem, patria seuerum, crudelem nec patria, nec natura esse uoluit: denique istam personam uehementem, & acrem, quam mihi tum tempus, & Resp. imposuit, iam uoluntas, & natura ipsa detraxit.* Seruit ū igitur acre, erit iniustum, iniuriosè, vel asperis modis, & terroribus, vel importuno tempore exactum: & est sententia, vt poeta Damæ dicat. Ille cui herus iniunxerat strigilum ad balnea delationem, te iudice, non est liber: te vero liberum existimas, quia quum fueris manumissus, non adigeris ad obsequium tali imperio: verum deciperis, nam ostendam im; ortunioribus imperijs te ad ministeria adigi, ideoq; fatendum, te nunc adhuc multo duriorem seruire seruitutem.

*IMPELLIT*, pulsu mouit, inducit, vel incitat ad opus. Cuius oppositum est expellit, quod violenter cogit locum derelinquere. Sic Terentius Andriæ Actu 1. scena 5.

*Dum in dubio est animus, paulo momento huc illuc impellitur.*

Sic miles ad bellum, sic populus ad volendam seditionem, pacem, vel aliud, impellitur. Hinc Sallustius in Catilinario: *Allobroges ex præcepto*

*Ciceronis, per Gabinium cæteros conueniunt: ab Lentulo, Cethego, Statilio, item Cassio postulant iusiurandum, quod signatum ad ciues perferant, aliter haud facile eos ad tantum negotium impelli posse.* Sic Cicero pro P. Sulla: *Videte diligentiam Gallorum, qui vitam hominum, naturamq; non nossent, ac tantum audissent eos, pari calamitate qui fuerant, esse in eadem voluntate. Cassius si respondisset idem sentire, & secum facere Sullam, tamen mihi non videretur in hunc id criminosum esse debere. Quid ita? quia qui barbaros homines ad bellum impelleret, non debeat minuere illorum suspicionem, & purgare eos, de quibus illi aliquid suspicarentur.* Et ita hic, impellit idem est, ac vrget, & ad operandum adigit.

*NERVI* sunt in corpore animalis prima instrumenta motus, & sensus, qui orti à cerebro vel corde, aut spinali medulla, membris singulis motus, ac sensus vim conferunt. Eorum meminit Cicero 2. de Nat. Deorum dicens: *Dictum est etiam de sideribus, vt iam propemodũ appareat multitudo nec cessantium Deorum, nec ea quæ agant molientium cum labore operoso, ac molesto, non enim venis, & neruis, & ossibus continentur.* De eis ait Plin. lib. 11. cap. 37. *Nerui orsi à corde, bubuloque etiam circumuoluti, similem naturam, & causam habent, in omnibus lubricis applicati ossibus, nodosque corporum, qui uocantur articuli, alicubi interuentu, alicubi ambitu, alicubi transitu ligantes, hic teretes illic lati, vt in vnoquoque poscit figuratio. Neque hi solidantur incisi, mirumque, vulneratis s[illegible]us dolor, præfectis nullus. Sine neruis sunt q[illegible] animal[illegible]a, vt pi[illegible]es, arterijs enim contin[illegible] id ne-*

quo

*que ea molli piscium generi: Vbi sunt nerui, interiores conducunt membra, superiores reuocant.* De eisdem ait Gellius lib. 13. cap. 22. *Græci vincula, & firmamēta membrorum νεῦρα dicūt, vnde nos quoque Latinè neruos appellamus.* Hinc nerui pro robore sæpe ponuntur, nam in eis est corporis robur. Sic Hor. 2. ser. sat. 1.

*Sūt quibus in satyra videar nimis acer, & vltra*
*Legē tendere opus: sine neruis altera quidquid*
*Composui, pars esse putat, similesq; meorum*
*Mille die versus deduci posse.*

Sic Terent. Eunucho Actu 2. scena 3.

*Digna res est, vbi tu neruos intendas tuos:*

omisso obscęno, & metaphorico Terentij sensu. Ex neruis etiam fiebant chordę pro arcubus, indeq; per senecdochen, per neruum significatur arcus 5. Æneid. vers. 500.

*Tum validis flexos incuruant viribus arcus*
*Pro se quisq; viri, & depromūt tela pharetris.*
*Primaque per Cælum neruo stridente sagitta*
*Hyrtacidæ iuuenis, volucres diuerberat auras.*

Ex eisdem fiebant compedes, manicæ, & alia vinculorum genera, vnde est illa loquendi forma, qua pro vinciri, dicimur in neruum ire. Sed nihil frequentius, quam neruis in seruos animaduertere, quæ erat, & est asperrima castigatio. Flagellabantur quidem delinquentes etiam virgis, vnde apud Plautum quis dictus est Vlmitriba, quia sæpe vapulauerat; alius, fuisse illo anno vberem virgidemiam; alius qui pęnam metuebat: *Vę illis miseris virgis, quæ hodie tergo immorientur meo.* Et etiam loris, quæ erat magis sæua castigatio, vnde lorarij dicebantur, qui dominorum iussu, alios cędebant.

bant. Sed omniũ asperrima erat animaduersio quæ fiebat cũ neruis bubulis. Et de his neruis ad hũc effectũ nũc loquitur dicẽs: Tu manumissus non times extrinsecũ dominũ, vel lorariũ agitãtẽ neruos, teq; cædentẽ, aut cõstringentẽ.

*SED si intus, & in iecore ægro &c.* quasi diceret: Non es tu quidem seruus externa, ciuili & corporali seruitute, sed al a longe peiori, nempe animi interna, & morali, siquidem intus, inquit, in corde & animo, nascuntur tibi, non vnus, sed tot domini, quot sũt res quibus afficeris, vel passiones à quibus dominaris, ideoq; non poteris de libertate gloriari. Iecus autem, vel iecur, aut iocinus, cũ patrio iecoris, vel iocinoris, hepar à Græcis appellatum, iuxta Isidorum lib. 11. cap 1. ex eo nomen habet, quod ibi ignis habeat sedem, qui in cerebrum subuolat, estque primum sanguinis instrumentum, & quasi sanguis incrassatus, & viscus, à quo suum agnoscunt venæ principiũ. De eo ita Macrobius lib. 7. cap. 4. Postquam in succum cibus reformatur, hic iam iecoris cura succedit. Est autem iecur concretus sanguis, & ideo habet natiuum calorem, qui confectum succum vertit in sanguinem: & sicut cibum in succum verti prima, ita succum in sanguinem transire, secunda digestio est. Hũc calor iecoris administratũ, per venarũ fistulas, in sua quæq; mẽbra dispergit: parte quæ ex digestis frigidissima est in lienẽ refusa, qui vt iecur caloris, ita ipse frigoris domiciliũ est: nam ideo omnes dexteræ partes validiores sunt, & debiliores sinistræ, quia has regit calor visceris sui, illæ contagione frigoris sinistra obtinentis,

li-

hebetātur. Sic Celſus l.4.c.1. *Stomachus interior, ſic gulā nominat, ad ventriculū fertur, illa ſpiritum, hic cibum recipit, à quibus quum diverſæ viæ ſint, qua coeunt exigua in arteria ſub ipſis faucibus lingua eſt, quæ, quum ſpiramus, attollitur, quum cibum, potionemque aſſumimus, arteriam claudit. Ipſa autem arteria dura, & cartilaginoſa in gutture aſſurgit, cęteris partibus reſidet. Conſtat ex circulis quibuſdam compoſitis ad imaginem earum vertebrarum, quæ in ſpina ſunt, ita tamen vt ex parte exteriore aſpera, ex interiore ſtomachi modo læuis ſit. Eaq; deſcendens ad pręcordia cum pulmone cōmittitur. Is ſpongioſus, ideoque ſpiritus capax, & à tergo ſpinę ipſi iunctus in duas fibras ungulæ bubulæ modo, diuiditur. Huic cor annexum eſt, natura muſculoſum, in pectore ſub ſiniſtriore mamma ſitum, duoſque quaſi uentriculos habet. At ſub corde, atque pulmone, tranſuerſum ex ualida membrana ſeptū eſt, quod à præcordijs uterum diducit, æque neruoſum, multis etiam uenis per id diſcurrentibus à ſuperiori parte, non ſolum inteſtina, ſed iecur quoque lienemque diſcernit. Hæc uiſcera proxima, ſed infra tamen poſita, dextra, ſiniſtraque ſunt iecur à dextra parte ſub præcordijs ab ipſo ſepto ortum, intrinſecus cauum, extrinſecus gibbum, quod prominēs leuiter uentriculo inſidet, & in quatuor fibras diuiditur. Ex inferiore uero parte ei fel inhæret. At lienis ſiniſtra eidem ſepto, ſed inteſtino innexus eſt, natura mollis, & rarus, longitudinis, craſſitudiniſque modicæ, iſque paullum à coſtarum regione in uterum excedens, ex maxima parte ſub his conditur.* Iecur igitur eſt ſedes

concupiscentiæ, ideoque metonymicè pro ipsa concupiscentia ponitur: & multoties siue per aliam, causæ, siue per senecdochen vnius partis essentialis, nempe corporis, pro alia, idest anima, & consequenter per metalepsin, affectus concupiscibilis perperam dispositi, in iocinore residentis, iecoris nomine sunt hic appellati. Sic Claudianus in Quartum Consulatum Honorij, ait:

*Quippe opifex ueri ne cōfūdere sacra profanis,*
*Distribuit partes animi, sedesq; remouit.*
*Iram sanguinei regio sub pectore cordis*
*Protegit imbutam flammis, auidamq; nocendi*
*Præcipitemq; sui, rabie succensa tumescit*
*Cōtrahitur tepefacta metu, quumq; omnia secū*
*Duceret & requiem membris uesana negaret*
*Inuenit pulmonis opem, madidumq; furenti*
*Prebuit, ut tumidæ ruerent in mollia fibræ.*
*At sibi cuncta petens, nil collatura cupido*
*In iecur, & tractus imos compulsa recessit,*
*Quæ uelut immanes reserat dum bellua rictus*
*Expleri, pasciq; nequit, nunc uerbere curas*
*Torquet auaritiæ, stimulis nūc flagrat amorū*
*Nunc gaudet, nūc mæsta dolet, satiataq; rursū*
*Exoritur, cæsaq; redit pollentius Hydra.*
*Hos igitur potuit si quis sedare tumultus*
*Incencussæ dabit puræ sacraria menti.*

Iecur igitur ponitur pro anima, & concupiscentia.

*NASCVNTVR domini* in animo, mouentes, impellentesque ad ministerium. Id autem tam virtus efficere potest, quam vitium: sed quum virtus sit secundum naturam, & rationem, naturaliter hæc debet in nobis præualere, & domi-

minari: & quamdiu hic ordo seruatur, vt sensus rationi obediant ad opera virtutis exercenda, tunc omnia feliciter cadunt, fitque homo gloriosus, iuxta illud Prouerb. 16. *Melior est patiens uiro forti, & qui dominatur animo suo expugnatore urbium*, nam tunc nedum est liber, sed & Rex, & omni Rege gloriosior, iuxta illud: Seruire Deo, regnare est. Vitium vero est contra naturam, & dictamen rationis, & quum in nos vsurpat imperium, violenter, & tyrannicè dominatur. Pars enim sensitiua illi colligata, naturaliter seruire, & obedire tenetur rationi, iuxta Dei legem latam Genesis 4. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius:* Ideoque quando hic ordo peruertitur, vt pars, quæ ancillari debuerat, dominium arripiat, confunduntur omnia ruitq; hominis felicitas, atque libertas, vt in Rep. à tyrannis oppressa, vt merito dixerit Sapiens Prou. 30. *Per tria mouetur terra, & quartum non potest sustinere, per seruum quum regnauerit, per stultum quum saturatus fuerit cibo: per odiosam mulierem, quum in matrimonio fuerit assumpta: & per ancillam, quum fuerit hæres dominæ suæ.* Vitio igitur tribuitur hic nomen domini, vt passim fit nedū à profanis, sed & à sacris scriptoribus, immo in 2. Petri c. 2. legimus: *Superba uanitatis loquentes pelliciunt in desiderijs carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt, qui in errore conuersantur, libertatem illis promittentes, quum ipsi serui sint corruptionis, à quo enim quis superatus est, huius & seruus est.* Et ipse Dominus Matthæi 6. ait: *Nemo potest duobus dominis seruire, aut enim unum odio habebit & alterum*

*terum diliget, aut unum sustinebit, & alterum contemnet, Non potestis Deo seruire, & Mammonæ.* Quod dictum exponens Hieronymus l. 1. in Matth. cap. 6. & epistola 151. ad Algasium, asserit: *Mammona Syrorum lingua diuitias appellari, quæ de iniquitate sint collectæ.* August. etiam de C. D. lib. 4. cap. 3. ait: *Bonus, etiam si seruiat, liber est: malus autem etiam si regnet, seruus est, nec unius hominis, sed, quod est grauius, tot dominorum, quot uitiorum: de quibus uitijs quum ageret scriptura Diuina, A quo enim quis, inquit, deuictus est, huic & seruus addictus est.* Affectus ergo, siue cupiditas diuitiarum, dominus est cui seruit auarus, quod dicitur per illud schema, quod quidam appellant somatopoiijan, quasi diceres corporis imitationem. Nos in Instit. Orat. lib. 3. Tract. 3. cap 9. prosopopoijam diximus, & interuenire, quum res inanimata inducitur quasi persona. Quamquam non defuerint qui, etsi non vitia, virtutes saltem animalia esse docuerint, vt refert Seneca epistola 113 oppositum ipse sentiens, quia eadem ratione dicendum foret, etiam vitia esse animalia, quod Stoici non admittunt. Sed licet nec virtutes, nec vitia sint animalia, sed potius qualitates, pugnant nihilominus, & sensualitas per prauas affectiones, voluntatem ad peccatum trahere nititur, acerrimamq; aduersus eam excitat pugnam, quam expertus, de ea queritur Apostolus dicens Roman. 7. [Ego carnalis sum venũdatus sub peccato, quod enim operor non intelligo: non enim quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malũ illud facio. Si autem quod odi

odi illud facio, consentio legi, quoniam bona est; nunc autem iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Scio enim, quod non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum, nam velle, adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio, non enim quod volo bonum hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago: si autē quod nolo, illud facio, iam nō ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Inuenio igitur legem volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adiacet; condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Igitur ego ipse mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati.] Eiusdem sentētię fuit Boetius dicens lib. 4. de Consol. philos. metro 2.

*Quos uides sedere celso*
*Soly culmine, Reges*
*Purpura claros nitente,*
*Septos tristibus armis,*
*Ore toruo comminantes*
*Rabie cordis anhelos:*
*Detrahat si quis superbis*
*Vani tegmina cultus,*
*Iam uidebit intus arctas*
*Dominos ferre catenas*
*Hinc enim libido uersat*
*Auidis corda uenenis,*
*Hinc flagellat ira mentem,*

*Flu-*

*Fluctus turbida tollens*
*Mæror, aut captos fatigat,*
*Aut spes lubrica torquet,*
*Ergo quum caput tot unum*
*Cernas tot ferre, Tyrannos*
*Non facit, quod optat ipse*
*Dominis pressus iniquis.*

Sic & Claudianus de Quarto Consulatu Honorij dicens:

*Tu licet extremos latè dominere per Indos*
*Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent;*
*Si metuis si praua cupis, si duceris ira,*
*Seruitij patiere iugum tolerabis iniquas*
*Interius leges. Tunc omnia iura tenebis,*
*Quum poteris Rex esse tui. proclivior usus*
*In peiora datur, suadetq; licentia luxum.*

Isti ergo sunt domini, qui nascebantur intus in iecore, corde & animo Danæ, & nascũtur, in animis omnium vitiosorum, nempe affectus & perturbationes effrenatæ, quibus illi seruiunt, dum eis per rationem, & liberum arbitrium repugnare non curant. Nam licet vires naturales non sufficiant ad illas extirpandas, gratia Dei ipsis non deesset, si ipsi facerent, quod in se erat.

*QVI tu impunitior exis*. Qui pro Quomodo. Sic Cicero 1. de Nat. Deorum: *Quid ergo? Solem dicam, aut Lunam, aut Cælum Deũ? ergo etiam beatum quamlibet fruentem voluptatibus, & sapientem: Qui potest esse in eiusmodi trunco sapientia?* Impunitior vero, comparatiuũ est à negatione punitionis, quod nomen est a verbo punio, facto à pœnio, siue poinio, (nam oi Græcum transit in oe Latinum, & hoc

& hoc in V, inde impune, quasi impuno. Impunitatis spes, magna est peccandi illecebra, impudenter quidlibet agens. Impunitior ergo dicitur, qui in æquali deprehensus facinore minorem, quam alius pœnam sustinuit. Nam quum secundum iustitiam, iuxta culparum, debeat esse pœnarum modus, si quis deprehensus, nullam sustineat pœnam, impunitus absolutè dicitur: si vero duo fuerint in eodem crimine deprehensi, & eorum vnus modicam, alius adhuc minorem sustineat pœnam, hic dicetur impunitior illo, quum adhuc ille diceretur impunitus, siquidem non fuit ei inflicta tota pœna, quam merebatur. Sic etiam loquitur Horat. dicens 2. ser. sat. 7.

*Tibi ingens*
*Virtus, atq; animus, cœnis responsat opimis*
*Obsequium uentris mihi perniciosius est: quur?*
*Tergo plector enim. Qui tu impunitior illa,*
*Quæ paruo sumi nequeũt, quũ obsonia captas?*
*Nempe, inamarescunt epulæ sine fine petitæ,*
*Illusiq; pedes uitiosum ferre recusant*
*Corpus.*

*SCVTICA* à cute dicta, nam cutis Græcè σκῦτος dicitur hoc est corium, siue pellis: inde scutica propriè est lorum, & genus verberis, aut flagelli, è loris, vel corio facti: sed per senecdochen non est quodcũq; corium, sed tantũ illud, quo noxij serui flagellantur, aut iumenta agitantur; & per aliam senecdochen sumitur pro quocumque flagello, siue ex corio, siue ex neruis, siue ex virgis facto. Sic Iuuenal. sat. 6. vers. 475.

*Si nocte maritus*

*Auer-*

*Auersus iacuit, periit libraria, ponunt*
*Cosmetæ tunicas; tarde uenisse Liburnus*
*Dicitur, & pœnas alieni pendere somni*
*Cogitur, Hic frāgit ferulas, rubet ille flagellis,*
*Hic scutica.*

Sic Horat. 1. ser. sat. 3.

*Nec uincet ratio hoc, tantumdem ut peccet.*
*idemque,*
*Qui teneros caules alieni fregerit horti,*
*Et qui nocturnus Diuum sacra legerit. Adsit*
*Regula, peccatis quæ pœnas irroget æquas*
*Nec scutica dignum, horribili sectere flagello.*
*Nam ut ferula cædas meritum maiora subire*
*Verbera, non uereor, quum dicas esse pares res*
*Furta latrocinijs.*

Asserit ergo poeta: Non poteris tu, qui tot imperiosissimis dominis seruis, quot in tuo corde nascuntur vitia, pœnas vitare, multoq; minus quam ille quem externus herus scuticæ comminatione ad strigilum impulit ministerium.

## SENSVS PARAPRHASTICVS TEXTVS SECVNDI SATYRÆ QVINTÆ.

INnumerabiles sunt hominum variæque inclinationes, vt ad mercaturam, luxuriam, & alia huiusmodi, quousque, podagra inutiles effecti, querantur transisse dies felices, quibus virtutes acquirere potuissent, nūc vero aliud sibi non superesse, nisi vitam inglorium, & obscuram. At tu Cornute horam omnem sacris das studijs etiam, si inde pallorē contrahas, nam quum iuuentutem erudiendam susceperis, illius purgatis auribus Stoica in-

instillas præcepta. Et vos mortales omnes petite vobis ab hoc magistro præsidia senectutis. Cras, inquis, id faciam. Sed si crastinum expectas, numquam facies, nam etiam si modica videatur dilatio, re, magna est, quum cras numquam fiat præsens, vt in eo opereris, sicut rota secundi axis in rheda, etiamsi eadem velocitate mouetur, qua prima, numquam hanc continget, sic nec nunc, cras pariter transeuntia. Sed huius procrastinationis causa est carentia libertatis, non vtique illius, quam quis acquirere potest per manumissionem, & officium Prætoris, quæ est libertas ciuilis, & secundum ius Quiritum. Nam si quis seruus ingeniatus ad vitia, fuerit manumissus, talem vtique habebit libertatem, vt assumpto prænomine manumittentis, velit sibi nummos credi, vel alios vadare, testamenta subscribere, pro teste adhiberi, & inter iudices computari, quasi in his consistat vera libertas per pileum donata. Quum enim ille censeatur verè liber, cui licet facere, quod vult, pileato autē isti liceat facere quod vult, pileatus iste erit verè liber. Cui respondet ex Stoicis, negando minorem, nō enim licet stulto viuere, vt vult. At replicat manumissus: Cuicumq; facto sui iuris, licet facere quod vult, nisi velit operari contra leges: sed ego per virgam Prætoris factus sum mei iuris, ergo dum nihil faciam contra leges, licet facere quod volo. Ad hæc poeta, Ne irascaris, ò Dama, dum falsas opiniones è tuo corde expellere satago. Non poterat Prætor administranda concedere stultis officia etiam leuissima, vel vsum vitæ concedere:

dere: sicut enim impossibile est rudem calonem artificiosè musicum pulsare instrumentum, aut singularem hominem poliorceticam, trabibus, & armis grauem, gestare machinam, ita stultum illa rectè gerere: ideo ratio contradicit, clamitatque ad aurem cordis, ne talia stulto committantur. Ius etiam tam naturale, quam gentium prohibet committi negocia eis, qui illa vitiabunt dum aggrediuntur, vt si medicæ artis ignarus, medicinam temperare velit, haud dubiè errabit: & si nauem gubernare velit rudis agricola, clamabunt sapientes contra hanc impudentiam. Num ergo soli tibi Damæ concessa est sapientia, quam non didicisti, vt eas scias rectitudinis regulas, & discernere verum à falso, & apparente. Num tu obseruare potuisti, & notare vitanda, & sequenda. Num moderatus in desiderijs, nil poscis tibi improportionatum. Num contentus domo angusta, affabilis es amicis, eisque indigentibus donas, etiam non rogatus, absque tamen nota prodigalitatis? Num potes præterire nummum luto subabscond tum, vel non glutto sorbere spem lucri, quasi saliuam Mercurialem, quæ excitatur ex memoria, vel præsentia rei palato gratæ. Si verè dixeris has te virtutes habere, esto nedum liber, sed & sapiens, autore nedum Prætore, sed & Ioue, dante, corporis illo, hoc animi libertatem. Sin vero retines adhuc veterem nequitiam, ostendens te liberum tantum specie exteriori, interius vero, ijsdem quibus prius, vitijs inquinaris, reuoco dona cõcessa, adimo libertatem, teque iterum addico seruituti. Et quia recta

ratio nihil tibi concesserat, quidquid quantumcumq; minimum facere aggrediaris, etiam si digitum eleuare, in eo peccabis, nullo namque sacrificio impetrare poteris, vt rectum quid in stultis inueniatur. Nefas est enim miscere sapientiam, siue prudentiam agendorum, cum stultitia, siue ineptitudine in rebus agendis. Nec tu qui in reliquis non es nisi rusticus fossor, pedes mouere poteris, ita artificiosè saltando, vt satyrus Bathyllus. Vnde ergo audes te liberum prædicare, quum tot sis vitijs addictus? An forte ignoras esse alios dominos, preter eos, quos relaxare potest virga Prætoris? vt quum herus seruo præcipit. Vade curre, defer strigiles ad balnea Crispini, & si seruus submurmurauerit, Dominus in eum minas intentat. Tu autem licet non subdaris talibus dominis, qui extrinsecus comminando, virgis te adigant ad ministerium, grauiores nihilominus dominos pateris intus in animo, violentius tibi imperantes, grauioremque imponentes seruitutem. Ideoque minus liber es tu, quam ille, quem metus herilis scutica, vel flagello adegit ad deferendos strigiles.

*Sensus Paraphrastici Textus secundi Satyræ quintæ Finis.*

TEX-

# TEXTVS TERTIVS

## SATYRÆ QVINTÆ.

DIxerat dura premi ſeruitute illum, qui funibus peccatorũ, ſeu vitiorum conſtrictus, liber reuera dici nõ poteſt. Id generaliter dictum, nunc exemplificat in Auaritia, Prodigalitate, & Ambitione, quæ vitia ſi quando in animo conuoluerint, grauiſſima illi imponunt onera, coguntque ferre etiam detrectantem. Ait ergo:

*MAne piger ſtertis: ſurge, inquit Auaritia: eia*
*Surge, Negas. Inſtat. Surge, inquit, Non queo. Surge*
*En, quid agam? Rogitas? En ſaperdam aduehe (Ponto*
*Caſtoreum, ſtuppas, hebenũ, thus, lubrica Coa:*
*Tolle recens primus piper è ſitiente Camelo,*
*Verte aliquid, iura: ſed Iuppiter audiet: eheu*
*Vare, regustatum digito terebrare ſalinum*
*Contentus perages, ſi viuere cum Ioue tendis.*
*Iam pueris pellem ſuccinctus, & œnophorum aptas*
*Ocyus ad nauem, nil obſtat quin trabe vaſta*
*Ægeum rapias, niſi ſollers luxuria ante*
*Seductũ moneat. Quo deinde inſanè ruis? Quo?*
*Quid tibi vis? Calido ſub pectore maſcula bilis*
*Intumuit, quam nõ extinxerit urna cicutæ.*
*Tun' mare tranſilias? Tibi torta canabe fulto*
*Cœna ſit in tranſtro, Veientanumq; rubellum*
*Exhalet vapida læſum pice ſeſſilis obba?*

*que ea molli piscium generi: Vbi sunt nerui, interiores conducunt membra, superiores reuocant.* De eisdem ait Gellius lib. 13 cap. 22. *Græci vincula, & firmamēta membrorum νεῦρα dicūt, vnde nos quoque Latinè neruos appellamus.* Hinc nerui pro robore sæpe ponuntur, nam in eis est corporis robur. Sic Hor. 2. ser. sat. 1.

*Sūt quibus in satyra videar nimis acer, & vl-*
*Legē tendere opus: sine neruis altera quidquid* *(tra*
*Composui, pars esse putat, similesq; meorum*
*Mille die versus deduci posse.*

Sic Terent. Eunucho Actu 2. scena 3.

*Digna res est, vbi tu neruos intendas tuos:*

omisso obscęno, & metaphorico Terentij sensu. Ex neruis etiam fiebant chordę pro arcubus, indeq; per senecdochen, per neruum significatur arcus 5. Æneid. vers. 500.

*Tum validis flexos incuruant viribus arcus*
*Pro se quisq; viri, & depromūt tela pharetris.*
*Primaque per Cœlum neruo stridente sagitta*
*Hyrtacidæ iuuenis, volucres diuerberat auras.*

Ex eisdem fiebant compedes, manicæ, & alia vinculorum genera, vnde est illa loquendi forma, qua pro vinciri, dicimur in neruum ire. Sed nihil frequentius, quam neruis in seruos animaduertere, quæ erat, & est asperrima castigatio. Flagellabantur quidem delinquentes etiam virgis, vnde apud Plautum quis dictus est Vlmitriba, quia sæpe vapulauerat; alius, fuisse illo anno vberem virgidemiam: alius qui pęnam metuebat: *Vę illis miseris virgis, quæ hodie tergo immorientur meo.* Et etiam loris, quæ erat magis sæua castigatio, vnde lorarij dicebantur, qui dominorum iussu, alios cędebant.

bant. Sed omniũ asperrima erat animaduersio quæ fiebat cũ neruis bubulis. Et de his neruis ad hũc effectũ nũc loquitur dicẽs: Tu manumissus non times extrinsecũ dominũ, vel lorariũ agitãtẽ neruos, teq; cædentẽ, aut cõstringentẽ.

*SED si intus, & in iecore ægro &c.* quasi diceret: Non es tu quidem seruus externa, ciuili & corporali seruitute, sed alia longe peiori, nempe animi interna, & morali, siquidem intus, inquit, in corde & animo, nascuntur tibi, non vnus, sed tot domini, quot sũt res quibus afficeris, vel passiones à quibus dominaris, ideoq; non poteris de libertate gloriari. Iecus autem, vel iecur, aut iocinus, cũ patrio iecoris, vel iocinoris, hepar à Græcis appellatum, iuxta Isidorum lib. 11. cap 1. ex eo nomen habet, quod ibi ignis habeat sedem, qui in cerebrum subuolat, estque primum sanguinis instrumentum, & quasi sanguis incrassatus, & viscus, à quo suum agnoscunt venæ principiũ. De eo ita Macrobius lib. 7. cap. 4. Postquam in succum cibus reformatur, hic iam iecoris cura succedit. Est autem iecur concretus sanguis, & ideo habet natiuum calorem, qui confectum succum vertit in sanguinem: & sicut cibum in succum verti prima, ita succum in sanguinem transire, secunda digestio est. Hũc calor iecoris administratũ, per venarũ fistulas, in sua quæq; mẽbra dispergit: parte quæ ex digestis frigidissima est in lienẽ refusa, qui vt iecur caloris, ita ipse frigoris domiciliũ est: nam ideo omnes dexteræ partes validiores sunt, & debiliores sinistræ, quia has regit calor visceris sui, illę cõtagione frigoris sinistra obtinentis,

ille-

hebetãtur. Sic Celſus l. 4. c. 1. *Stomachus interior, ſic gulã nominat, ad ventriculũ fertur, illa ſpiritum, hic cibum recipit, à quibus quum diverſæ viæ ſint, qua coeunt exigua in arteria ſub ipſis faucibus lingua eſt, quæ, quum ſpiramus, attollitur, quum cibum, potionemque aſſumimus, arteriam claudit. Ipſa autem arteria dura, & cartilaginoſa in gutture aſſurgit, ceteris partibus reſidet. Conſtat ex circulis quibuſdam compoſitis ad imaginem earum vertebrarum, quæ in ſpina ſunt, ita tamen vt ex parte exteriore aſpera, ex interiore ſtomachi modo læuis ſit. Eaq; deſcendens ad præcordia cum pulmone cõmittitur. Is ſpongioſus, ideoque ſpiritus capax, & à tergo ſpinę ipſi iunctus in duas fibras ungulæ bubulæ modo, diuiditur. Huic cor annexum eſt, natura muſculoſum, in pectore ſub ſiniſtriore mamma ſitum, duoſque quaſi uentriculos habet. At ſub corde, atque pulmone, tranſuerſum ex ualida membrana ſeptũ eſt, quod à præcordijs uterum diducit, æque neruoſum, multis etiam uenis per id diſcurrentibus à ſuperiori parte, non ſolum inteſtina, ſed iecur quoque lienemque diſcernit. Hæc uiſcera proxima, ſed infra tamen poſita, dextra, ſiniſtraque ſunt iecur à dextra parte ſub præcordijs ab ipſo ſepto ortum, intrinſecus cauum, extrinſecus gibbum, quod prominẽs leuiter uentriculo inſidet, & in quatuor fibras diuiditur. Ex inferiore uero parte ei fel inhæret. At lienis ſiniſtra eidem ſepto, ſed inteſtino innexus eſt, natura mollis, & rarus, longitudinis, craſſitudiniſque modicæ, iſque paullum à coſtarum regione in uterum excedens, ex maxima parte ſub his conditur.* Iecur igitur eſt ſedes

con-

concupiscentiæ, ideoque metonymicè pro ipsa concupiscentia ponitur: & multoties siue per aliam, causæ, siue per senecdochen vnius partis essentialis, nempe corporis, pro alia, idest anima, & consequenter per metalepsin, affectus concupiscibilis perperam dispositi, in iocinore residentis, iecoris nomine sunt hic appellati. Sic Claudianus in Quartum Consulatum Honorij, ait:

*Quippe opifex ueri us cōfūdere sacra profanis,*
*Distribuit partes animi, sedesq; remouit.*
*Iram sanguinei regio sub pectore cordis*
*Protegit imbutam flammis, auidamq; nocendi*
*Præcipitemq; sui, rabie succensa tumescit*
*Cōtrahitur tepefacta metu, quumq; omnia secū*
*Duceret & requiem membris uesana negaret*
*Inuenit pulmonis opem, madidumq; furenti*
*Præbuit, ut tumidæ ruerent in mollia fibræ.*
*At sibi cuncta petens, nil collatura cupido*
*In iecur, & tractus imos compulsa recessit,*
*Quæ uelut immanes reserat dum bellua rictus*
*Expleri, pasciq; nequit, nunc uerbere curas*
*Torquet auaritiæ, stimulis nūc flagrat amorū*
*Nunc gaudet, nūc mesta dolet, satiataq; rursū*
*Exoritur, cæsaq; redit pollentius Hydra.*
*Hos igitur potuit si quis sedare tumultus*
*Inconcussæ dabit puræ sacraria menti.*

Iecur igitur ponitur pro anima, & concupiscentia.

*NASCVNTVR domini* in animo, mouentes, impellentesque ad ministerium. Id autem tam virtus efficere potest, quam vitium: sed quum virtus sit secundum naturam, & rationem, naturaliter hæc debet in nobis præualere, & domi-

minari: & quamdiu hic ordo seruatur, vt sensus rationi obediant ad opera virtutis exercenda, tunc omnia feliciter cadunt, fitque homo gloriosus, iuxta illud Prouerb. 16. *Melior est patiens uiro forti, & qui dominatur animo suo expugnatore urbium*, nam tunc nedum est liber, sed & Rex, & omni Rege gloriosior, iuxta illud: Seruire Deo, regnare est. Vitium vero est contra naturam, & dictamen rationis, & quum in nos vsurpat imperium, violenter, & tyrannicè dominatur. Pars enim sensitiua illi colligata, naturaliter seruire, & obedire tenetur rationi, iuxta Dei legem latam Genesis 4. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*: Ideoque quando hic ordo peruertitur, vt pars, quæ ancillari debuerat, dominium arriuiat, confunduntur omnia, ruitq; hominis felicitas, atque libertas, vt in Rep. à tyrannis oppressa, vt merito dixerit Sapiens Prou. 30. *Per tria monetur terra, & quartum non potest sustinere, per seruum quum regnauerit, per stultum quum saturatus fuerit cibo: per odiosam mulierem, quum in matrimonio fuerit assumpta: & per ancillam, quum fuerit hæres dominæ suæ*. Vitio igitur tribuitur hic nomen domini, vt passim fit nedũ à profanis, sed & à sacris scriptoribus, immo in 2. Petri c. 2 legimus: *Superba uanitatis loquentes pelliciunt in desiderijs carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt, qui in errore conuersantur, libertatem illis promittentes, quum ipsi serui sint corruptionis, à quo enim quis superatus est, huius & seruus est*. Et ipse Dominus Matthæi 6. ait: *Nemo potest duobus dominis seruire, aut enim unum odio habebit & alterum*

*terum diliget, aut unum sustinebit, & alterum contemnet, Non potestis Deo seruire,& Mammonæ.* Quod dictum exponens Hieronymus l. 1. in Matth. cap. 6. & epistola 151. ad Algasium, asserit: *Mammona Syrorum lingua diuitias appellari, quæ de iniquitate sint collectæ.* August. etiam de C. D. lib. 4. cap. 3. ait: *Bonus, etiam si seruiat, liber est: malus autem etiam si regnet, seruus est, nec unius hominis, sed, quod est grauius tot dominorum, quot uitiorum: de quibus uitijs quum ageret scriptura Diuina, A quo enim quis, inquit, deuictus est, huic & seruus addictus est.* Affectus ergo, siue cupiditas diuitiarum, dominus est cui seruit auarus, quod dicitur per illud schema, quod quidam appellant somatopoijan, quasi diceres corporis imitationem. Nos in Instit. Orat. lib. 3. Tract. 3. cap. 9. prosopopoijam diximus, & interuenire, quum res inanimata inducitur quasi persona. Quamquam non defuerint qui, etsi non vitia, virtutes saltem animalia esse docuerint, vt refert Seneca epistola 113 oppositum ipse sentiens, quia] eadem ratione dicendum foret, etiam vitia esse animalia, quod Stoici non admittunt. Sed licet nec virtutes, nec vitia sint animalia, sed potius qualitates, pugnant nihilominus, & sensualitas per prauas affectiones, voluntatem ad peccatum trahere nititur, acerrimamq; aduersus eam excitat pugnam, quam expertus, de ea queritur Apostolus dicens Roman. 7. [Ego carnalis sum venūdatus sub peccato, quod enim operor non intelligo: non enim quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malū illud facio. Si autem quod

odi

odi illud facio, consentio legi, quoniam bona est; nunc autem iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Scio enim, quod non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum, nam velle, adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio, non enim quod volo bonum hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago: si autẽ quod nolo, illud facio, iam nõ ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Inuenio igitur legem volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adiacet; condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Igitur ego ipse mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati.] Eiusdem sentẽtię fuit Boetius dicens lib.4.de Consol. philos.metro 2.

*Quos uides sedere celsõ*
*Soly culmine, Reges*
*Purpura claros nitente,*
*Septos tristibus armis,*
*Ore toruo comminantes*
*Rabie cordis anhelos:*
*Detrahat si quis superbis*
*Vani tegmina cultus,*
*Iam uidebit intus arctas*
*Dominos ferre catenas*
*Hinc enim libido uersat*
*Auidis corda uenenis,*
*Hinc flagellat ira mentem,*

Flu-

*Fluctus turbida tollens*
*Mœror, aut captos fatigat,*
*Aut spes lubrica torquet,*
*Ergo quum caput tot unum*
*Cernas tot ferre, Tyrannos*
*Non facit, quod optat ipse*
*Dominis pressus iniquis.*

Sic & Claudianus de Quarto Consulatu Honorij dicens:

*Tu licet extremos latè dominere per Indos*
*Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent;*
*Si metuis si praua cupis, si duceris ira,*
*Seruitij patiere iugum tolerabis iniquas*
*Interius leges. Tunc omnia iura tenebis,*
*Quum poteris Rex esse tui. proclinior usus*
*In peiora datur, suadetq; licentia luxum.*

Isti ergo sunt domini, qui nascebantur intus in iecore, corde & animo Danæ, & nascũtur, in animis omnium vitiosorum, nempe affectus & perturbationes effrenatæ, quibus illi seruiunt, dum eis per rationem, & liberum arbitrium repugnare non curant. Nam licet vires naturales non sufficiant ad illas extirpandas, gratia Dei ipsis non deesset, si ipsi facerent, quod in se erat.

*QVI tu impunitior exis*. Qui pro Quomodo. Sic Cicero 1. de Nat. Deorum: *Quid ergo? Solem dicam, aut Lunam, aut Cœlum Deũ? ergo etiam beatum quamlibet fruentem uoluptatibus, & sapientem: Qui potest esse in eiusmodi trunco sapientia?* Impunitior vero, comparatiuũ est à negatione punitionis, quod nomen est à verbo punio, facto à pœnio, siue poinio, (nam oi Græcum transit in oe Latinum, & hoc

& hoc in V, inde impune, quasi impuno. Impunitatis spes, magna est peccandi illecebra, impudenter quidlibet agens. Impunitior ergo dicitur, qui in æquali deprehensus facinore, minorem, quam alius pœnam sustinuit. Nam quum secundum iustitiam, iuxta culparum, debeat esse pœnarum modus, si quis deprehensus, nullam sustineat pœnam, impunitus absolutè dicitur: si vero duo fuerint in eodem crimine deprehensi, & eorum vnus modicam, alius adhuc minorem sustineat pœnam, hic dicetur impunitior illo, quum adhuc ille diceretur impunitus, siquidem non fuit ei inflicta tota pœna, quam merebatur. Sic etiam loquitur Horat. dicens 2. ser. sat. 7.

*Tibi ingens*
*Virtus, atq; animus, cœnis responsat opimis*
*Obsequium uentris mihi perniciosius est: quur?*
*Tergo plector enim. Qui tu impunitior illa,*
*Quæ paruo sumi nequeūt, quū obsonia captas?*
*Nempe, inamarescunt epulæ sine fine petitæ,*
*Illusiq; pedes uitiosum ferre recusant*
*Corpus.*

*SCVTICA* à cute dicta, nam cutis Græcè σκῦτος dicitur hoc est corium, siue pellis: inde scutica propriè est lorum, & genus verberis, aut flagelli, è loris, vel corio facti: sed per senecdochen non est quodcūq; corium, sed tantū illud, quo noxij serui flagellantur, aut iumenta agitantur; & per aliam senecdochen sumitur pro quocumque flagello, siue ex corio, siue ex neruis, siue ex virgis facto. Sic Iuuenal. sat. 6. vers. 475.

*Si nocte maritus*

*Auer-*

*Auersus iacuit, periji libraria, ponunt*
*Cosmetæ tunicas; tarde uenisse Liburnus*
*Dicitur, & pœnas alieni pendere somni*
*Cogitur, Hic frãgit ferulas, rubet ille flagellis,*
*Hic scutica.*

Sic Horat. 1. ser. sat. 3.

*Nec uincet ratio hoc, tantumdem ut peccet. idemque,*
*Qui teneros caules alieni fregerit horti,*
*Et qui nocturnus Diuum sacra legerit. Adsit*
*Regula, peccatis quæ pœnas irroget æquas*
*Nec scutica dignum, horribili secte-e flagello.*
*Nam ut ferula cædas meritum maiora subire*
*Verbera, non uereor, quum dicas esse pares res*
*Furta latrocinijs.*

Asserit ergo poeta: Non poteris tu, qui tot imperiosissimis dominis seruis, quot in tuo corde nascuntur vitia, pœnas vitare, multoq; minus quam ille quem externus herus scuticæ comminatione ad strigilum impulit ministerium.

## SENSVS PARAPRHASTICVS TEXTVS SECVNDI SATYRÆ QVINTÆ.

INnumerabiles sunt hominum variæque inclinationes, vt ad mercaturam, luxuriam, & alia huiusmodi, quousque, podagra inutiles effecti, querantur transisse dies felices, quibus virtutes acquirere potuissent, nũc vero aliud sibi non superesse, nisi vitam inglorìam, & obscuram. At tu Cornute horam omnem sacris das studijs etiam, si inde pallorẽ contrahas, nam quum iuuentutem erudiendam susceperis, illius purgatis auribus Stoica in-

instillas præcepta. Et vos mortales omnes petite vobis ab hoc magistro præsidia senectutis. Cras, inquis, id faciam. Sed si crastinum expectas, numquam facies, nam etiam si modica videatur dilatio, re, magna est, quum cras numquam fiat præsens, vt in eo opereris, sicut rota secundi axis in rheda, etiamsi eadem velocitate mouetur, qua prima, numquam hanc continget, sic nec nunc, cras pariter transeuntia. Sed hujus procrastinationis causa est carentia libertatis, non vtique illius, quam quis acquirere potest per manumissionem, & officium Prætoris, quæ est libertas ciuilis, & secundum ius Quiritum. Nam si quis seruus ingeniatus ad vitia, fuerit manumissus, talem vtique habebit libertatem, vt assumpto prænomine manumittentis, velit sibi nummos credi, vel alios vadare, testamenta subscribere, pro teste adhiberi, & inter iudices computari, quasi in his consistat vera libertas per pileum donata. Quum enim ille censeatur verè liber, cui licet facere, quod vult, pileato autē isti liceat facere quod vult, pileatus iste erit verè liber. Cui respondet ex Stoicis, negando minorem, nō enim licet stulto viuere, vt vult. At replicat manumissus: Cuicumq; facto sui iuris, licet facere quod vult, nisi velit operari contra leges: sed ego per virgam Prætoris factus sum mei iuris, ergo dum nihil faciam contra leges, licet facere quod volo. Ad hæc poeta, Ne irascaris, ò Dama, dum falsas opiniones è tuo corde expellere satago. Non poterat Prætor administranda concedere stultis officia etiam leuissima, vel vsum vitæ concedere:

dere: sicut enim impossibile est rudem calonem artificiosè musicum pulsare instrumentum, aut singularem hominem poliorceticam, trabibus, & armis grauem, gestare machinam, ita stultum illa rectè gerere: ideo ratio contradicit, clamitatque ad aurem cordis, ne talia stulto committantur. Ius etiam tam naturale, quam gentium prohibet committi negocia eis, qui illa vitiabunt dum aggrediuntur, vt si medicæ artis ignarus, medicinam temperare velit, haud dubiè errabit: & si nauem gubernare velit rudis agricola, clamabunt sapientes contra hanc impudentiam. Num ergo soli tibi Damæ concessa est sapientia, quam non didicisti, vt eas scies rectitudinis regulas, & discernere verum à falso, & apparente. Num tu obseruare potuisti, & notare vitanda, & sequenda. Num moderatus in desiderijs, nil poscis tibi improportionatum. Num contentus domo angusta, affabilis es amicis, eisque indigentibus donas, etiam non rogatus, absque tamen nota prodigalitatis? Num potes præterire nummum luto subabscond tum, vel non glutto sorbere spem lucri, quasi saliuam Mercurialem, quæ excitatur ex memoria, vel præsentia rei palato gratæ. Si verè dixeris has te virtutes habere, esto nedum liber, sed & sapiens, autore nedum Prætore, sed & Ioue, dante, corporis illo, hoc animi libertatem. Sin vero retines adhuc veterem nequitiam, ostendens te liberum tantum specie exteriori, interius vero, ijsdem quibus prius, vitijs inquinaris, reuoco dona cōcessa, adimo libertatem, teque iterum addico seruituti. Et quia recta

ratio nihil tibi concesserat, quidquid quantumcumq; minimum facere aggrediaris, etiam si digitum eleuare, in eo peccabis, nullo namque sacrificio impetrare poteris, vt rectum quid in stultis inueniatur. Nefas est enim miscere sapientiam, siue prudentiam agendorum, cum stultitia, siue ineptitudine in rebus agendis. Nec tu qui in reliquis non es nisi rusticus fossor, pedes mouere poteris, ita artificiosè saltando, vt satyrus Bathyllus. Vnde ergo audes te liberum prædicare, quum tot sis vitijs addictus? An forte ignoras esse alios dominos, preter eos, quos relaxare potest virga Prætoris? vt quum herus seruo præcipit. Vade curre, defer strigiles ad balnea Crispini, & si seruus submurmurauerit, Dominus in eum minas intentat. Tu autem licet non subdaris talibus dominis, qui extrinsecus comminando, virgis te adigant ad ministerium, grauiores nihilominus dominos pateris intus in animo, violentius tibi imperantes, grauioremque imponentes seruitutem. Ideoque minus liber es tu, quam ille, quem metus herilis scutica, vel flagello adegit ad deferendos strigiles.

*Sensus Paraphrastici Textus secundi Satyræ quintæ Finis.*

# TEXTVS TERTIVS SATYRÆ QVINTÆ.

DIxerat dura premi ſeruitute illum, qui funibus peccatorū, ſeu vitiorum conſtrictus, liber reuera dici nō poteſt. Id generaliter dictum, nunc exemplificat in Auaritia, Prodigalitate, & Ambitione, quæ vitia ſi quando in animo conuenerint, grauiſſima illi imponunt onera, coguntque ferre etiam detrectantem. Ait ergo:

*MAne piger ſtertis: ſurge, inquit Auaritia: eia*
*Surge, Negas. Inſtat. Surge, inquit, Non queo. Surge*
*En, quid agam? Regitas? En ſaperdam aduehe Ponto*
*Caſtoreum, ſtuppas, hebenū, thus, lubrica Coa:*
*Tolle recens primus piper è ſitiente Camelo,*
*Verte aliquid, iura: ſed Iuppiter audiet: eheu*
*Vare, reguſtatum digito terebrare ſalinum*
*Contentus perages, ſi viuere cum Ioue tendis.*
*Iam pueris pellem ſuccinctus, & œnophorum aptas*
*Ocyus ad nauem, nil obſtat quin trabe vaſta*
*Ægeum rapias, niſi ſollers luxuria ante*
*Seductū moneat. Quo deinde inſanè ruis? Quo?*
*Quid tibi vis? Calido ſub pectore maſcula bilis*
*Intumuit, quam nō extinxerit vrna cicutæ.*
*Tun' mare tranſilias? Tibi torta canabe fulto*
*Cœna ſit in tranſtro, Veientanumq; rubellum*
*Exhalet vapida læſum pice ſeſſilis obba?*

*Quid petis ? vt nummi quos hic quincunce modesto*
*Nutrieras, peragant auidos sudare deunces?*
*Indulge Genio, Carpamus dulcia, Nostrum est*
*Quod viuis, Cinis, & Manes, & fabula fies.*
*Viue memor lethi, fugit hora, hoc quod loquor inde est.*
*En quid agis? duplici in diuersũ scinderis hamo*
*Huncine, an hunc sequaris, subeas alternus oportet*
*Ancipiti obsequio dominos alternus oberres.*
*Nec tu quũ obstiteris semel, instantiq; negaris*
*Parere imperio, Rupi iam vincula, dicas:*
*Nam luctata canis nodũ abripit, ast tamen illi*
*Quũ fugit, à collo trahitur pars longa catenæ.*
*Daue, cito hoc credas iubeo, finire dolores*
*Præteritos meditor (crudũ Cherestratus vnguẽ*
*Abrodens ait hæc) an siccis dedecus obstem*
*Cognatis? an rem patriam rumore sinistro*
*Limen ad obscenũ frangã, dũ Chrysidis vdas*
*Ebrius ante fores extincta cum face canto ?*
*Euge puer, sapias, Dijs depellentibus agnam*
*Percute. Sed censen plorauit Daue relicta?*
*Nugaris? solea puer obiurgabere rubra.*
*Ne trepidare velis, atq; arctos rodere casses,*
*Nunc ferus, & violens, at si vocet, haud mora dicas,*
*Quidnam igitur faciam? ne nunc quum arcessor, & vltro*
*Supplicet, accedam? Si totus, & integer illinc*
*Exieras, nec nunc. Hic, hic quem quærimus, hic est*
*Non in festuca lictor, quem iactat ineptus.*
*Ius habet ille sui palpo, quem ducit hiantem*
*Cre-*

*Cretata ambitio? Vigila & cicer ingere large*
*Rixanti populo, nostra vt Floralia possint*
*Aprici meminisse senes. Quid pulchrius? At quum*
*Herodis venere dies, vnctaq; fenestra*
*Dispositę pinguem nebulam vomuere lucernę*
*Portantes violas, rubrumq; amplexa catinum*
*Cauda natat thynni, tumet alba fidelia vino*
*Labra moues tacitus, recutitaq; sabbata palles,*
*Tunc nigri Lemures, ouoq; pericula rupto,*
*Tunc grandes Galli, & cũ sistro lusca sacerdos*
*Incussere Deos inflantes corpora, si non*
*Prædictum ter mane caput gustaueris alli*
*Dixeris hęc inter uaricosos centuriones*
*Continuo crassum ridet Vulphernius ingens,*
*Et centum Gręcos curto centusse licetur.*

# COMMENTARIVM TEXTVS TERTII SATYRÆ QVINTÆ.



*MANE piger stertis. Surge, inquit Auaritia, eia surge. Negas, Instat. surge inquit: Non queo. Surge.* His verbis prę oculis ponit instans, & violentissimum dominæ Auaritiæ imperium, subijcientis sibi animum etiam mollem, ocio, & delicijs diffluentem, eumq; quantumvis repugnãtem, impellentis ad opus laboriosum. Quid autem

sit stertere, dictum ad satyræ 3. versum 3. esse idem ac profundè dormire. Piger autem stertit, seu altè dormit, quia vt ait Sapiens Prou. 19. *Pigredo immittit soporem*. Et ibidem c. 26. dicitur: *Sicut ostium uertitur in cardine suo ita piger in lectulo suo*. Sed quia vt ibidem habetur cap. 19. *Anima dissoluta esuriet*, & otioso cap. 24. dicitur: *Parum dormies, modicum dormitabis, paululum manus conseres, ut quiescas, & ueniet tibi quasi cursor egestas, & mendicitas quasi uir armatus*; auaritia hoc præcauens malum, suum hortatur seruum, & alumnum, vt operi incumbat. Et quia vt legimus Prou. 21. *Desideria occidunt pigrum, noluerunt enim quidquam manus eius operari: tota die concupiscit, & desiderat*, auaritia ad laborem impellit, quia, vt ibidem dicitur: *Cogitationes robusti semper in abundantia, omnis autem piger semper in egestate est*, Et Prou. 13. *Vult, & non uult piger, anima autem operantium impinguabitur*. Itaque cum piger altè dormiret, excitatur ab auaritia, & quamuis repugnans, excusansque impotentiam, vrgetur nihilominus, & vocibus imperijsque quasi stimulis, & flagellis, hæc illum ad sibi, tamquam verę dominę, parendum impellit.

*EN quid agam? rogitas? En saperdam aduehe Ponto, Castoreum, stuppas, ebenum, thus, lubrica Coa, tolle recens primus piper è sitiente Camelo, uerte aliquid, iura.* Iteratis Auaritiæ vocibus, quasi stimulis excitatus piger, quęrit quidnam sit sibi deinceps faciendum, ideoque ait, En, vt iussisti, iam surrexi, quid nunc me vis facere? Et hic, vbi omnes legunt *En quid agam*, solus

Caſaubonus, etiam cum emphaſis, orationis moratę, & elegantiæ diſpendio, legere vult *Et quid agam*. Sed quum nulla ſit in ſenſu diſcrepantia, variatio non eſt tanti momenti, vt commentationis curſum debeat remorari. Domina igitur Auaritia reſpondet: Tu rogitas quid agã: ſimulans te neſcire quid faciendum tibi ſit, vt diceris. Diſce ergo ex me præcipiẽte, quod Arbiter ait in fragmentis Satyrici:

*Linq; tuas ſedes, alienaq; littera quære,*
*O iuuenis, maior rerum tibi naſcitur ordo.*
*Ne ſuccumbe malis. Te nouerit vltimus Iſter*
*Te Borea gelidus, ſecuraq; Regna Canopi,*
*Quiq; renaſcentem Phœbũ, cernuntq; cadentē*
*Maior in externas Ithacus deſcendas arenas.*

Rogit re autẽ eſt idem ac ſępe rogare, vel iteratis vicibus interrogare. Sic Plaut. Curcul. Actu 1. ſcena 1.

*Si rogitem, quid reſpondeas?*

Et ibidem:

*Quid tu ergo inſanè rogitas, valeatne oſtium?*

*SAPERDAM* quidam putant eamdem eſſe cum ſapa, hæc vero muſtum eſt ad tertias vſq, decoctum, cuius non ſemel meminerũt Cato, Varro, Plinius, & Columella. De eadem hæc Palladius in menſe Octobri titulo 18. *Nunc defrutum, carænum, ſapam conficies: quum omnia uno genere conficiantur ex muſto, modus his & uirtutem mutabit, & nomina: nam defrutũ, à deferuẽdo dictum, ubi ad ſpiſſitudinem fortiter deſpumauerit, effectũ eſt. Carænum, quum tertia perdita, duæ partes remanſerint. Sapa, ubi ad tertias redacta, deſcenderit: quam tamen meliorẽ facrẽt cydonia ſimul cocta, et igni ſuppoſita ligna*

*ficulnea*. Verũ obstat cõtextus: præcipitur enim saperda aduehenda Ponto, hoc est illinc ad nos: Pontus autem quum sit regio frigidissima, nec vites sustinet, nec vinum habet, ideo nec talem saperdam ad nos mittere potest. Alij saperdæ nomine sapientẽ intelligũt, quomodo Varro citatus à Festo, & Nonio dixit: Omnes videmur nobis esse belli, festiui, *saperdæ*, quum simus *κάπροι* seu potius *σαπροί*, idest nugaces, putidi, & marcidi: vel vt est in glossis Philoxeni: Omnes videmur nobis esse belluli, & festiui saperdæ, quum simus sapri, vt sit paranomasia in vocibus saperda, & sapri. Sed neque hoc modo potest accipi nunc, non enim sapiens erat per mercatorem è Ponto aduehendus. Alij relati ab Vlysse Aldourando de piscibus lib. 1. cap. 15. volunt saperdam esse genus conchæ, saporis adeo vilis, vt nonnumquam pro sterquilinio ponatur. Pleriq; etiam existimant esse apuam salitam, vnde Athenæus lib. 3. cap. 19. ait:

*Et Siculi thynni,*
*Quum condire voles in vasis frusta resecta*
*Mitto saperdam procul alti obsonia ponti,*
*Quiq; illam laudant; nam pauci fortè virorum*
*Esse sciunt epulum, prauumq; & debile pisce.*

Verum Dorion lib. de Piscibus relatus ibidem ab eodem Aldourando vult saperdam eamdẽ esse cum Coracino, vnde Athenæus ait ibidem lib. 3. cap. 19. *Dorion lib. de piscibus, tenuem lebianum nominans, eumdem esse dicit, qui etiam Delcanus vocatur; atq; coracinum dici saperdam à pluribus asserit, & eum præcipuè esse optimum, qui in Meotidis stagno capitur.* Idemq; Athe-

næus

næus sic loquitur l b.7. cap. 26. *Coracini marini, velut ait Hicesius, parum nutriunt, facilè excernuntur, ob bonitatemq; succi medij sunt habendi. Aristoteles lib.5. Historiæ animalium: Omnibus ferè piscibus celerrimum fieri incremẽtum accidit, at coracino præcipuè: parit apud littora in locis muscosis, ac densis. Speusippus lib.2. similium, Coracinum, & Melanurum similes esse scribit. Numenius in piscatorio:* Attrahet ex facili sic aliam coracinum. *Sunt alicubi in Musis apud Epicharmum, qui golię dicuntur, ijdem & coracini: inquit enim, golię, flutæque, cynoglossiq; In Hebes nuptijs de gelys velut differentibus mentionem fecit, mus, alphestæ, coracinique cereo colore, goliæ, flutęque, & Cynoglossi. Euthydemus in l. salsamentorum, Coracinum inquit saperdam ab aliquibus nominari. Huic similia dixerunt Heracleon, Ephesius, & Philotimus in re coquinaria. Quod autem saperda velut coracinus nocetur Platistacus, declarauit Parmeno Rhodius l.1. disciplinæ coquinariæ.* Coracinus igitur, qui idem est cum saperda (nisi quod saperda est vox Pontica coracinus vero Græca) coruus à nobis appellatur, & tam dulcium, quam salsarum alumnus aquarum, verũ præstantioris censetur saporis, qui dulcium fuerit incola aquarum, & vltra omnes excellentissimi habiti, qui ex Ægyptio Nilo, vel Pontica palude Meotide saliti ad nos delati fuissent. Ideo monet Auaritia, vt Saperdas, seu Coracinos è Ponto Euxino, & palude Meotide, vnde optimi capiebantur, salitos deferret: nam sic ingens faciet lucrum.

*ADVEHE*, ex euclytica, ad, & verbo veho,

est, ad nostra fero. Vehere namque est ferre, aut gestare, siue humeris, aut manibus, siue vehiculis, aut nauibus, vel aliter quomodocumque, & multa habet composita, inter quæ est istud, Aduehere, significans ex alio loco ad nostrum ferre, cuius contrarium est auehere, quod est, à nobis ad aliũ locũ portare. Et quũ hic dicatur Saperda aduehenda Ponto, significatur vt merx transmarina ad nos deferenda.

*PONTO*. Pontus quandoque ponitur pro toto mari, sed per senecdochen applicatur Euxino; denominationẽ habuit, vel à Ponto Nerei filio: vel ποντίζω à mergo, plura namq; eo merguntur: vel πόνος laboro, laborum est enim plenus, tam in se ratione tempestatum, quam in nauigantibus, vt meritò dicatur Ecclesiastici 43. *Qui nauigant mare, enarrent pericula eius, & audientes auribus nostris admirabimur.* Sic pro toto dixit Ouid. 1. Metam.

*Quaque erat & Tellus, illic & Pontus, &*
*Æther.*

Et Virgilius pro alio, quam pro Euxino dixit 1. Aeneid. versu 128.

*ingens à uertice Pontus*
*In puppim ferit.*

Et deinde versu 138.

*Interea magno misceri murmure Pontum,*
*Emissamq; hyemem sensit Neptunus.*

Verum hic Ponti nomen non sumitur, vt generaliter significat totum mare, sed vt specialiter importat solum Euxinum, quamuis extendatur etiam ad aliud quodcumq;. Pontus autem specialiter nominatus, is est Euxinus incipiens ab insula Tenedo, & protenditur ad

palur

paludem vſque Meotidem, quod quidem mare, vbi poſt Tenedon in confinio maris Aegæi incipit reſtringi, appellatur Helleſpōtus, ſupra quod Xerxes ponтē ex continuatis conſtruxit nauibus, (non eſt laxior paſſibus non centis) vt pedes ex Aſia in Europam tranſiret. Idem fretum ex Abido Seſtum vſque, ſępe natando Leander tranſiuit, vt ad puellam Heron veniret, quouſque in eodem merſus occubuit: ac ibidem, vbi Abido fuit, & Seſtus, duo nunc ſunt caſtra, Dardanelli appellata, & credita propugnacula Imperij Othomanici, & maximè Vrbis Conſtantinopolitanæ. Nominatur autem Helleſpontus ab Helle, quæ, vna cum Frixo fratre, nouercæ inſidias fugiens, arietemq; aureum habentem vellus obequitans, illi ſe freto commiſit, in cuius medium, ſenſibus ob timorem deſtituta, & alienata, cecidit ac merſa eſt, deditque ſuum illi nomen, vt diceretur Helleſpontus: quaſi Pontus Helles, ideſt in quo Helles fuit merſa. Frixus vero eodem ariete vehente: ſaluus Colchidem appulit. Inde prope antiquū Bizantiū, vbi nūc eſt Conſtantinopolis, mare illud incipiēs dilatari, appellatur Propontis; & deinde vbi iterū arctatur, eſt Boſphorus Thracicus. Poſtquem quum in maiorem, quam vnquam venit latitudinem, merito maris maioris ſortitur vocabulū, & etiam maris nigri; Hoc mare antiquis, per antiphraſim, vel per Euphoniſmum, Pontus Euxinus quaſi benè hoſpitalis dicebatur, quum potius dici deberet Axinus, erat enim inhoſpitalis, nam illius accolæ, hoſpites quos habere poterant, vel Dianæ immolabant, vel

alijs innumeris mactabant, & afficiebant malis. Ibiq; exulauerunt Ouidius, & S. Clemens Papa I. alijq; Inde quum mare istud ad Scytici arcus similitudinem curuatur, coniungiturque ostio paludis Meotidis appellatur Bosphorus Cimmerius. Ex illa ergo palude habebātur optimę saperdæ, vt iā dictum est. Pontus autem est dicta terra illa, à Ponto illius Rege, nam prius Thiannica dicebatur, terminatur autem ab Oriente Colchide, ab Occidente flumine Haly, à Meridie Armenia maiori, & à Septentrione, palude Meotide, siue Bosphoro Cimmerio. Regio est venenorum admodum ferax, indeque ansam arripuerunt autores scribendi de Medeæ veneficijs. Et de hoc Ponto, seu de palude Meotide, qua terminatur, nunc loquitur.

*CASTOREVM* est pharmaci odoratissimi genus, ex exectis testibus fibri animalis Pontici confecti, de quo Seruius ad illud Virgilij 1. Georg. versu 57.

*India mittit ebur, molles sua thura Sabæi*
*At Chalibes nudi, ferrum, virosaque Pontus,*
*Castorea,*

ait: *Fibri canes sunt Pontici, quorum testes apti sunt medicaminibus, propter quos vbi se requiri senserunt, eos secant.* De his Cicero pro Emilio Scauro. Redimunt se ea parte corporis, propter quam maximè expetuntur. Et Iuuen. sat. 12. vers. 34.

*imitatus castora, qui se*
*Eunuchum ipse facit, cupiens euadere damno*
*Testiculorum, adeo medicatū intelligit inguen.*

Castores autem à castrando dicti sunt. Et ve-

vetus Iuuenalis interpres ad iam dictum locum ait: *Castorem, bebrum dicit, qui quum uiderit se obsideri, & non posse euadere, testiculos suos, morsu auulsos, proijcit: intelligit enim ob hanc rem se capi, quia ad medicinam ualdè sunt necessarij.* Qui bebrum dicit fiber ab alijs appellatum. Sic Plinius lib.8 cap.30. *Easdem partes, testes, sibipsis Pontici amputant fibri periculo urgente, ob hoc se peti gnari: castoreum id uocant medici, alias animal horrendi morsus: arbores iuxta flumina, ut ferro cædit: hominis parte comprehensa, non antequā fracta concrepuerint ossa, morsus resoluit. Cauda piscium ijs, cætera species lutræ, utrumque aquaticum, utriq; mollior pluma pilus.* Sic Tertullianus ad id allusit aduersus Marcionem lib.1. cap.1. dicens: *Quis tam castrator carnis castor, quam qui nuptias abstulit.* Addit Petrus Damiani lib.2.epist.18 [Castor quum se videt à venatore propter genitalia persequi, hæc mordicus abscindit, & ante venatoris faciem proijcit: sic illico venator abscedit, dum id, propter quod eum persequebatur, extorsit. Si vero contigerit, vt alter eum rursus venator inueniat, eumque acrius, & instantius persequens, euadendi aditum iam iam penitus disperare compellat, in arcto situs, in os se venatoris erigit, sibique deesse vitilia, propter quę perurgetur, ostendit. Sic, sic ab insectantis venabulis liberatur, dum ostendit sibi deesse, quod quæritur.] Et Nux Ouidiana sic inquit:

*Sicubi detracta est à te tibi causa pericli,*
*Quod superest tutum Pontice castor habes.*

Hāc tamē opinionē de sui castratione ref.llūt

eruditi post Plin. dicentem lib.32.cap.3 *Spectabilis naturæ potentia, quibus & in terra, & in aqua uictus est sicut fibris, quos castores uocant, & castorea testes eorum. Amputari hos ab ipsis, quum capiuntur, negat Sextius diligentissimus medicinę, quinimmo paruos esse, substrictosque, & adhærentes spinę, nec adimi sine uita animalis, posse.* Idem sensit Dioscorides dicens lib.2.cap 26. *Vanum est, quod tradunt animal hoc, quando uenatores urgent testes sibi euellere, atque abijcere. Neque enim id fieri potest, quum substricti sint, ut in sue.* Castoreum ergo intellig t medicamentum factum ex fibro, seu cane Pontico, vt Seruius nominat, quia pedes anteriores caninos habet: quibus cuniculos ad habitandum in oris fluminum sibi effodit: pedes vero posteriores habet anserinos, quibus vtitur ad natandum, quum sit animal amphibiũ, æquè benè in aquis, & terra viuens. Ex cuius etiam animalis pilis, omni lana, & pluma mollioribus, fiunt galeri castorei appellati, & omnium laudatissimi.

*STVPPA*, Festus stipas dicit, sic enim ait: Verrius stipatores ait dictos à stipe, quam mercedis nomine accipiunt custodes cuiusq; corporis; vnde & stipam, qua amp horę, quum extruuntur, firmari solent. Stupam igitur, siue stipam à stipando, idest firmando dictam censet. Alij deriuant ex στοιβὴ herba, seu stramento, quo culcitras farciebant. Alij ex στύππη, siue στύπη, aut στυπεῖν condenso. Eam fieri dicunt ex lino, vel cannabo, eaque tabulata, maximè nauium, rimæ, & foramina farciuntur, & condensantur. De ea ita Plinius

lib.19.

lib. 19. cap. 1. *Post messem triticeam, virgæ ipse merguntur in aquam, solibus tepefactam, pondere aliquo depressæ, nulli enim leuitas maior. Maceratas indicio est membrana laxatior: iterumq; inuersæ vt prius, sole siccantur: mox arefactæ in saxo tunduntur stupario malleo. quod proximum cortici fuit, stupa appellatur. deterioris lini, lucernarum ferè luminibus aptior & ipsa tamen pectitur ferreis hamis, donec omnis membrana decorticetur.* Stuppa igitur est lini fex, & pars lini cortici proximior, ex qua fiunt chordæ, vt grossiores, ita viliores, & fragiliores, & vestes pro agricolis, rusticis, & plebeis hominibus. Non video autem quur auaritia suum impellat seruum ad stupam è Ponto in Italiam deferendam, quum Italia lino, & cannabo sit feracissima. Existimarem stupæ nomine intellexisse villos, pellesque castorei, ex quibus fiunt galeri, si vmquam legissem ex eis factas fuisse vestes: & etiam obstat, nam stuppa est fex, & vilior pars lini, pili autem castorei sunt omni lino preciosiores. Inde puto stuppæ nomine per senecdochen metaphoricam intelligi quãcumque mercem, quæ vili pretio apud Ponticos, aut alios transmarinos venũdaretur, quę apud illos foret vt stuppa, & apud nos, ob raritatem, magni haberetur.

*EBENVM* siue cum aspiratione, siue absq; ea, generis tam neutri, quam masculini, est lignum exteriori quidem specie, buxo simile, intus vero omnino nigrum, & adeo ponderosum, vt in aquis non fluitet. Sic Plinius l. 16. cap. 40. *Spississima ex omni materie, ideo & grauissima iudicatur ebenus, & buxus, graciles na-*

*naturæ, neutra in aquis fluitat, nec suber, si de-matur cortex, nec larix.* Et infra eodem cap. subdit: *Cariem vetustatemque non sentiunt cu-pressus, cedrus, ebenus, lotos, buxus, taxus, iu-niperus, oleaster, & olea. Et ex reliquis tardis-simè larix, robur, suber, castanea, iuglans. Rimã fissuramque non capit spontè cedrus, cupressus, olea. Buxum maximè æternum putant, ebenum & cupressum, cedrumque, claro de omnibus mate-rijs iudicio in templo Ephesiæ Dianæ, vtpotè quũ tota Asia extruente, quatringentis annis peractũ sit. Conuenit tectum eius esse è cedrinis trabibus. De ipso simulacro Deæ ambigitur: cæteri ex ebe-no esse tradunt: Mutianus ter Consul, ex his qui proximè viso eo scripsere, vitigineum & numquã mutatum, septies restituto templo: hanc mate-riam elegisse eamdem, Canetiam nomen artificis nuncupans.* Quamuis autem Virgilius velit hanc arborem esse Indiæ propriam, dicens 2. Georgicæ versu 116.

*Diuisæ arboribus patriæ: sola India nigrum*
*Fert ebenum, solis est thurea virga Sabæis.*

Plinius nihilominus vult, & in Æthiopia in-ueniri, vnde ait lib. 6. cap. 30. *Sita est Æthio-pia ab Oriente hyberno, ad Occidentem hybernũ, Meridiano cardine siluę ebeno maximè virent.* Et lib. 12. cap. 4. inquit: *Vnam è peculiaribus Indiæ Virgilius celebrauit ebenum, nusquam alibi nasci professus. Herodotus eam Æthiopiæ intelligi maluit, tributi vice Regibus Persidis è materie eius centenas phalangas, tertio quoque anno pensitasse Ethiopas cum auro, & ebore pro-dendo. Non omittendum id quoque, vicenos den-tes elephantorum grandes, quoniam ita significa-*

*uit*

*uit Ethiopas eadem causa pendere solitos. Tantæ ebori autoritas erat Vrbis nostræ anno 310. tunc enim autor ille historiam eam condidit Thurijs in Italia. Quo magis mirum est, quod eidem credimus, qui Padum amnem vidisset, neminem ad id tempus Asiæ, Græciæque, aut sibi cognitum, Æthiopię forma, vt diximus, nuper allata Neroni principi, raram arborem ebenum Meroen vsq; à Syene fine imperij per 996000. passuum, nullamque aliam nisi palmarum generis esse docuit. Ideo fortassis in tributorum autoritate, tertia res fuerit ebenus Romæ cam Magnus Pompeius in triumpho Mitridatico ostendit. Accendi eam Fabianus negat, vritur tamen odore iucundo. Duo genera eius. Rarum id, quod melius arborenm, trunco enodi, materię nigri splendoris, ac, vel sine arte protinus iucundi: alterum fruticosum, cytisi modo, & tota India dispersum* Ebenus ergo in India, vel Æthiopia nascebatur, ideo non erat ex Euxino Ponto aduehendus: sed quia per senecdochen, Ponti nomine, quodcumque mare comprehenditur, benè hic positus, quamquam deferendus non ex Euxino, sed ex emporio Alexandrino, & Aegypto, vnde etiam thus.

*THVS* est lacryma cuiusdam arbusculæ vni terrarum, Arabiæ, nec tamen omni concessæ. De qua sic Plinius lib. 12. cap. 14. Thura præter Arabiam nullis, ac ne Arabiæ quidem vniuersæ. In medio eius ferè sunt Atramitæ, pago Sabæorum, capite regni Sabota, in monte excelso, à quo octo mansionibus distat regio eorum thurifera: Saba appellatur, quod significare Græci mysterium dicunt: Spectat ortus

ortus solis æstiui, vndique rupibus invia, & à dextra maris scopulis inaccessa: id solum, è rubro lacteum traditur. Siluarum longitudo est schœnorum 20, latitudo dimidium eius: Schœnus patet Erathostenis ratione, stadia 40 hoc est passus 5000. Aliqui 32. stadia singulis schœnis dedere. Attolluntur colles alti, decurruntque, & in plana arbores sponte natæ. Terram argillosam esse conuenit, raris fontibus, ac nitrosis. Attingunt & Minæi pagus alius, per quos euehitur vno tramite angusto. Hi primi commercium thuris fecerunt, maximèque exercent, à quibus & Minęum dictum est. Nec præterea Arabum alij thuris arborem vident, ac ne horum quidem omnes, feruntque trium millium non amplius familiarum, quæ ius per successiones id sibi vindicent: Sacros vocari ob id, nec vllo congressu fœminarum, funerumque quum incidunt eas arbores, aut metant, pollui, atque ita religione merces augeri. Quidam promiscuum ius ijs populis esse tradunt in siluis, alij per vices annorum diuidi. Nec arboris ipsius, quæ sit facies constat. Res in Arabia gessimus, & Romana arma in magnam partem eius penetrauere: C. etiam Cæsar Augusti filius, inde gloriam petijt, nec tamen ab vllo (quod equidem sciam) Latino, arborum earum tradita est facies. Gręcorum exempla variant. Alij folio piri, minore dumtaxat, & herbidi coloris, prodidere: alij lentisco similem, sub rutilo folio: quidam therebinthum esse, & hoc visum Antigono regi, allato frutice. Iuba Rex ijs voluminibus, quæ scripsit ad C. Cæsarem Augusti

gusti filium, ardentem fama Arabiæ, tradit, contorti esse caudicis, ramis aceris maximè Pontici: succum amygdalæ modo emittere, talesque in Carmania apparere, & in Aegypto, satas studio Ptolomæorum regnantium: cortice lauri esse constat: quidam & folium simile dixere: talis certè fuit arbor Sardibus: nam & Asiæ reges serendi eam curam habuere. Qui mea ætate legati ex Arabia venerunt, omnia incertiora fecerunt, quod iure miremur, virgis etiam thuris ad nos commeantibus, quibus credi potest, matrem quoque teretem enodi fruticare trunco. Meti semel anno solebat, minore occasione vendendi: iam quæstus alteram vindemiam adfert. Prior atq; naturalis vindemia circa canis ortum, flagrantissimo æstu incidentibus, qua maximè videtur esse prægnans, tenuissimusque tendi cortex. Laxatur hic plaga, non adimitur, inde prosilit spuma pinguis: hæc concreta densatur, vbi loci natura poscat tegete palmea excipiente, aliubi area circumpauita: purius illo modo, sed hoc ponderosius. Quod in arbore hæsit, ferro depectitur, ideo corticosum. Silua diuisa certis portionibus, mutua innocentia tuta est, nec vllus saucias arbores custodit, nemo furatur alteri. At Hercule Alexandriæ vbi thura interpolantur, nulla satis custodit diligentia officinas, subligaria signantur opifici, persona adijcitur capiti, densusq; reticulus: nudi emittuntur, tanto minus fidei apud nos pœna, quam apud illos siluæ habent. Autumno legitur ex æstiuo partu: hoc purissimum candidum. Secunda vindemia est vere,

ad eam hyeme corticibus incisis: Ruffum hoc erit, nec comparandum priori: illud carphectum, hoc dathiathum vocant. Creditur, & nouellæ arboris candidius, sed veteris odoratius. Quidam & in insulis melius putant gigni: Iuba in insulis negat nasci. Quod ex eo rotunditate guttę pependit, masculum vocamus, quum alias non ferè mas vocetur, vbi non sit fęmina; religioni tributum, ne sexus alter vsurparetur. Masculum aliqui putant à specie testium dictum: præcipua autem gratia est mammoso, quum hærente lacryma priore, consecuta alia miscuit se. Singula hæc manum implere solita inuenio, quum minore diripiendi auiditate lentius nasci liceret. Græci stagoniam, & atomum tali modo appellant, minorem autem Orobiam. Micas concussu elisas, mannam vocamus: Etiamnum tamen inueniuntur guttę, quæ tertiam partem minæ, hoc est 39. denariorum pondus æquent, Alexandro Magno in pueritia sine parsimonia thura ingerenti aris, pædagogus Leonidas dixerat, vt illo modo quum deuicisset thuriferas gentes, supplicaret: at ille Arabia potitus, thure onustam nauem misit ei, exhortatus, vt largè Deos adoraret. Thus collectum Sabotam, camelis conuehitur, porta ad id vna patente. Digredi via, capitale leges fecere. Ibi decimas Deo, quæ vocant Sabia, mensura, non pondere, sacerdotes capiunt. Nec ante mercari licet: inde impensæ publicæ tolerantur. Nā & benignè certo itinerum numero Deus hospites pascit. Euehi non potest nisi per Gebanitas, itaque & horum regi penditur ve-

stigal

ctigal Caput eorum Thomna abest à Gaza nostri littoris Iudææ oppido 107. millibus passuum, quod diuiditur in mansiones camelorum 62. Sunt & quæ sacerdotibus dantur portiones, scribisque regum certæ, sed præter hos, & custodes satellitesque, & hostiarij, & ministri populantur. Iam quacumq; iter est, aliubi pro aqua, aliubi pro pabulo, aut pro mansionibus, varijsque portorijs pendunt, vt sumptus in singulos camelos 688. denarium ad nostros littus colligat, iterumque imperij nostri publicanis penditur. Itaq; optimi thuris libra 16 pretium habet, secunda 15, tertia 14. Apud nos adulteratur resinę candidæ gemma perquam simili: sed deprehenditur quibus dictum est modis. Probatur candore, amplitudine *fragilitate, carbone, vt statim ardeat. Item ne dentem recipiat potius, quam in micas frietur.* Et quia adhibetur in Deorum sacrificijs. Ouid 14. Metam. ait:

*Seu Dea tu præsens, seu Dijs gratissima, dixit,*
*Numinis instar eris semper mihi, meq; fatebor*
*Munus habere tuũ, quæ me loca mortis adire,*
*Quę loca me visæ voluisti euadere mortis.*
*Pro quibus aerias meritis euectus ad auras*
*Templa tibi statuam, tribuamq; thuris honorẽ.*

Sic Tibullus lib. 1. eleg. 3.

*At mihi contingat patrios celebrare penates,*
*Reddereq; antiquo menstrua thura Lari.*

Eius vsus maximè ad reddendos suaues suffitus in sacrificijs ad Dei honorem: & propterea quamuis Varro, Seruius, Priscianus, & alij putent thus dictum à verbo tundo, quasi sit à tundendis glebis, & propterea velint scribi sine aspiratione: magis tamen placet esse à Gręco

co θύειν sacrifico, & scribendum, cum aspiratione Et hęc merx nō ex Ponto, sed ex Aegypto adferebatur.

*LVBRICA* sunt quæ comprehensa, facilè elabuntur, vt glacies, serpens, anguilla: vel locus in quo quis pedes figere, vt consistere non potest, vt terra argillosa, & madida, vel herbæ sanguine perfusæ. Sic Cicero pro Cœlio: *Multa nobis blandimenta natura ipsa genuit, quibus sopita virtus conniueret, & interdum multas vias adolescentiæ lubricas ostendit, quibus illa insistere, aut ingredi, siue casu aliquo, aut prolapsione, vix posset.*

*COA*, Chos aut absque aspiratione Cos, vel Coa, insula est maris Icarij, vel Aegei siue Arcipelagi, vna ex Cycladibus, quæ spōtè se mouere, & quasi natare videntur, Rhodo proxima, antiquis Meropis dicta, ex qua in omni ferè facultate illustres viri prodiere, vt Nicias Tyrannus, Ariston philosophus Peripateticus, Philetes poeta, Apelles pictor, Hippocrates Medicus, & alij multi. In eadem vinum nascebatur laudatissimum, & colligebatur bombyx, ex quo fiebant vestes tenuissimæ, maximoque in pretio habitæ. Dubium ergo nunc est quænam sint lubrica Coa, quorum hic meminit poeta. Casaubonus, & alij volunt esse vina illius insulæ, denominata lubrica per metonymiam continentis, nempè epitheti, & adiuncti conuenientis continenti: idest ratione vasculorum testaceorum, quibus hæc vina inde ad nos deferebantur: vel quia ob eorum suauitatem, absque palati offensione affluenter bibebantur, vt per fauces quasi

per

per lubricum, laberentur. Vel quia quum Horatius dixisset 2. serm. sat. 4.

*si dura morabitur aluus*
*Mitilus, & viles pellent obstantia conchę,*
*Et lapathi breuis herba, sed albo non sine Coo*
*Lubrica nascentes implent conchilia lunæ.*

Vbi lubrici epitheton, non vino, sed conchilijs additur. Sed ait Casaubonus, Persium ex assidua Flacci lectione, habuisse simul memoriam vini Coi, & epitheti lubrici: quasi ea cõiungere debuisset, si natura non conuenirent. Nec Casaubonus tantum, sed omnes, vno excepto Cluuerio, quem refert, sed non sequitur Ioannes Bond, lubrica Coa volunt esse vina illius insulæ, denominata lubrica, vel quia aluum soluerent, vel quia, vt suauia, facilè absumerentur, vel quia, vt lenia, stomachi calore cito concoquerentur. Sed nihil cogit de vino interpretari, quum æquè benè, immo conuenientius lubrica Coa accipere possimus pro vestibus bombycinis, quæ in ea insula contextæ, à mercatoribus conquisitę, ingenti cum lucro deferebantur ad loca vbi luxuria vigeret. Nec obstat vestes esse generis fœminei, nam indumenta generis sunt neutri. Hæc ergo indumenta dici potuere lubrica Coa, vel quia pendula, facilè fluerent, & demitterentur, vel quia ratione tenuitatis, & transparentiæ, corpora illis induta, ferè nuda viderentur, vnde Petronius in Satyrico:

*Aequum est induere nuptam ventum textilem*
*Palā prostare nudam in nebula linea.*

Vētus enim textilis, & nebula linea, vestis est tenuissima, qua induta, nuda credi poterat, vt

de quibusdam loquitur Hieronymus ad Heluidium, relatus à Ioanne VVomarensi, in illũ Petronij locum. Ingrediuntur expolitæ libidinum victimæ, & tenuitate vestium, nudæ oculis ingeruntur: Atheneus etiam relatus à Iosepho Antonio Gonzalio de solas in eumdem Petronij locum ait: Et sambucam pulsantes Rhodiæ quædam mulieres, quæ mihi quidem videbantur nudę, aiebant autem nonnulli, tunicis indutas fuisse. Indutas certè, sed indumentis quasi vitreis, vt ea denominat Varro, vel telis araneis, qualis describitur: Temperantiæ tunica apud Eustachium lib 2. de amoribus Ismeniæ, dicentem: Tunica virgini aranea, coloris albi. Nebula ergo linea erat amiculum tenue, nec panni densitatem, nec telæ imitans crebritatem, sed nebulæ potius raritatem. Tales vestes bombyce næ in Coo insula fiebant, quę apud omnes passim autores pro mulieribus celebrabantur. Sic Ouid 2. de Arte.

*Siue erit in Tyrijs, Tyrios laudabis amictus,*
*Siue erit in Cois, Coa decere puta.*

Sic Tibullus lib 2. eleg. 4.

*O pereat quicumq; legit viridesq; smaragdos,*
*Et niueam Tyrio murice tingit ouem*
*Hic dat auaritię causas, & Coa puellis*
*Vestis, & è rubro lucida concha mari.*

Sic Propertius lib. 1. eleg 2.

*Quid iuuat ornato procedere victa capillo,*
*Et tenues Coa veste mouere sinus?*

Idemque Propert. lib. 2. eleg. 1.

*Siue togis illam fulgentem incedere Cois*
*Hoc totum è Coa veste volumen erit.*

Et

Et Iuuenal. satyra 6. versu 219.

*Hę sunt, quæ tenui sudant in cyclade, quarũ*
*Delicias & panniculus bombycinus vrit.*

Sed apposite ad rem, Cois indutã, nudã videri dixit Horatius, matrem familias à scorto distinguens 1. ser. Sat. 2. dicens:

*Ad talos stola demissa, & circumdata palla*
*Plurima, quę inuideant purè apparere tibi rẽ:*
*Altera nil obstat, Cois tibi pene videre est*
*Vt nudam: ne crure malo, ne sit pede turpi*
*Metiri possis oculo latus.*

Et Martialis lib. 8. epigr. 68.

*Fœmineum lucet sic per bombycina corpus,*
*Calculus in nitida sic numeratur aqua.*

Vestes igitur Coæ, ex bombyce contextæ, apud puellas maximo erant in pretio, ob earum tenuitatem, & transparentiam, quia nec grauabant, nec membrorum abscondebant decus, colorem, aut proportionem, vt merito lubricæ dici potuerint. Et de eis intelligit nũc domina auaritia, monens nouum mercatorem, vt, si velit ditescere, talia aduehere festinaret.

*TOLLE recens primus piper è sitiente camelo.*

Mercatores ingens facere lucrum gestientes, student primi esse in mercibus commutandis, nam sic meliores minori væneunt: et, si expectent quousque magnę partis illarum sit facta distractio, deteriores carius ement: rerum enim vænalium pretia, vt copia vilescunt, ita crescunt ex penuria. Sic etiam docuit Horat. lib. 1. epist. 6.

*caue ne portus occupet alter,*
*Ne Cybiratica, ne Bythina negotia perdas,*

Ideo mercator iste à domina auaritia mone-

tur, vt sit primus ad tollēdū piper,& ꝑ senecdochen speciei pro genere, quascumque merces,siue Indicas,& Orientales, siue Ponticas, aut Æthiopicas. Et addit *è sitiente camelo*,quā clausulam sic exponit hic ntonius Foquelinus : Senecdoche est : Camelus pro pelle , & membrana Cameli:Nos aliter,nimirum,si fieri possit,in ipsa via,& antequā in prōptuaria, & apothecas species forēt delatæ:hinc enim præter pretij vilitatem, aliud exurgit ementis commodum , nam prior soluet ex illo emporij portu,& primus deferet merces ad loca, in quibus earum erit indigentia, & ita carius illas distrahet .Quod si expectet quousque alij emerint,ipse deteriores carius emet, & deinde multo vilius vendet , siquidem alij prius soluentes , populorum indigentiam iam leuauerunt. Itaque è sitiente camelo , est è camelo, quum primum ex India , vel Æthiopia venerit, priusquam exoneratus , quatriduanam expellere potuerit sitim , quam fortè passus erat, per arenosa itinera ambulando. De Camelis ait Plinius lib. 8.cap.18. *Camelos inter armenta pascit Oriens , quorum duo genera, Bactriani, & Arabici. differunt , quod illi bina habent tubera in dorso: hi singula, & in pectore alterum, cui incumbunt. Dentium superiore ordine, vt boues,carent , in vtroque genere. Omnes autem iumentorum in iis terris dorso fungūtur , atque etiam equitantur in prælijs. Velocitas inter equos , sed sua cuique mensura , sicuti vires. Nec vltra assuetum procedit spatium , nec plus instituto onere recipit. Odium aduersus equos gerunt naturale . Sitim & quatriduo tolerant,*

*im-*

*implenturque quum bibendi occasio est, & in præteritum, & in futurum, obturbata, proculcatione prius aqua, aliter potu non gaudent. Viuũt quinquagenis annis, quidam & centenis: vtcumque rabiem, & ipsi sentiunt. Castrandi genus etiam fœminas, quæ bello præparantur, inuentũ est; fortiores ita fiunt coitu negato.* Oneribus ergo vehendis animal istud aptissimum, ad quod munus camelis vtuntur regiones Arabiæ, Aethiopiæ, & aliæ arenosæ, aquisque destitutæ: nullum enim aliud animal posset per eas iter habere, quin siti moreretur: at cameli commodè ibi viuunt, quia sitim, etiam per quatriduũ sustinent; sed deinde opportunitate data, tantum aquæ (non quidem limpidæ, sed pedum proculcatione turbatæ) absumunt, quantum sufficiat nedum extinguendæ siti præteritæ, sed etiam ad præuentionem alterius quatridui. Colli eius proceritatem, naturæ sagaci prouidentiæ tribuit. Cicero 2. de Natura Deorum dicens: *Animantium aliorum ea est humilitas, vt cibum terrestrem rostris facilè contingant: quæ autem altiora sunt, vt anseres, vt cycni, vt grues, vt cameli, adiuuantur proceritate collorum.* Talibus ergo iumentis, idest camelis, piper, & aliæ merces Indicæ, per arenas, & deserta Arabiæ in Aegyptum, & ad Alexandrinum deferebantur emporium, vnde mercatores Europæi, ante institutam Lusitanicam per Oceanum Atlanticum nauigationẽ (quam per summum scelus, & iniuriam, Hollandi occupauere, & nunc magna ex parte retinent) ad suas quisque regiones deuehebant, pro sua virili contendentes, vt quisque in-

emendo, & distrahendo primus foret, & sic amplius lucraretur, siquidem vt Lucilius cecinit.

*Sicuti quum ficus primus propola recentes*
*Attulit et pretio ingenti dat primitu' paucos.*

*VERTE aliquid*, *iura*. Et hęc monita Auaritiæ. Nam suadet, vt merces mercibus commutet, & res proximorũ ad se, technis trahat, vel fraudibus, varijsq e periurijs rem satagat suam augere. Sunt enim periuria mercatoribus perquam familiaria. Sed Pericles ab amico rogatus, vt pro se peieraret: respondit, amicum quidem se esse, verum vsque ad aram, idest, quousque religio pateretur: nam si Deorum offensa intercedere debuisset, malle se Deorum, quam hominum amicitiam custodire. Clinia etiam, quum posset vitare trium talentorum damnum, legitimo iureiurando, etiam si hoc præstare posset absque periurio, damnum tamen sustinere maluit, quam iurare. Vertere autem originatum videtur à Vere, nam verno tempore vniuersa ferè commutantur, & renouantur, & ita verti videntur. Sunt autem multæ huius vocis significationis, à quibus recensendis abstinemus: hic puto importare idem, ac commuta vt supra v. 54. dixit: *Mercibus hic Italis mutas sub sole recenti rugosum piper:* ita etiam quod hic ait, *Verte aliquid*, est Commuta merces tuas cum Indicis, vel alijs exoticis. Nisi malis *Verte* dictum esse per aphęresin, pro Auerte, quod idem valet, ac decipe, circumueni, vel rem deflecte aliò, quam quò debebatur, vel erat destinata: quod vitium vtinam non foret in nonnullis

mer-

mercatoribus, qui sycophantijs, dolis, & fraudibus rem student augere, iure ne an iniuria, cum damno alterius, vel sine eo, nihil pensi habentes. Et eadem aphæresis est in verbo sequenti, *Iura*, nam monet, vt peieret, Iouemq; mendacij testem faciat, quod est frequens in mercatoribus.

*SED Iuppiter audiet.* Sic respondet nouus mercator, Auaritiæ impellēti ad peierandum: id negat se facturum, quia formidabat ne in se peierantem animaduerteret. Non enim à periurio abstinebat virtutis amore, nam erat luxuriosus, sed formidine pœnæ. Contra quam ait Horatius lib. I. epist. 16.

*Oderunt peccare boni, virtutis amore.*
*Oderunt peccare mali formidine pœnæ.*
*Tu nihil admittas in te formidine pœnæ:*
*Sit spes fallendi, miscebis sacra profanis.*

Cuius ratio est, nam qui à peccando abstinet pœnę formidine, si hanc non timeret, in peccatum ruiturus, non habet animum liberum ab affectu, & voluntate peccandi, & ita, quo ad animum, iam culpam perpetrauit. Rectius sensit Cicero, dicens lib. I. de Legibus: *Scelerū in homines, atq; impietatum nulla expiatio est, itaque pœnas luunt, non tam iudicijs, quę quondam nusquam erant, hodie multifariam, nulla sunt, ubi sint tamen persæpe falsa sunt, vt eos agitent, insectenturque furiæ, non ardentibus tędis, sicut in fabulis, sed angore conscientiæ, fraudisque cruciatu, quod si homines ab iniuria, pœna, non natura arcere deberet, quęnam sollicitudo vetaret impios, sublato suppliciorum metu? quorum tamen nemo tam audax vnquam*

*fuit, quin aut abnueret à se commissum esse facinus, aut iusti sui doloris causam aliquam fingeret, defensionemque facinoris à natura iure aliquo quæreret, quæ si appellare audent impij, quo tandem studio colentur à bonis? Quod si pœna, si metus supplicij, non ipsa turpitudo terret ab iniuriosa, facinorosaque vita, nemo est iniustus, aut incauti potius habendi sunt, improbi: tum autem qui non ipso honesto mouemur, vt boni viri simus, sed vtilitate aliqua atque fructu, callidi sumus non boni: nam quid faciet is homo in tenebris, qui timet nihil nisi testem, vel iudicem? Quid in deserto? quo loco nactus, quem multo auro spoliare possit, imbecillum, atque solum? Noster quidem hic natura vir iustus, ac bonus, etiam colloquetur, iuuabit, in viam deducet. Is vero qui nihil alterius causa facit, metietur suis commodis omnia; videtis credo quid sit acturus: quod si negabit se illi vitam erepturum, & aurum ablaturum, numquam ob eam causam negabit, quod id turpe iudicet, sed quod metuat ne emanet, idest ne malum habeat.* Et idem Officiorum 3. inquit: *Emolumenta rerum fallacibus iudicijs vident, pœnam, non dico legum, quas sæpe perrumpunt, sed ipsius turpitudinis, quæ acerbissima est, non vident. Quamobrem hoc quidem deliberantum genus, pellatur è medio (est enim totum sceleratum, & impium) qui deliberant vtrum id sequantur, quod honestum esse uideant, an se scientes scelere contaminent. In ipsa enim dubitatione facinus inest, etiam si ad id non peruenerint. Ergo ea deliberanda omnino non sunt, in quibus est turpis ipsa deliberatio: atque etiam in omni deliberatione cælandi, & occultandi*

*tandi spes opinioque remouenda est: satis enim nobis (si modo in philosophia aliquid profecimus) persuasum esse debet, si omnes Deos, hominesque celare possimus, nihil tamen auarè, nihil iniustè, nihil libidinosè, nihil incontinentèr esse faciendum. Hinc ille Gyges inducitur à Platone, qui quum terra discessisset magnis quibusdam imbribus, in illum hiatum descendit, æneumq; equum, ut ferunt fabulæ animaduertit, cuius in lateribus fores essent, quibus apertis, hominis mortui uidit corpus, magnitudine inusitata, anulumque aureum in digito, quem ut detraxit, ipse induit. Erat autem regius pastor, tum in Concilium pastorum se recepit, ibi quum palam eius anuli ad palmam conuerterat, à nullo uidebatur, ipse autem omnia uidebat: idem rursum uidebatur, quũ in locum anulum inuerteret. Itaque hac opportunitate annuli usus, Reginæ stuprum intulit, eaque adiutrice, Regem dominum interemit, sustulitque quos obstare arbitrabatur: nec in his quisquam eum facinoribus potuit uidere. Sic repente, ãnuli beneficio Rex exortus est Lydię. Hunc igitur ipsum annulum si habeat sapiens, nihil plus sibi licere putet peccare, quam si non haberet: honesta enim bonis uiris, non occulta quaruntur. Atqui hoc loco philosophi quidam, minimè mali illi quidem, sed non satis acuti, fictam & commentitiam fabulam dicunt prolatã à Platone: quasi uero ille, aut factum esse, aut fieri potuisse defẽdat. Hæc est uis huius ãnuli, & huius exẽpli: si nemo sciturus, nemo ne suspicaturus quidẽ sit, quũ aliquid diuitiarũ, potẽtiæ, dominationis, libidinis causa feceris, si id Dijs hominibusq; futurũ sit sẽper ignotũ, sisne facturus? Negant*

*id fieri posse, quamquam potest id quidem: sed quæro quod negant posse, id si posset, quidnam facerent? Vrgent rusticè sanè, negant enim posse, & ideo perstant, hoc verbum quid valeat non vident: quum enim quæsiuimus si possint celare quid facturi sint, nō quærimus, an possint celare, sed tāquā tormēta quædā adhibemus, vt si respōderint se, impunitate proposita, facturos quod expediat, facinorosos se esse fateantur: si negent, omnia turpia, per se ipsa fugienda esse, concedant.* Et hæc dixerunt Ethnici, quum nihil de gehenna, nihil de præmijs futuræ vitæ cognouissent, in hanc venientes sententiam ob solam vitij deformitatem, vel virtutis pulchritudinē, vt ob nullū lucrū, quantūuis magnum, sit peierandum. Quanto ergo deteriores sunt mercatores, & alij Christiani, cuilibet ferè sermoni iuraiuranda miscentes, vt plura effutiant periuria, quam verba? Sed hoc alterius est loci.

*EHEV Vare regustatum digito terebrare salinum contentus perages si viuere cum Ioue tendis.* Ordo est: Eheu Vare, si tendis viuere cum Ioue, contentus perages terebrare digito salinum regustatum. Hæc dicit auaritia increpās religionem sui alumni noui mercatoris, eique comminans mendicitatem nisi eam exuat. Est autem to eheu interiectio dolentis: nec video, quur Casaubonus voluerit eam esse continuandam antecedentibus potius, quā sequentibus. Non enim eheu est particula demonstratiua en, vt interpreteris: En miseram conditionem hominis, quem vitia in diuersa rapiunt: sed est verè interiectio dolentis vices

eius,

eius, qui à periurijs abstinens, vt pietatem colerect, quum periurijs multa lucrari contemneret, in mendicitatem ruere debebat.

*VARE.* in aliquibus codicibus legitur Varo; in alijs Baro, quod tamen non officit, quũ B, & V, facilè ad inuicem commutentur. Baro autem dicebatur seruus militaris, viribus quidem pollens ad castrorum ministeria obeũda, sed ingenio stupido, vt nulla liberali instructo disciplina. Alij volunt Barones eosdem esse, ac baiulos: sed passim credunt hanc vocis significationem esse recentem: quod tamen mihi non probatur, quum in Petronij Satyrico legam quemdam Baronem Cappadocem, qui erat seruus longus, & audaculus, valés Iouem iratum tollere. Et ibidem alterius, nec serui militaris, & tamen Baronis, fit mentio, quem denominat insulsissimum. At Cicero Barones appellare videtur homines molles, & effœminatos, voluptatibus seruientes, vt Epicureos sic enim scribit Attico lib. 5. epist. 11. Apud Patronem, & reliquos Barones, te in maxima gratia posui. Sed quidquid sit de voce Baro, vel Varo, puto Persium Vare scripsisse, varus autem est, qui surum laborat vitio, de quo defectu, sic Plautus Milite glor. Actu 3. sc. 1.

*metuerem*

*Tum ne vxor mihi insignitos pueros pariat postea,*
*Aut varum, aut valgum, aut compernem, aut pętum, aut broncum filium.*

Vbi bronci sunt, qui ore producto, & dentibus sunt prominentibus: Pęti, qui oculis aspiciũt obliquis. Compernes quibus pernæ, seu ge-

nua ſunt plus iuſto cohærentia: Valgi, qui ſuras habent diuerſas, & ad inſtar cancrorum, ſeu lacertorum extrorſum retortas: quales ſunt plerunque compernes: & dicuntur etiam Vatij. Vari denique ſunt quorum ſuræ, vel pedes introrſum vertuntur. Et ab hac propria varorum ſignificatione ducta eſt præſens metaphora: nam pedum nomine intelliguntur affectus, & vari illi, quorum affectus ad propriam tendunt vtilitatem. Et ad hoc auaritia excitat nouum mercatorem.

*REGVSTATVM* eſt quod nedum ſemel, vel ab vno, ſed ſępius, vel à multis fuit guſtatum. Sic Cicero ad Atticum lib. 4. epiſt. 16. *Niſi fallor, citius te, quam ſcribis, videbo: Credo enim te putaſſe tuas mulieres in Apulia eſſe, quod quũ ſecus erit, quid te Apulia moretur? nam Veſtorio dandi ſunt dies, & ille Latinus Atticiſmus ex interuallo reguſtandus*. Et lib. 13. epiſt. 13. ait: *Attica mea obſecro te, quid agit? quæ me valdè angit: ſed crebro reguſto tuas litteras, in his acquieſco, tamen expecto nouas*. Et in hac ſignificatione conſonat textui, nam dapes in lancibus, & paropſidibus appoſitæ dominis, ab his guſtabantur; earũ vero reliquiæ ſeruis apponebantur, à quibus iterum guſtabantur, ac ita dici poſſunt reguſtatæ. Si quid vero in ipſis paropſidibus reliquum ſit carnis, vel piſcis, aut alterius obſonij, ſaltem iuris cum panis micis, ac fragmentis, datur mendicis. Et hoc nunc dicit auaritia, minitans ſeruo ſuo, prædicenſque eum in tantam venturum paupertatem, vt reiectus nedum à primis menſis dominorum, qui primi guſtabant, ſed etiam à

ſe-

secundis seruorum, qui regustabant, vix ad tertias mendicantium admittatur.

*TEREBRARE* est terebra perforare. Terebram iuxta Plinium lib.7. cap. 56. Dedalus inuenit, & est instrumentum ferreum, quo, terendo, materiæ perforantur: à terendo enim dicta putatur. Sic Virgilius 2. Æneid. v.35.

*At Capys, & quorum melior sententia menti,*
*Aut pelago, Danaum insidias, suspectaq; dona*
*Præcipitare iubent, subiectisque vrere flãmis,*
*Aut terebrare cauas vteri, & tẽtare latebras.*

Sic Ouid. 6. Fastorum.

*Prima terebrato per rara foramina buxo,*
*Vt daret effeci tibia longa sonos.*

Sic Cato RR. cap. 41. *Tertia insitio est: Terebra vitem, quam inseres, pertundito: eo duos surculos vitigineos, quod genus esse voles insertos obliquos arcito ad medullam, facitoque vt medullæ medullam coniungas, arcitoque ea, qua terebraueris alterum ex altera parte.* Et Plinius l. 17. cap. 15. ait: *Nostra ætas correxit, vt Gallica vteretur terebra, quæ excauat, nec vrit, quoniam adustio omnis hebetat, atque vt gemmascere incipiens legatur calamus.* Sic Columella lib. 4. cap. 29. *Inseritur vitis, uel rescissa, uel integra, perforata terebra:* Et ibidem subdit: *Antiqua terebra, quam solam veteres agricolæ nouerant, scobem faciebat, perurebatque eam partem, quam perforauerat: deusta porro raro reuirescebat, vel cum priore coalescebat, in eaque nec insitus surculus comprehendebat, tum etiam scobis numquã sic eximebatur, ut non inhæreret foramini: ea porro interuentu suo prohibebat corpus surculi corpori vitis applicari. Nos Gallicam terebram*

 *ad*

*ad hanc insitionem commenti, longè habiliorem, utilioremque comperimus, nam sic excauat truncum, ne foramen inurat, quippe non scobem, sed ramenta facit, quibus exemptis, plaga leuis relinquitur, quæ facilius omni parte sedentem surculum contingat, nulla interueniente lanugine, quam excitabat antiqua terebra.* Et lib. 3. cap. 8. *Solent etiam quamuis lętæ arbores fructum non adferre: eas terebrari Gallica terebra conuenit, atque ita in foramen uiridem taleam oleastri demitti, sic arbor inita fæcundo semine fertilior extat.* Hæc acceptio proposito conuenit, nam mendici escas, vel iura pinguia, qualia esse solent relata è mẽsis diuitum, ità auidè è paropsidibus lambunt, vt lances ipsas digito perforare velle videantur.

*SALINVM* propriè est concha, seu vas quo sal mensæ communi, & etiam sacris altaribus apponebatur: mensa enim etiam communis, sacrari salis appositione credebatur, ideoque ante dapes apponebatur, principium à sacris faciendo. Et nedum apud Ethnicos, sed etiam in sacrificijs veri Dei Israel, sal apponi iubetur Leuitici 2. *Quidquid obtuleris sacrificij, sale condies, nec auferes sal fœderis Dei sui de sacrificio suo, in omni oblatione tua offeres sal.* Sic Numeror. 18. *Pactum salis est sempiternum coram Domino.* Verum vt diximus ad satyræ 3. versu 25. Salinum per senecdochen, siue speciei pro genere, siue vnius speciei pro quacũque alia, ponitur pro quibuscumque vasculis, etiam pro ijs, quibus obsonia, carnes, & aliæ dapes, mensis inferebantur, siue fictilia forent, siue aurea, aut argentea, quamuis Horatius

pro

pro fictili videatur accepisse, dicens 2. Carminum ode 16.

*Viuitur paruo benè cui paternum*
*Splendet in mensa tenui salinum:*

sed hinc non fit debere necessario esse fictile, quin possit ex alia quacumque esse materia: hic certè sumitur pro vase, quo esce Dominis ministrabantur, quæ ab eis gustatæ, relatæq; ac à seruis regustatæ, apponebantur mendicis ab eis peragenda, & quasi digitis terebranda.

*CONTENTVS* Nisi codices omnes, quos vidi, sic haberent, putassem Persium scripsisse. Contemptus, idest spretus, vel despectus, nam id textui, & intento auaritiæ arridebat, quum dehortaretur à pietate, & religione erga Deũ ne, in pauperiẽ cadẽs, õnibus foret despectui, nam mendici passim despiciuntur. Hinc Ouid. 1. Fastorum:

*In pretio pretium nunc est, dat census honores*
*Census amicitias, pauper ubique iacet.*

Et Ouuen lib. 1. ad Edoardum Noel epig 99.

*Hic iacet, hic situs est Cræsus sub marmore: queris*
*Irus ubi iaceat pauper? ubique iacet.*

At esto ratio id postularet, non libuit mutare, quod in omnibus inuenitur. Contentus autem potuit deriuari à verbo contendo, idest contra tendo, vel repugno: & non conuenit huic loco: & à verbo contineor, vt ille dicatur contentus, qui ab alio continetur, & nec id est ad propositum. Et à verbo contentor, vt ille sit contentus, qui est iam satiatus, seu cuius desiderijs est iam satisfactum. Sic Terent. Eunucho Actu 1. scena 2.

*Neq; tu uno eras contenta, neque solus dedit.*
Sic Statius Papinius 4.Thebaid.versu 40.
*Inter adhortantes, uix spontè incedit Adrastus*
*Contentus ferro cingi latus.*
Et Cicero de Senectute ait: *Horæ quidem cedunt, & dies, & menses, & anni, nec præteritũ tempus vmquam reuertitur, nec quid sequatur sciri potest, quod cuique temporis ad uiuendum datur, eo debet esse contentus.* Et hoc modo sumitur hic, nam mendici ærusicatores lætantur si quando potuerint satiari quibuscumque obsonijs, immo & solis iuribus, maximè si pinguibus, & frustulentis: & etiam micis, quæ cadunt de mensa, nedum dominorum, sed etiã seruorũm, quas, iuribus intinctas, libentissimè absumunt, & hoc est eos esse contentos.

*PERAGES*, idest absolues, consummabis, & ad finem vsque perfectionemq; adduces, contra quam dictum fuit de quodam: Omnia inchoat, nihil peragit. Sic Cicero in suo Catone, seu de senectute: *Senectus peractio ætatis est tamquam fabulę.* Vnde quod hic ait, perages, accipiendum est propriè pro consummabis, & absumes quidquid iuris, vel esculenti est in salino. Posses etiam dicere interuenire hic epenthesim, vt perages sit dictum pro perges, vt sit sensus: Vare, si tendis viuere cum Ioue, perges terebrare Salinum regustatum digito, nam sic perges est idem, ac perseuerabis.

*SI uiuere cum Ioue tendis*, hoc est si pietatẽ, religionemque colueris Nam tendere est niti, conari, vel studere. Sic Virg. 2.Ænei.v.220.
*Ille simul manibus tendit diuellere nodos.*
Et Liuius lib.4 cap.13. *Ipse, ut est animus hu-*

*manus*

*manus insatiabilis, & quod fortuna spondet, ad altiora & non concessa tendere, & quoniam Consulatus quoque eripiendus inuitis Patribus esset, de regno agitare, id vnum dignum tanto apparatu consiliorum, & certamine, quod ingens exsudandum esset, præmium fore.* Ait ergo Auaritia: O stultè, si conaris Deos persanctè colere, & ab iniquitatibus abstinendo, pietatem atque religionem innocenter custodire, numquam diuitias consequeris, sed despectissima fœdaberis mendicitate, nam vt ait Plautus Rudente Actu 4. scena 7.

*Isto tu pauper es, quom nimis sanctè pius.*

*IAM pueris pellem succinctus, & ænophorũ aptas, ocyus ad nauem, nil obstat quin trabe vasta Ægæum rapias, nisi sollers luxuria ante seductum moneat.* Verba sunt poetæ narrantis qualiter piger expergefactus, obediens præceptis dominæ Auaritiæ, mercaturæ se accingat, & longæ nauigationi, ad diuitias comparandas. Rectè autem monet Casaubonus legendum esse pueris potius, quam puer is, vt apud quosdam perperã legebatur: nemo enim quantumuis parcus, & auarus, longo se committit itineri, aut nauigationi ad terras exteras, absque seruis; vnde Horatius 1. sermonum satyra 6. inquit:

*Obijciet nemo sordes mihi, quas tibi Tulle,*
*Quum Tiburte via, Prætorem quinq; sequũtur*
*Te pueri, lasanum portantes ænophorumque.*

Pellis autem est carnis operimentum, & propriè dicitur, quum est à carne separata: cui coniuncta, propriè dicitur cutis. Hinc Iuuen. sat. 10. versu 190.

*Sed*

*Sed quam continuis, et quantis longa senectus*
*Plena malis! deformem, et tetrum ante omnia*
*uultum,*
*Dissimilemque sui, deformem pro cute pellem,*
*Pendentesq; genas, & tales aspice rugas*
*Quales umbriferos ubi pandit Tabraca saltus*
*In uetula scalpit iam mater simia bucca.*

Sic separatam, pellem dixit Virgil. 8 Æneid. vers. 178.

*Hæc ubi dicta, dapes iubet, & sublata reponi*
*Pocula, gramineoq; uiros locat ipse sedili*
*Præcipuumq; toro, & uillosi pelle leonis*
*Accipit Æneam, solioq; inuitat acerno.*

Et eodem lib 8. versu 551.

*Dantur equi Teucris Thyrrena petentibus arua*
*Ducunt exsortem Aeneæ, quem fulua leonis*
*Pellis obit totum.*

Et licet quandoque pellis ponatur pro cute adhærente carni, vt Iob. 10. *Pelle, & carnibus uestisti me.* Et iterum cap. 19. *Pelli meę, consumptis carnibus adhęsit os meum*, id tamen accipiendum vt dictum metaphoricè, nam pellis propriè nominatur à cute separata. Sic Exodi 26. *Facies, & operimentum aliud tecto de pellibus arietum rubricatis, & super hoc rursum alind operimentum de ianthinis pellibus.* Et 1 Regum cap. 19. *Tulit autem Michol statuam, & posuit eam super lectum, & pellem pilosam caprarum posuit ad caput eius* Et 1. Paralipom. cap. 17. *Ecce ego habito in domo cedrina, arca autem fęderis Domini sub pellibus est.* Et Abacuc. 3. *Turbabuntur pelles terræ Madian.* Ex pellibus enim fiebant tentoria, & tabernacula, quæ per senecdochen materiæ nominantur

tur

tur pelles Madian, & per metonymiam continentis, pelliũ nomine intelliguntur Madianitę in mapalibus habitantes. Ex eisdem pellibus fiebant peræ, viduli, aliaq; vtilia deferẽdis rebus itineri necessarijs: & vestes arcendo frigori opportunæ. Vnde quod hic ait pueris pellẽ aptas, posset intelligi de vestbus pelliceis, sed commodius de vidu o, quo deferuntur tam vestes, quam alia itinerantibus necessaria, & est pellis singularis: nam ad vnam vestem plures concurrunt pelles.

*OENOPHORVM* ex οἶνος vinum, & φέρω porto, est vas vinarium, vino ex vno in alium locum transferendo proportionatum, quasi paruum dolium, siue ligneum sit, siue argillaceum, aureum, aut ex alia materia; meminit eius Martialis lib. 6. epig. 89.

*Qunm peteret seram, media iam nocte matellã,*
*Arguto madidus pollice Panaretus*
*Spoletina data est, sed quam siccauerat ipse*
*Nec fuerat soli tanta lagena satis,*
*Ille fide summa, testæ sua vina remensus*
*Reddidit Oenophori pondera plena sui.*

*TRABE vasta*. Trabs est lignum ex duobus tignis compositum causa ædificij. Hinc Isidorus ait lib. 19. cap. 19. trabem esse dictam, quia ex transuerso posita, vtrumque contineat parietem. Sic Virg. 2. Æneid. versu 445. inquit:

*Dardanidę contra, turres, ac tecta domorum*
*Culmina conuellunt (his se, quando vltima cernunt*
*Extrema iam in morte parant defendere telis)*
*Auratasq; trabes, veterum decora alta parentum*
*Deuoluunt,*

Sed

Sed sępius ponitur pro tignis, & pro arboribus, ex quibus fiebant. Sic Virg. 9. Æneidos versu 85.

*Pinea silua mihi, multos dilecta per annos*
*Lucus in arce fuit summa, quo sacra ferebant*
*Nigranti picea, trabibusq; obscurus acernis.*

Et per senecdochē trabs est lignū nauis ex lignis seu arboribus cōpositę, vt Plin. refert lib. 16. cap. 40. dicens: *Germaniæ prædones, singulis arboribus cauatis nauigant, quorum quædam & triginta homines ferunt.* Sed frequentius naues pluribus constant trabibus. Virgil. 3. Æneid. vers. 190.

*Hanc quoq; deserimus sedem, paucisq; relictis*
*Vela damus, vastumque caua trabe, currimus æquor.*

Sic Horat. 1. carm. ode 1.

*Gaudentem patrios findere Sarculo*
*Agros, Attalicis conditionibus*
*Numquam dimoueas, vt trabe Cypria*
*Myrtoum pauidus nauta secet mare.*

*AEGAEVM* mare ab Isthmo Corinthiaco, siue à Sunio promontorio Attico, vel à mari Cretico, ad Hellespontum vsque protenditur, inque eo innumerę sunt insulæ à scriptoribus celebratæ, quas longum foret enumerare. Nominis originem quidam referunt ad Aegeā Amazonum reginam, quæ in eo mari perierat: Alij ad Aegeona gygantem, Cœli, Terræque filium, sęuissimum, strenuissimumque aduersus Iouem bellatorem, de quo ferunt centum vno iactu contra Deos torsisse scopulos: qui tandem à Neptuno victus, sub quadam insula huius pelagi fuit ligatus, qui propterea

ab

ab eius nomine Aegæum fuit dictus, vnde Statius lib.1. Achilleidos verſ.209. vel 199.

*Audierat duros laxantem Aegeona nexus.*

Referunt alij ad ſcopulum procurrentem inter Tenedon & Chium, à longè aſpicientibus repreſentantem αἶγαν capram, ideoq; Aegæum appellatum. Sed frequentior eſt opinio dicentiũ, Aegeum denominatũ ab Aegeo Theſei patre in ipsũ ſpontè prolapsũ, doloris impatientia ob putatã filij mortẽ: nã quũ pactus cum eo fuiſſet, vt ſi ſaluus è Creta, & Minotauro reuerteretur, alba carbaſa naui prætenderet, eius pacti Theſeus oblitus, nigra, cum quibus diſceſſerat, retulit: Aegæus vero exiſtimans filium à Minotauro deuoratum, nec dolorem ferens, in mare ſe præcipitem dedit, & à Neptuno patre in vnum è maris numinibus conſacratum, mari etiam illi nomen dedit. Verum hic Aegæũ per ſenecdochen poſitum fuit pro quocumque mari. Conuenienter tamen nominauit Aegæum potius, quam aliud: Mercatores enim Itali, & Romani, ſuas nundinas in Ponto Euxino, vel Aegypto celebrabant, ideoque neceſſario Aegæum transfretabant, vt ad emporia illa penetrarẽt.

*SOLLERS luxuria.* Quid ſit ſollers, dictum ſupra ad verſum 37. Luxuria autem eſt alia domina, non minus quam auaritia imperioſa, vt eam ſub voluptatis nomine appellat Cicero dicens 2. officiorum: *Voluptates blandiſſimæ dominæ, ſæpe maiores partes animi à virtute detorquent.* Eſt autem luxuria à luxu, luxus vero vitium diſſoluti animi; hinc luxurioſus: vnde

vnde ait Festus: Luxa membra, è suis locis mota & soluta, à quo luxuriosus, in re familiari solutus: propriéque non tam crapulam, & vinositatem, quam profusam signat impensam, vnde Glossæ Philoxeni, Luxuria, asotia: glossa Cyrilli ἄσωτος, ganearius, lasciuus, prodigus, profusus, sumptuosus, hel luo, exoletus, vt luxuria propriè dicatur quicumque immoderatus vsus deliciarum, seu voluptatum, tum in rebus venereis, tum in delectu, & apparatu ciborum, tum etiam in vestium mollitie, & preciositate. De ea sic Cicero 1. officiorum: *Nihil magis cauendum est senectuti, quam ne languori, desidieque se dedat: luxuria vero, quum omni ætati turpis, tum senectuti fœdissima est: sin autem, & libidinum intemperantia accesserit, duplex malum est, quod & ipsa senectus concipit dedecus, & facit adolescentium impudentiorem intemperantiam*. Transfertur etiam luxuriæ nomen ad alia, nam & ingenia dicuntur luxuriari, quum ex abundanti, siue materia, siue eruditione, multas circa rem camdem proferunt considerationes: & idem est de oratione. Agri etiam dicuntur luxuriari, quum ipsi, vel eorum plantæ, natæ vel satę in solo stercorato, aut naturaliter pingui, stolones, vel noxias herbas germinare non cessāt. Hic ergo sermo est de hominū luxuria in genere, non vero de ea, quæ est in vna tantum specie, vt in cibis, vel potibus, vestibus, aut re venerea, vt etiam in Claudiano 2. de Raptu Proserpinę:

*Pallida lætatur regio, gentesq; sepultæ*
*Luxuriant, epulisq; vacant Genialibus vmbræ.*

Gra-

*Grata coronati peragunt conuiuia Manes.* Seductû verò quid sit, dictum ad Satyræ 2. versum 4. Nec est quur eandem iterum debeamus coquere crambem.

*QVO deinde insane ruis? Quò? quid tibi uis? calido sub pectore mascula bily intumuit, quã non extinxerit vrna cicutæ. Tun' mare transilias, tibi torta canabe fulto cæna sit in transtro, Veientanumq; rubellum exhalet uapida læsum pice sessilis obba? Quid petis? vt nummi quos hic quincunce modesto nutrieras, peragant auidos sudore deunces: indulge genio, carpamus dulcia, nostrum est, quod uiuis: cinis, & manes, & fabula fies. Viue memor læthi, fugit hora, hoc quod loquor inde est;* Hęc sunt verba dominæ luxuriæ, dehortantis à labore, & tædijs nauigationis, & mercaturæ. Insane non sumitur hic, vt ad Satyræ 3. v. 46. Sed propriè, vt eum designat, qui sit non sani capitis, & consilij, sed nescius, imprudẽs, vel mentis emotę: nàm hic, in, est negatiuum: & ponitur ad emphasim triplex interrogatio. Sic Claudianus l. 1. in Ruffinum eamdem expressit sententiam, vesanum pro insano ponens.

*Congestæ cumulantur opes, orbisq; ruinas*
*Accipit una domus, populi seruire coacti*
*Plenaq; priuato succumbunt oppida Regno.*
*Quo uesane ruis? Teneas utrumq; licebit*
*Oceanum, laxet rutilos tibi Lydia fontes,*
*Iungantur solium Crœsi, Cyriq; tiara,*
*Numquam diues eris, numquam satiabere quæstu*
*Semper inops quicumque cupit.*

*CALIDO sub pectore mascula bilis intumuit.*

Ca-

Casaubonus, quem more suo sequitur Farnabius, memoria credo lapsus, nisi fuit incogitãtia, bilem istam atram esse dicit; hæc vero est melancholia, & sedes timoris, inuidiæ, cęterorumq; affectuum frigidorum, non verò calidorum, & accensæ cupiditatis, de qua nunc luxuria loquitur, ad quam, contrario pharmaco, extinguendam, per exaggerationẽ dicit non sufficere vrnam cicutę, succi, & veneni frigidissimi. At verò Plautius, Bond, & qui hunc semper sequitur, Stellutus, bilem masculam interpretantur iram, quam vtiq; non nego esse masculam, nempè fortẽ, atque vigentem, quum eius sit arduas perrumpere difficultates; sed non apparet, vndè eam nunc natam suspicemur; Quapropter conuenientiùs, bilis mascula dicetur talis diuitiarum concupiscẽtia, quæ mollem nepotis animum, impellere potuerit ad lõgæ nauigationis tædia toleranda, & aggrediendas difficultates in eo opere apparentes, tàm ex parte subiecti mollitèr enutriti, quàm obiecti periculosi, & tædiorum pleni. Quum enim affectuum, timor, & inuidia, sint natura frigidi: amor, ira, & ex his nati, calidi: & calidi in concupiscibili residentes, placidè in sua ferantur obiecta, locati verò in irascibili, pugnacitèr, & violentèr, vt qui obstantia debeant debellare, non mirum si luxuria, aduertens suum seruum, quem in vmbra, & otio nutrierat, arripere nunc pericula, & labores, interpretetur illum mascula vrgeri bile, idest tali concupiscentia, quæ irę induat conditiones, in eo saltem, quod impellat ad ardua, quod non facit residens in effœminatis. Intume-

me-

mere autem aliquando sumitur metaphoricè pro irasci, vt apud Ouid. 4. de Ponto Eleg. 14.

*Esses perpetuo suo quam uitabilis Ascra*
*Ausa est agricolæ Musa docere senis.*
*At fuerat terra genitus, qui scripsit in illa:*
*Intumuit uati, nec tamen Ascra suo.*

Nàm intumuit dixit, prò, irata est, sic idem 1. Metamorph.

*Intumuit Iuno postquam inter sydera pellex*
*Fulsit.*

Sed propriè est inflari, seù tumore concrescere, sic Horatius Epodo ode 16.

*Nec uespertinus circumgemit ursus ouile,*
*Nec intumescit alta uiperis humus.*

Sic Plinius l. 11. c. 34. *Est animal eiusdem turpitudinis, infixo semper sanguini capite uiuens, atque ità intumescens, unum animalium cui cibi non sit exitus, dehiscitq; nimia satietate, al mento ipso moriens: nunquam hoc in iumentis gignitur, in bubus frequens, in canibus aliquando, in quibus omnia, in ouibus, & in capris hoc solum: æque est mira sanguinis, & hirudinum generi in palustri aqua, sitis*, Et Columella l. 6. c. 12. *Si genua intumuerunt, calido aceto fouenda sunt, & lini semen, aut milium detritum conspersumq; aqua mulsa imponendum: spongiæ quoq; feruenti aqua imbutæ, & expressæ, atque melle litæ, rectè genibus applicantur ac fasciis circundantur*; Et ità nunc sumitur, nàm pectus bile, alijsue humoribus plenus, inflatur, vt propriè intumescat.

*EXTINXERIT* de incensis dicitur, siuè lignis, siue alijs, quæ ignis depascit, si illa subtrahantur, vel aquæ, aut aliud extinguere va-

inquitur quantus esse debuerit ignis cupiditatis diuitiarum ab auaritia accensus, ad quē extinguendum nō sufficiat quicumque liquor aqua, vel vinum, nec quęcunq; minor cicutæ quantitas pota, vt vna hemina, vel vnus sestarius, sed requirebatur, nec tamen sufficiebat vrna cicutæ.

Tun' dictum per Apocopen, pro, tune, quod est dictum per admirationem ob rei impossibilitaté, non enim videbatur possibile tot labores sustinere eum, qui adeò molliter fuerat enutritus.

*TRANSILIAS* ex trans, & salio, vltra saltabis, sic Liuius l. 1. c. 7. *Cum altercatione congressi, certamine irarum ad cædem vertuntur: ibi in turba ictus Remus cecidit: vulgatior fama est, ludibrio fratris, Remum nonos transiluisse muros, indè ab irato Romulo, quum verbis quoq; increpitans adiecissit, sic quicumq; alius transiliet mœnia mea, interfectum.* Hic est trans nauigare, seù nauigare trans fretum, & ad aliud littus. Et est apta metaphora: nouus enim mercator adeò audacter, spe auida, externum conceperat littus, lucrumq; indè referendum, quasi illud saltu esset occupaturus.

*TIBI torta cannabe fulto.* Cannabis, vel cannabum, herba notissima, funibus faciendis idonea, à lino, candore crassitieq; diuersa, licet ex eadem cannabe fiant linteamina, & vestes interiores, quæ, tàmen, quia humidiores quam lineæ, apud id notantes, non tanti æstimantur, sed ad restes, funes, & chordas amandantur, ad quas res vtilis cannabis exstimatur. Et de funibus nunc intelligit, quibus ve-

la,& carbaſa tenduntur,eaſq;per ſenecdochen intelligit tortam cānabem. Plautius hic tortā cannabem vult eſſe mantile craſſius ex cānabe confectum.Quæ ſententia omninò incongrua, & inepta eſt. Fulto autem eſt à verbo fulcio, quod eſt munio, vel ſuſtento ne corruas: ſic Chryſippus dictus fulcire Porticum, quia diſputationis acumine, & eruditione,Stoicorū ſcholā à multis impugnatam, ſuſtinuit, nè laberetur,ſic Iuuen. Sat.3.v. 194.

*Nos Vrbem colimus tenui tubicine fultam.*

Sic Cicero poſt reditum in Senatu. *Horum Conſulum ruinas, vos Conſules, veſtra virtute fulſiſtis*; Sicque mercator iſte cannabi,ideſt funi innixus, ab ea ſuſtentabatur, ne caderet, dum vellet quieſcere.

Tranſtrum quandoque eſt lignum excurrens à pariete in parietem: cuius inter alios meminit Vitruuius l. 4. c. 1. Sed ſæpius eſt ſcamnum,aut ſedile remigum, iugum etiam appellatum, ſic Virgilius 5. Aeneidos verſu 661.

*Pars ſpoliant aras, frondē, ac virgulta faceſq;*
*Coniiciūt, furit immiſſis Vulcanus habenis*
*Trāſtra per, & temos, & pictas abiete puppes.*

Et eodem lib. 5. verſu 752.

*Ipſi tranſtra nouāt, flammiſq; ambeſa reponūt.*

Sic Ouid. 14 Metamorf.

*Fert audas in pinea Turnus*
*Tecta faces, igneſq; timent quibus vnda pepercit.*
*Iamq; pice, & ceras, alimētaq; cætera flāmę,*
*Mulciber vrebat, perq; altum ad carbaſa malum,*

*Ibat*

*Ibat, & incurua fumabant transtra carinæ.*
Dicta transtra quasi transuersim strata à verbo transeo, quasi transitra, & per syncopen transtra. In huiusmodi transtris nauarchæ, & nauigãtes, cœnare, fabularique ac dormire consueuerant, eaque sunt super constratum nauis, ideoque apud Petronium in Satyrico, Eumolpus ab Encolpo excitatus, ait: hoc erat, quod placuerat tibi vt super constratum nauis occuparemus secretissimum locum, ne nos pateretis requiescere.

*VEIENTANVM*, ex agro Veientano, sic dicto ab Vrbe Veia Etruriæ antiquissima, sita circa locum, vbi nunc est Ciuitas Castellana, Romanę olim potentię emula, tercentum, & sex Fabiorũ cæde nobilitata: quæ sæpè Romanis cum exercitibus conflixit, nec ante potuit debellari, quam aqua lacus Albani ritè fuisset emissa, idest non ad mare, sed per riuos dissipata, ac siccata nam tunc, Duce Camillo, nec sinè decennali obsidione, quum Romani, effossis cuniculis, in Veientanã penetrassent arcem, vrbe potiri potuere. Adeò autem Quirites ea Vrbe oblectati fuere, vt, tùm ante, tùm post Vrbem à Gallis captam, in eam migrare voluerint, & vix, ac non nisi religionibus persuasi, Romæ retineri potuere. Quamuis autem regione, & agro rerum omnium feraci gauderet, vinum nihilominus illaudatissimum procreabat, coloris sub rubri, seù rubelli. Sic Martial. l. 1. epigr. 70.

*Et Veientani bibitur fex crassa rubelli.*

Et tale vinum, adeò malũ erat, vt ferè emptores non inueniret, & ideò vili venibat. Hinc

Martial.l.2. epigr. 52.

*Vis fieri liber? mentiris, Maxime, non vis.*
*Sed fieri si vis, hac ratione potes.*
*Liber eris, cœnare foris si Maxime nolis*
*Veientana tuam si domet vua sitim.*

Et vilitas talis vini inde manabat, quod gustui, ac palato foret insuauis, sic Martial. l.5. Epigr. 95.

*Veientana mihi misces, tibi Massica ponis,*
*Olfacere hæc malo pocula, quam bibere.*

Inde Veientana non nisi in pauperum, & sordidorum erant mensis, vt colligitur ex Horat. 2. serm. Sat. 3.

*Pauper Opimius argenti positi intus, & auri,*
*Qui Veientanum festis potare diebus*
*Campana solitus trulla, vappamq; profestis.*

Et tale Veientanum rubellum, idest diluta rubedine, mercator iste, auaritię seruus, longæ nauigationi præparatum habebat.

*EXHALET*, expiret, & quasi per halitũ aerẽ emittet, quod est proprium animantium, sed metaphoricè transfertur ad omnia humentia quum vi caloris ex eis separantur partes subtiliores, & ità terra humefacta, vel aqua, exhalant, quum ex ipsis tenues expirant portiones. Sic Plinius l. 17. cap. 4. *A cælo proximum est, terræ dixisse rationem, haud faciliore tractatu, quippè non eadem arboribus conuenit, & frugibus, plerumq; nec pulla, qualem habet Campania, vbiq; optima vitibus, aut quę tenues exhalet nebulas.* Vinum autem, vt, & quodcũq; corpus elementatum, odorem emittens, simul cum eo aerem, siuè vaporem expirat, quum odor non sit aliud, quam exhalatio; & hoc est

quod

quod nunc de vino dicit, scilicèt ipsum tetrum fœdumque emittere odorem, eo quod pice fuerat infectum.

Læsum à lædo, quod quidam deriuant à λοιδορῶ conuicior, alij à λάζω afficio contumelia, neutra tamen placet originatio, nam lædere de corporalibus, magis quam de verbalibus dicitur iniurijs: Alij à λεὶς ληΐδος præda, vnde est ληΐζομαι deprædor et ληΐδιος captiuus, quod non displicet: sed magis placet esse à δηλέω vel δηλῶ transpositis consonantibus, nam hoc idem, ac lædo significat, nempè aliquem in persona, fama, vel rebus offendo, & transfertur ad offensionem factam rei inanimatæ. Sic Virg. 12. Aen. v. 494.

*Tum vero assurgunt iræ, insidijsq; subactus,*
*Diuersos vbi sensit equos, currumq; referri,*
*Multa Iouem, & læsi testatus fœderis aras.*

Et Ouid. Epistola 5. quæ est Oenonis ad Paridem, inquit.

*Tu quoq; clamabis: nulla reparabilis arte*
*Læsa pudicitia est, deperit illa semel.*

Vndè quod hic ait, vinum esse læsum vapida pice, est: tetro picis odore esse infectum, & deterioratum; Pix autem denominata est vapida. idest apta ad vaporandum, & emittendam ingrati exhalationem odoris; Et tamen vasa vinaria pice gipsabantur, ne vinum effunderetur, licet illius inquinarentur odore, quod antiqui, vel non aduertebant, vel non curabant, dummodò vinum à peiori defenderent corruptione: pix enim, vt medicina erat præseruatiua, cuius modum tradit Plinius, dicens l. 14. c. 20 *Ratio condiendi musta in primo feruo-*

*re, qui nouem diebus, vt plurimum peragitur aspersu picis, vt odor vino contingat, & saporis quædam acumina: vehementius id fieri arbitrãtur crudo flore resinæ, excitariq; lenitatem.* Et l. 16. c. 11. ait. *E picea resina feruentibus coctа lapidibus, in alueis validi roboris, aut, si aluei non sint, struis congerie, velut in carbonis vsu. hæc in vinis additur, farinæ modo tusa, nigrior colore.* Et Colum. l. 12. c. 22. ait. *Picis liquidæ nemeturicę metretam adde in labrum, aut in alueum, & in eodem infundito cineris lixiuiæ congios duos, deinde permisceto spatha lignea: quum requieuerit, eliquato lixiuium; deinde iterum tantundem lixiuiæ addito, eodẽ pacto permisceto, & eliquato: tertio quoq; idem facito. Cinis autem odorem picis aufert, & eluit spurcitiam. Post eodem addito picis Brutię, sin minus alterius quam purissimæ, quinq; libras: hæc minutè concidito, & admisceto pici nemeturicæ, tum aquæ marinæ, quam uetustissimæ si erit, sin minus, ad tertiam partem recentis aquę marinæ decoctæ, congios duos iniicito. Apertum labrum sinito in Sole per caniculæ ortum, & spatha lignea permisceto, quã sæpissimè, vsq; eo dum ea quæ addideris in picem colliquescant, & vnitas fiat. Noctibus autem labrum operire conueniet ne irroretur: deinde quũ aqua marina, quàm addideris, Sole consumpta videbitur, sub tectum uas totum ferre curabis. Huius autem medicaminis, quidam pondo quadrantem in sextarios 48. miscere soliti sunt, & hac conditura contenti esse. Alij cyathos tres eius medicamenti adijciunt in totidem sextarios, quot supra diximus.* Et cap. 23. ait. *Pix corticata appellatur, qua vtuntur ad condituras Allobroges.*

*ges. Ea sic conficitur, vt dura sit, & quanto facta uetustior, eo melior in usu est, nam omni lentore misto, facilius in pulverem resoluitur, atq; cribratur. Hanc ergo conteri, & cribrari oportet, deinde quum bis mustum deferbuerit, quod plerumq; est infra quartum diem quam de lacu sublatum est, diligentèr manibus expurgatur. Et tunc demum prædictæ picis sextans, & semuncia in sextarios quinq;& quinquaginta adijcitur,& rutabulo ligneo permiscetur, nec postea tangitur dum conferuescat, quod tamen non amplius diebus quatuordecim à conditura patiendum est, nam oportebit post hunc numerum dierum confestim uinum emundare, & si quid fęcis, aut labris uasorum, aut lateribus inhęserit, eradi, ac suffricari, & protinus operculis impositis oblini, At si ex eadem pice totam uindemiam condire uolueris, ità ne gustus picati uini possit intelligi, sat erit eiidem picis sex scrupula in sextarios quinq;& quadraginta, tùm demum miscere, quũ mustum deferbuerit, & fęces expurgatę fuerint, oportebit, atq; salis decocti contritiq; semunciam in eundem modum musti adijcere. Nec solum huic notæ uini sal adhibendus est, uerum si fieri possit in omnibus regionibus, omne genus uindemiæ hoc ipso pondere saliendum est, nam ea res mucorem uino ineße non patitur.* Et c.24.subdit *Pix Nemeturica in Liguria conficitur, ea deindè ut fiat conditurís idonea, aqua marina, quam longissimè à littore de pelago sumenda est, atque in dimidiam partem decoquenda, quæ quum in tantum refrixerit quantum ne contacta corpus urat, partem aliquam eius, quæ satis uidebitur, prędictæ pici immiscemus, & diligentèr lignea*

*spatha, uel etiam manu peragitabimus, ut si quid insit uitij eluatur, deinde patiemur picem considere, & quum siderit, aquam eliquabimus postea bis, aut ter ex reliqua parte aquæ decoctæ tandiu lauabimus, & subigemus eam, donec rutila fiat: tum eliquatam in ole quatuordecim diebus patiemur esse, ut quisquis ex aqua humor remansit, assiccetur, noctibus autem uas tegendum erit, ne irroretur. Quum hac modo picem præparauerimus, & uina, quum iam bis deferbuerint, condire uoluerimus, in musti sextarios octo, & quadraginta, cyathos duos picis prædictæ, sic adijciemus. Ex ea mensura, quam condituri sumus sextarios duos musti sumere oportebit, deindè ex his sextarijs in picis sextantem paulatim mustum infundere, & manu tamquam mulsum subigere, quo facilius coeat, sed ubi toti duo sextarij cum pice coierint, & quasi unitatem fecerint, tùm eosdem in id uas, undè sumpseramus perfundere, & ut permisceatur medicamen rutabulo ligneo peragitare conueniet.* Potest nunc intelligi de hac pice medicaminis, sed præstat intelligere de ea qua oblinuntur ora vasorum, ne vina effluant.

*SESSILIS* à sedendo, quia sedet, aut sedere videtur: frequentèr sic denominatæ inueniuntur brassicæ, & lactucæ, & aliæ herbæ humi prostratæ, sic Martial. l. 5 epig. 93.

*Illic uidere frutice nobili caules*
*Et utrumq; porrum, sessilesq; lactucas.*

Pyros etiam sessiles dictos, ait Plinius, l. 15. c. 15. *Incerta nominum causa est barbaricis, uenerisq; quæ colorata dicunt, regijsq; quæ minimo pediculo sessilia patricijs, uoconijs, uiridibus, oblõgisq;* Ità nunc obba dicta sessilis, quia sedere firma videbatur. OBBA

OBBA iuxta quosdam dicta ab obibendo, est vas vinarium, seù poculi genus è ligno, vel sparto factum. Alij putant esse vas vinarium ventricosum, veluti dolium aut vtre & ità nūc accipitur, innuitur enim ipsum gipsari, seù picari, quod non conueniret si exiguæ foret capacitatis: sed posse etiam accipi pro vase modico, probatur ex illo Varronis epistola ad Marcellum. Vtrum meridie an vesperi libentius ad obbam accedas. Verum nunc pro vase magno, vt Oenophorum, seù dolium, accipitur.

*QVID petis?* loquitur luxuria, virtutis induta personam, suumq; à turpi fœnore seruum dehortans, ac rogans, num velit in immensum suas augere diuitias, etiamsi eas per quietem, & otium, nedum conseruauerit, sed mediocritèr multiplicauerit. Et hæc est domina non minus importuna, quam auaritia: vndè Lactant. l. 7. c. 1. ait. *Pauperes, & humiles Deo credūt facilius, qui sūt expediti, quā diuites, qui sunt impedimentis plurimis implicati, immò catenati, & compediti, seruiunt ad nutum dominę cupiditatis* (luxuriç) *quę illos inextricabilibus uinculis irretiuit. Nec possunt in Cœlum aspicere, quoniam mens eorum in terram prona, humique defixa est uirtutis autem uia non capit magna onera portantes; angustus admodum trames est, per quem iustitia hominem deducit in cęlum: hanc tenere non potest, nisi qui fuerit expeditus, & nudus. Nam isti locupletes, multis & ingentibus sarcinis onerati, per uiam mortis incedunt, quæ latissimę est, quoniam latè perditio dominatur.* Quincunx autem, vt ex ipso nomine constat, idem est, ac quinque vnciarum pondus, seu

ſeu menſura. Quinque autem vnciæ poſſunt hic intelligi per reſpectum vel ad centum, vel ad as, ſeu libram, conſtantem duodecim vncijs ſeu partibus æqualibus, in quas diuiditur as, patrimonium, hæreditas, aut res quęcumque. Et ſi hoc ſecundo modo accipiatur quincunx, luctum eſſet ingens, vtpotè ferè tot us ſortis dimidium, videlicet quadragintaunum cum dimidio pro quolibet centenario, quæ vſura nullatenus poſſet dici modeſta, vt eſt hic appellata. Quamuis autem quidam referant Vlpianum dicentem: vſuras minores illas dici, in quibus ſoluitur minus ſemiſſe totius ſortis, videlicet quincunces, vel trientales. Mihi tamen, qui Vlpianum non vidi, non apparet veroſimile eum talia ſcripſiſſe, ſed referens potuit erraſſe, quod Vlpianus dixerit vſuras minores eſſe quincunces, habito reſpectu non ad as, & eius partes duodecim, ſed ad ſortem centenariam, iſtæ namque ſunt verè modeſtæ, ſeu moderatæ, ac tolerabiles: Et de talibus in quibus ſoluuntur quinq; pro quolibet centenario loquuntur Iuriſconſulti cum alibi, tum in Lege Tutor §.10. Dig. de adminiſtrat. & periculo Tutorum. Immo lego apud Tacitum 6. Annalium cap. 3. *Nam primo duodecim tabulis ſanctum, ne quis unciario fęnore amplius exerceret, quum antea ex libidine locupletium agitaretur: dein rogatione tribunitia, ad ſemuncias redacta: poſtremo uetita uerſura, multiſque plebiſcitis obuiam itum fraudibus.* Accipiendo ergo quincuncem hoc ſecundo modo, per reſpectum ad ſortem centenariam, vſuræ quincunces modeſtæ, & moderatæ erant,

Et ita est nunc accipiendum. Idemque dicimus de deunce, posse intelligi habito respectu ad as, & eius diuisionem in duodecim partes æquales, & ita ferè tota sors quolibet anno in lucrum veniret, nempe partes nonaginta, & vna cum semisse pro quolibet cētenario, quomodo lucrum foret omnino intolerabile. Et vt habeatur respectus ad sortem centenariam, vt in quolibet negotio singulis annis pro quolibet centenario lucrentur vndecim, quod lucrum dicitur hic auidum, toleratur tamen in mercatoribus ratione laborum, & periculorum. Et vtinam forent eo contenti, & non per fraudes, & sycophantias, etiam proximos decipiendo vellent, vltra asses, deunces lucrari.

*NVTRIERAS*, alueras, educaueras, crescere feceras. Sic Plinius lib.11.cap.40. *Balenæ uituliq; mammis nutriunt fœtus*. Nec tantum propriè de animalibus, sed & metaphoricè dicitur de alijs rebus. Sic Columel. lib.12 c.30. *Quanto maior æstus erit, eo sępius conuenit uinū nutriri, refrigerariq; & uentilari, nam quamdiu bene frigidū, erit, tamdiu rectè manebit*. Et Cicero in Sallustium; *Ego nihil plus uolui ualere, quam pacem, multi priuatorum audacias nutrierunt*. Et quia quod nutritur, aliturque plerumque crescit, & augetur, quousque ad maximum perueniat incrementum, inde nutriri, pro augeri ponitur. Et ita nunc sumitur, nam nutrire nummos, est, eos multiplicare, quod Horatius pascere dixit, sic enim ait l.1. epist.18.

*Eutrapelus cuicumq; nocere uolebat.*

*Vestimenta dabat pretiosa. Beatus enim iam*
*Cũ pulchris tunicis, sumet noua cõsilia, et spes,*
*Dormiet in lucem, scorto postponet honestum*
*Officium, nummos alienos pascet, ad imum*
*Thrax erit, aut olitoris aget mercede caballum.*

Sic nutriendi voce vsus Boetius de Consolat. lib. 4. prosa 4. dicens: [Delicias tuas ferre non possum, qui abesse aliquid tuæ beatitudini tam luctuosus, atque anxius conqueraris. Quis est enim tam compositæ felicitatis, vt non aliqua ex parte cum status sui qualitate rixetur? Anxia enim res est humanorum conditio bonorum, & quæ vel numquam tota proueniat, vel numquam perpetua subsistat. Huic census exuberat, sed est pudori degener sanguis; Hunc nobilitas notum facit, sed angustia rei familiaris inclusus, esse mallet ignotus: Ille vtroque circumfluus, vitam cælibem deflet; ille nuptijs felix, orbus liberis, alieno censum nutrit hæredi.] Et ita hic est augere & multiplicare, quod accidit quum annales redditus sunt maiores, quam qui singulis annis expenduntur, nam sic augeri res, & nutriri possunt.

*PERAGANT auidos sudare deunces:* vel, *auidos sudore:* aut *auido sudore*; hæc postrema lectio, videretur retinenda vt planior, nisi prima foret communior, à qua, nisi sit absurda, non est recedendum. Sensus omnium lectionum idem est, nam domina luxuria à suo seruo querit, num nummi, quos per ocium, moderatis nutrierat quincuncibus, & vsuris, velit laboribus, periculisque longæ nauigationis peragere, seu parere nouas fere hæreditates,

ideſt auidos deunces, & pluſquam nouem, ex decem partibus ſortis. In lucris enim quin- cunciarijs non ſudabatur, nam nullo labore prouenìebant: at in deunciariis, neceſſarius eſt ſudor ex labore mercaturæ. Et interuenit hic metonymia ſubiecti ad ſe recipientis, dum ſudor mercatoris, tribuitur lucro deunciario.

*INDVLGE Genio &c.* His verbis dominæ luxuriæ vtuntur ſtulti, & Epicuræi, vt illi *quorum*, vt dicitur Philipp 3. *Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt*: vel qui eiuſdem ſunt mentis cum Sardanapalo, qui in ſuo buſto incidi iuſsit hos verſus, quos refert Cic. 5. Tuſculan.

*Hæc habeo, quæ edi, quæq exſaturata libido*
*Hauſit, at illa iacent multa, & præclara relicta.*

Exiſtimabant iſti neminem viuere, niſi qui ederet, biberet, ceteriſque carnis voluptatibus frueretur. Et hanc luxuriæ, ſeu Epicurçorum ſententiam, ſic expreſſit Sapiens Sapientiæ 2. [ Dixerunt impii cogitantes apud ſe non rectè. Exiguum, & cum tędio eſt tempus vitæ noſtrę, & non eſt refrigerium in fine hominis, & non eſt qui agnitus ſit reuerſus ab inferis, quia ex nihilo nati ſumus, & poſt hæc erimus tamquam non fuerimus; quoniam fumus flatus eſt in naribus noſtris, & ſermo ſcintillæ ad commouendum cor noſtrum, qua extincta, cinis erit corpus noſtrum, & ſpiritus diffundetur tamquam mollis aer, & tranſibit vita noſtra tamquam veſtigium nubis, & ſicut nebula diſſoluetur, quæ fugata eſt a radiis Solis, & à calore illius aggrauata, & nomen

nostrum obliuionem accipiet per tempus, & nemo memoriam habebit operum nostrorum. Vmbrę enim transitus est tempus nostrum, & non est reuersio finis nostri, quoniam consignata est, & nemo reuertitur. Venite ergo, & fruamur bonis, quæ sunt, & vtamur creatura tamquam in iuuentute celeriter: vino pretioso, & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequam marcescant, nullum pratū sit, quod non pertranseat luxuria nostra, nemo nostrum exors sit luxuriæ nostræ, vbique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra, & hæc sors. Hæc cogitauerunt, & errauerunt, excęcauit enim illos malitia eorum.] Sic Petronius Arbiter in Satyrico:

*Heu, heu nos miseros! quam totus homuncio nil est!*
*Quam fragilis tenero stamine vita cadit!*
*Sic erimus cuncti postquam nos auferet Orcus.*
*Ergo viuamus dum licet esse benè.*

Et Seneca epistola 123. *Vna felicitas est bona vita, facere omnia liberè, frui patrimonio, hoc est viuere, hoc est se mortalem esse meminisse. Fluunt dies, & irreparabilis vita decurrit: Dubitamus, quod iuuat sapere, & ętati non semper voluptates decerptur ę, interim dum potest, dum poscit, ingerere? Quid iuuat frugalitate vltro mortem præcurrere, & quidquid illa ablatura est, tam sibi interdicere? Non amicam habes, non puerum qui amicæ moueat inuidiam: quotidiè sobrius prodis. sic cænas tamquam ephemeridem patri approbaturus. Non est istud viuere, sed alienæ vitæ interesse. Quanta dementia est heredis sui res*

pro-

*procurare, & sibi negare omnia, vt tibi ex amico inimicum magna faciat hæreditas? plus enim gaudebit tua morte, qui plus acceperit. Istos tristes, & superciliosos, alienæ vitæ Censores, suæ hostes, publicos pedagogos, assis ne feceris: ne dubitaueris, bonam vitam, quam opinionem bonam malle.* Et subdit: *Hæ voces non aliter fugiendæ sunt, quam illæ quas Vlysses, nisi alligatus præteruehi noluit, idem possunt, abducunt à patria, à parentibus, ab amicis, à virtutibus, & in turpem vitam miseros turpius illidunt.* Lactantius autem sic ait lib.3. cap.11. *Quodcumque est summum bonum, necesse est omnibus esse propositum. Voluptas est, quæ appetitur à cunctis: sed hæc & communis est cum belluis, & honesti vim non habet, & satietatem adfert, & nimia nocet, & processu minuitur ætatis, & multis non contingit, nam qui opibus carent, (quorum maior est numerus) etiam voluptate careant necesse est, non est igitur summum bonum, sed ne bonum quidem voluptas.* Et idem l 6 c.22. *Ad voluptates autem saporis, et odoris (qui duo sensus ad solum corpus pertinent) nihil est aliud, quod à nobis disputetur, nisi forte quis exigit, vt dicamus turpe esse sapienti, ac bono, si ventri, & gulæ seruiat, si vnguentis oblitus, ac floribus coronatus incedat: quod qui facit, vtique insipiens, ineptus, & nihil est, & quem ne odor quidem uirtutis attigerit. Fortasse quispiam dixerit Quur ergo illa facta sunt, nisi ut ijs fruamur? At enim iam sæpe dictum est, uirtutem nullam fuisse futuram, nisi haberet quæ opprimeret Itaque fecit omnia Deus ad instruendum certamen rerum duarum: ergo illecebræ istæ uoluptatum, arma sunt illius, cuius*

opus

*opus unum est expugnare uirtutem, iustitiamque ab omnibus excludere. His blandimentis, & suauitatibus titillat animas: scit enim, quia mortis est fabricatrix uoluptas. Nam sicut Deus hominem ad uitam non nisi per uirtutem, ac laborem uocat, ita ille ad mortem per delicias, et uoluptates. Et sicut ad uerum bonum per fallacia mala, sic ad uerum malum per fallacia bona peruenitur. Cauenda sunt igitur oblectamenta ista tamquam laquei, & plagæ, ne suauitudinum mollicie capti, sub ditionem mortis, cum ipso corpore redigamur, cui nos mancipauimus.* Indulgere autem est concedere, obsequi, & inseruire. Sic Cicero lib.16.epist.18. *Si me amas quod quidem aut facis aut perbelle simulas, quod tamen in modum procedit, sed ut ut est, indulge ualetudini tuæ, cui quidem tu adhuc, dum mihi deseruis, seruisti non satis.* Quid vero sit indulgere Genio, dictum est ad satyræ 2. versum 3. esse dare operam voluptati, concedendo appetitui quidquid velit, vt, Genium defraudare, est, à voluptatibus abstinere, quod est, cum propria natura sensitiua bellum gerere. Idem autem, ac indulgere Genio, significatur per aliam phrasim hic positam, nempe *Carpamus dulcia*, nam est hic Exergasia, siue Epinome, idest Expolitio, qua coniunguntur plures orationes idem significantes, de quo schemate diximus in Instit.Orat lib.3.Tract.3.cap.1. Vt autem constat ex supra relatis Sapientiæ, & Senecę verbis. Luxuriæ præceptum est, quod Epicurei amplectebantur, Genio indulgere, & sensui dulcia carpere, Illa eadem, hominum vitam adscribit sibi, vnde hic ait: *Nostrum est, quod*

*quod uiuis*, quasi ad hoc tantum foret viuendum, vel hoc foret verè viuere, nempe hominem, ad instar pecudum, ventri, & ijs quę infra ventrem sunt, esse addictum.

*CINIS* quid sit, dictum est ad satyræ 1. versum 36. nempe esse puluerem in quem resoluitur materia combusta. Et quia corpora defunctorum apud Romanos comburebantur, hinc fieri cinerem, per metalepsim consequentis pro antecedenti, est mori. Et ita nunc sumitur, nam fies cinis, idem est, ac morieris, & sic, ait luxuria, tunc voluptatibus frui non poteris, ideoque nunc illis fruere.

*MANES*, qui propriè dicerentur, controuersum est apud autores. Festus ait Manes Dij ab auguribus inuocantur, quod ij per omnia ætherea, terrenaque manare credebantur. Item Dij superi atq; inferi dicebantur, quos ideo inuocabant augures, quod ij existimabantur fauere vitæ hominum. Seruius vero ad 3. Æneidos ait; Manes sunt illo tempore animæ, quo de alijs recedentes corporibus, nondum in alia transierunt: sunt autem noxiæ, & dicūtur κατ' ἀντίφρασιν nā & manum bonum est, vnde & mane, dictum est. Similiter etiam Eumenides dicimus, Parcas, bellum, lucum. Alij manes à manando dictos volunt, nam manibus, id est animabus, plena sunt omnia inter lunarem, & terrenum circulum, indeque defluunt. Quidam credunt alios esse manes, alios Deos inferos. Alij vt Deos Cælestes viuorum, ita manes mortuorum esse dixerunt. Alij Manes dicunt esse nocturnos, habereque potestatem eius spatij, quod est inter

Cœ-

Cœlum,& terram, & humoris,noctu inde cadentis: vnde mane quoque ab iisdem appellatum. Apuleius lib. de dęmonio Socratis ait; Species dęmonum est animus humanus exutus,& liber stipendijs vitæ suę corpore abiuratis. Hos veteri Latina lingua reperio Lemures dictitatos. Ex hisce ergo Lemuribus, qui posterorum suorum curam sortitus,pacato & quieto numine,domum possidet, Lar dicitur familiaris. Qui vero propter aduersa vitæ merita,nullis bonis sedibus in terra, vagatione,ceu quodam exilio punitur, inane terriculamentum bonis hominibus, cęterum noxium malis, hunc plerique laruam perhibent. Quum vero incertum est,quæ cuique eorum sortitio euenerit,vtrum Lar sit,an Larua, nomine Manem Deum nuncupant, & honoris gratia Dei vocabulum additum est. Isidorus 8. Originum ait: Manes dicunt Deos mortuorum,quorum potestatem inter lunam, & terram asserunt,à quibus & mane dictum existimant,quod putant ab aere, qui μανός rarus est,manes dictos, siue quia latè manant per auras,siue quia immites sunt,& immanes, contrario nomine appellantur.Sed passim Manium nomine intelliguntur animæ defunctorum, quæ circa sepulchra morari,vagarique credebantur,ideoque sepulchra violare,sacrilegum erat,quia illa Dijs Manibus consacrata credebantur, quod & veteres indicant sepulchrorum inscriptiones D.M. idest Dijs Manibus.Metonymicè vero Manium nomine intelligitur locus,in quo sint defunctorum animæ puta infernus.Sic Virg.11.Æn.v.689.

*Ma-*

*Manibus hæc referes, telo* (Manibus) *cecidisse Camillę.*

Sic Horat. 1. Carm. Ode 4.

*Pallida mors ęquo pulsat pede, pauperum tabernas,*
*Regumq; turres, ò beate Sexti*
*Vitæ summa breuis, spem nos uetat inchoare longam*
*Iam te premet nox, fabulæq; Manes,*
*Et domus exilij Plutonia quo simul mearis,*
*Nec regna uini sortiere talis,*
*Nec tenerum Lycidam mirabere, quo calet iuuentus,*
*Nunc omnis, & mox uirgines tepebunt.*

*FABVLA fies.* Fabula vt diximus supra v. 3. est sermo, seu res, & materia sermone explicata, ita dicta à fando, idest loquendo. Et hic designat sermonem, qui post obitum cuiusque de illius moribus, vel rebus gestis apud superstites, ad breue, vel longum tempus relinquitur: cuius perquam ambitiosos fuisse Ethnicos constat ex illo Plinij lib. 3. epist. 21. dicentis de Martiale: *Dedit mihi quantum maximum potuit, daturus amplius si potuisset: tametsi quid homini potest dari maius, quam gloria, & laus, & æternitas? At non erunt æterna quæ scripsit. Non erunt fortasse, ille tamen scripsit tamquam essent futura.* Et ex illo Ciceronis lib. 5. epist. 12. *Ardeo cupiditate incredibili, neque, ut ego arbitror, reprehendenda, nomen ut nostrum scriptis illustretur, & celebretur tuis.* Multique talis famæ ergo, ingentes desudarũt labores, tantum vt sui nominis memoriam posteris relinquerent. Hinc scelestus ille nebulo.

bulo Eroſtratus, impius atque ſacrilegus, non quidem ob factum, ſed ob animum, quia quũ falſis addictus eſſet religionibus, facinus perfecit ſacerrimum: Is ſiquidem, ſuarum conſcius virium, cernenſque nequire ſe, bonis artibus, nomen ſuum æternitati conſacrare, vt modo quocumque poſt ſuum obitum poſteri de ſe loquerentur, Epheſiæ Dianæ templum incendit: Sicque voti compos effectus eſt, quamuis decreto cautum fuiſſet, ne quiſquam illius nomen ſcriptis vulgaret.

*VIVE memor lethi, &c.* Licet luxuriæ, optima tamen monitio, ſed peſſima illatio. Hortatur enim, vt meminerimus nos eſſe mortales, & quum hinc inferre debuiſſet abſtinentiam à vitijs, & perituris voluptatibus. Nam vt dicitur 2. Corinth. 5. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſq; propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malũ,* potius hortatur, vt eis nos magis inquinemus. Veriſſimum ergo eſt philoſophorum effatum. Vnumquodque recipi ad modum recipientis, quando ex illo principio breuitatis vitæ, ex quo recta ſapiens inferret deliciarum contemptum, iuxta illud Eccleſ. 7 *Memorare nouiſſima tua, in omnibus operibus tuis, & in æternum non peccabis,* luxuria, ideſt Epicuræi, voluptatum deducunt ſequelam, per conſequentiam planè brutalem. Nec mirum, quando ipſi Epicuræi nihilo brutis ſunt præſtantiores, vt de ſe fatetur vnus eorum Horat. lib. 1. epiſt. 4.

*Me pinguem, et nitidũ, benè curata cute uiſes,*
*Quum ridere uoles, Epicuri de grege porcum.*

Qui

Qui, vt ex tali grege, non mirum si dixerit eodem lib. 1. epist. 5.

*Quo mihi fortuna, si non conceditur uti?*

Hinc mus vrbanus, muri agresti sic loquitur, verè brutaliter apud eumdem 2. ser. sat. 6.

*Carpe uiam, mihi crede, comes, terrestria quādo*
*Mortales animas uiuunt sortita, neq; ulla est,*
*Aut magno, aut paruo lethi fuga: quo bone circa,*
*Dum licet in rebus secundis uiue beatus!*
*Viue memor, quam sis breuis eui.*

Sed ista muris sunt, quibus tamen mus rusticus sapientior sic respondet:

*haud mihi uita*
*Est opus hac, ait, & ualeat, me silua, cauusq;*
*Tutus ab insidys, tenui solabitur erua.*

*HOC quod loquor inde est*; nam per singula momenta, etiam dum breuissimam emittimus vocem, vita nobis perit, & ex quo viuere cœpimus, indesinenter in mortem currimus. Id argumentum tractarunt Patres, & Augustinus præcipuè de C.D. lib. 10. cap. 13. & philosophi, maximeque Seneca dicens epist. 24. [Memini te, illum locum aliquando tractasse. Non repente nos in mortē incidere, sed minutatim procedere. Quotidie morimur, quotidie enim demitur aliqua pars vitæ, & tunc quoque quum crescimus, vita decrescit. Infantiam amisimus, deinde pueritiam, deinde adolescentiam, vsque ad hesternum quidquid transijt temporis, perijt: hunc ipsum quem agimus diem, cum morte diuidimus. Quemadmodum clepsydram, nō estremum stillicidium exhaurit, sed quidquid ante defluxit, sic vltima ho-

ta, qua esse definimus, non sola mortem facit, sed sola consummat; tunc ad illam peruenimus, sed diu venimus. Hæc quum descripsisses quo soles ore, semper quidem magnus, numquam tamen acrior, quam vbi veritati commodas verba, dixisti: Mors non vltima venit, quæ rapit vltima, mors est.] Sic Manilius:

*Nascentes morimur, finisq; ab origine pendet.*

Cui hexametro additum inuenitur hic pentametrum in tumulo Camilli Aquilei:

*Illa eadem, vitam quæ inchoat, hora rapit.*

*EN quid agis? duplici in diuersum scinderis hamo Huncine, an hunc sequaris, subeas alternus oportet, Ancipiti obsequio dominos alternus oberres.* Verba sunt poetæ interrogantis Damam, quid sibi in tali rerum conditione faciendum putet, quando hinc eum Auaritia impellit ad longam nauigationem pro diuitijs aceruandis: illinc luxuria detinet, iubens frui iam partis in otio, & quiete? Et hæ erant duæ dominæ inuicem contrariæ, quibus Dama seruiebat. Et vtitur metaphora ducta à piscibus, & auibus, duobus hamis in partes diuersas trahentibus, captis. Scindere autem est findere, frangere, & diuidere, à Græco σχίζω abiecta aspiratione, & assumpto N. Sic Virg. 6. Æneid. vers. 179.

*Itur in antiquam siluam, stabula alta ferarũ*
*Procumbunt piceæ, sonat icta securibus ilex,*
*Fraxineæq; trabes cuneis, & fissile robur*
*Scinditur, aduoluũt ingentes montibus ornos.*

Sic Ouidius 3. Tristium elegia 10.

*Inclusæq; gelu stabunt, vt marmore puppes,*
*Nec poterit rigidas scindere remus aquas.*

Sti-

Sumitur quandoque metaphoricè, & ita scinduntur affectus, studia, curæ, & alia. Sic Cic. ad Atticum lib.3. epist.16. *Nolo commemorare quibus rebus sim spoliatus, non solum quia non ignoras, sed etiam ne scindam ipse dolorem meũ.* Ita Virgilius enarratis procerum sentẽtijs deliberantium quid faciendum foret de equo ligneo relicto ab Achiuis, vt putabatur, subdit 2. Æneid. vers.39.

*Scinditur incertũ studia in contraria vulgus.* Et ita nunc fluctuat Dama, dubitans quid sibi foret faciendum; num Auaritiæ, an Luxuriæ parendum. Scindi autem in diuersum, est diuidi in partes contrarias, diuersum est quasi versus duo, idest opposita. Sic Terentius Andriæ Actu 1. scena 5.

*Tot me impediunt curæ, quæ meum animum diuorsim trahunt,*
*Amor, huius misericordia, nuptiarũ sollicitatio*
*Tum patris pudor, qui me tam leni passus est animo, vsq; adhuc,*
*Quæ meo cumq; animo libitum est facere, ei ne ego ut aduorser? hei mihi*
*Incertum est quid agam.*

Sic Plaut. Mil. glor. Actu 5. scena vnica.

*Discindite hominem diuorsum, & dispendite.* Et sic Dama in diuersum hoc est in duas contrarias partes distrahebatur, ad ocium quidem à luxuria, ad negocium vero, & laborem ab auaritia, & sic scindebatur,

*HAMO*, instrumento notissimo ex ferro, metalloue composito, (nam legimus Cleopatram Ægypti Reginam, aureis hamis in piscãdo vsam) quo piscatores, & aucupes vtuntur, ipsum

ipsum vestientes, seu inuoluentes escis delectabilibus, aut necessarijs, feris quas capere intendunt. Dicto ab am, idest circum, quia circumdatur esca: vel ἄμμα vinculo, nam eo quasi ferreo vinculo, fera adnectitur. Meminit Ouid. 3 de Arte:

*Casus vbique valet, semper tibi pendeat hamus,*
*Quo minimè credis gurgite piscis erit.*

Trāsfertur ad alia, vnde Cicero de Senectute: *Diuinus Plato escam malorū appellat voluptatē, quod ea videlicet homines capiantur, ut hamo pisces.*

*HVNCCINE* per epenthesin, pro hunc ne, addita in medio syllaba, ci. Subeas. pro recordetis dixit Virg. 10 Aneid v. 824.

*Et mentem patriæ subit pietatis imago.*

Alijs est toleres, basiules, portes, sic Horat. 1. serm. sat 9.

*Nil habeo, quod agam, & non sum piger, vsque sequar te*
*Demitto auriculas, ut iniquæ mentis asellus,*
*Quum grauius dorso subijt onus.*

Sic Cic. 3 offic [At enim ne iratus quidē Iuppiter plus Regulo nocuisset, quam sibi nocuit ipse Regulus: certè si nihil malum esset nisi idolere. Id autem non modo nō summū malū, sed nec malum quidē esse, maxima autoritate philosophi affirmant, quorum quidem testem non mediocrem, sed haud scio an grauissimum Regulum, nolito queso vituperare, quem enim locupletiorem querimus, quam Principē Reip. qui retinendi officij causa, cruciatū subierit voluntariū?] Et ita nunc sumitur, nam Dama subire, idest tolerare cogitur dominatū imperium.

AL-

*ALTERNVS*, nomen pro aduerbio alternatim, viciſſim, ſiue per vices. Sic Cicero 3. de Oratore: [Duo enim, aut tres ſunt ferè extremi ſeruandi, & notandi pedes, ſi modo breuiora, & præciſa erunt ſuperiora, quos aut choræos, aut heroos, aut alternos eſſe oportebit, aut in peane illo poſteriore, quem Ariſtoteles probat, aut ei pari cretico. Horum viciſſitudines efficient, vt neque ij ſatientur, qui audient, faſtidio ſimilitudinis, nec nos id quod facimus, opera dedita facere videamur.] Sic Virg. eclog. 7. verſu 18.

*Alternis igitur contendere verſibus ambo*
*Cœpere, alternos Muſæ meminiſſe volebant.*

Replicatur autem vox eadem *ſubeas alternus*, & *alternus oberres*, ad innuendam maximam animi fluctuationem, electioniſque incertitudinem: neſciebat enim Dama ſeipſum determinare, quam partem ſequi præſtaret, vel cui Dominæ obedire ſatius foret.

*ANCIPITI*. De hoc dictum ad ſatyræ 4. verſum 11. eſſe de quo neſcimus, qua parte capi poſſit, dictum ab anſa & capio, quia vndecumque anſam habet qua poſſit capi, vel quod obſcurum, dubium, & incertum habet caput, ſiue anſam, etiam ſi eam æquè ex quacumque parte habeat, vt videmus in quibuſdam ſecuribus, & bipennibus. Hinc transfertur ad propoſitum, conſilium, & intentum abditum, vagum, dubium, & incertum. Sic Cicero pro Marcello: *Nemo erit tam iniuſtus rerum æſtimator qui dubitet, quæ Cæſaris voluntas de bello fuerit, quum pacis autores conſeruandos ſtatim cenſuerit, cæteris fuerit iratior. Atque*

*id minus mirum videretur fortaſſe, quum eſſet incertus exitus, & anceps fortuna belli: qui vero uictor, pacis autores diligit, is profecto declarat, maluiſſe ſe non dimicare, quam vincere.* Et hoc modo nunc ſumitur pro conſilio dubio, incerto, & fluctuante.

*OBSEQVIO*, officio, quo quis, vt alterum ſibi paret amicum, id præſtat, quod illi cordi eſſe cognouit. Hinc Terent. Andria Actu 1 ſc. 1.

*Obſequium amicos, ueritas odium parit.*

Sed ſæpe ſumitur pro obedientia, aut ſeruitute, hęc enim ſemper placet ei, cui exhibetur. Sic Salluſtius, vel alius autor inuectiuę in Ciceronem: *Verum opinor, ſplendor domeſticus tibi animos tollit, uxor ſacrilega ac periurijs delibuta, filia matris pellex, tibi iucundior atq; obſequentior, quam parenti par eſt.* Et de obſequio pręſtito dominis paſſionibus. Sic Terẽt. Hecyra Actu 3. ſcena 5.

*Sanè hercle homo uoluptati obſequens*
*Fuit dum uixit.*

Sic nunc obſequium anceps, eſt famulatus exhibitus, nunc auaritiæ, nunc luxurię, vagè, & inconſtanter.

*NEC tu quũ obſtiteris ſemel, inſtantiq; negaris parere imperio, Rupi iam vincula, dicas: nam luctata canis nodũ abripit, attamen illi quum fugit, à collo trahitur pars longa catenæ.* Ait Quum tu Dama ſemel, aut bis reſtiteris impellentibus præceptis auaritiæ, vel luxuriæ, ne propterea dicas: Iam ſeruitutis excuſſi iugum, & in libertatem me vindicaui: ſiquidem etiam in vitioſis, & perditæ frugis hominibus, naſci à natura ſolent quidam igniculi, quibus ac-

accenditur virtutis,& honestatis amor,cum odio vitiorum. Verum ista laudem non merētur, nisi processerint ex certo consilio, maturaque deliberatione,& efficaci voluntate perseuerandi in bono iam cœpto: alioquin, vt in naturalibus nec meritum est,nec demeritum, ita nec in istis subitaneis ad virtutem impulsibus.Quapropter vitiosi, licet in se experiantur tales subitaneos ad honestatem impulsus, ne sibi persuadeant, se iam vitia debellasse, quousque accedente matura deliberatione, motus illi altius radices fixerint. Et ita nunc ait: *Nec tu quum obstiteris semel*. Obstare est impedire, resistere, repugnare. Sic Ouid. 4. Fastorum:

*Hac mihi Nomento Romam, quū luce redirem*
*Obstitit in media candida pompa uia.*

Licet hoc Ouidij loco accipi possit pro simpliciter occurrit: sed quia quod occurrit sæpe impedit, vt Archimenides Cheream apud Terentium Eunucho Actu 2. scena 3, inde etiam in hoc Ouidij loco,obstitit accipi potest pro impediuit. Sed manifestior est locus Ciceronis Philippica 13 dicentis: *Neque enim quod quisq;potest,id ei licet nec si non obstatur, propterea etiam permittitur.* Vbi, vt vides, obstatur idem est ac repugnatur, siue resistitur: & hoc modo accipi debet in hoc Persij loco.

*INSTANTIQ;* Imperium instans est vrgens,violentum, & impellens, itaut obedientiam extorqueat. Sic Virg.1.Æneid.v.507.

*Talis erat Dido, talem se læta ferebat*
*Per medios,instans operi, regnisq; futuris.*

Sic & Liuius lib.1. cap.37. *Eo prælio præcipua*

*equitum gloria fuit. Vtrimque à cornibus positos, quum iam pelleretur media suorum peditum acies, ita concurrisse ab lateribus ferunt, ut non sisterent modo Sabinas legiones ferociter instantes cedentibus, sed subito in fugam uerterent.* Et ita hic imperium instans, erit, vrgens, inculcatum, vt dicere voluerit: Etiam si aliquando repugnaueris Auaritiæ, aut Luxuriæ preceptis, ne tamen glorieris te seruitutis excussisse iugum, vel abrupisse catenas.

*NAM luctata canis.* Exemplo canis, aut feræ catenatæ, violenter catenam rumpentis, ratio redditur, quur ille se liberum dicere nequeat, qui semel luxuriç, aut auaritiæ restiterit imperio, quia videlicet adhuc catenæ partem secum circumfert, & adstringitur funibus peccatorum, atque inoletæ consuetudinis. Luctata à deponenti luctor, antiquis, neutro, lucto, cuius composito delucto, vsus Plautus Trinummo Actu 4. scena 1.

*Quibus ærumnis delictaui filio dum diuitias quæro.*

Et Terentius Hecyra Actu 5. scena 3.

*Homo se fatetur, ui, in uia nescio quam compressisse.*

*Dicitq; sese illi annulũ, dum luctat detraxisse.*

Sed Latina lingua reddita cultiori, cœpit esse deponens. Sic Virg. ait 6. Æn. v 643.

*Contendunt ludo, & fulua luctantur arena.*

Sic Cicero 1. de Oratore: *Non luctabor tecum, Crasse, amplius, id enim ipsum, quod contra me locutus es, artificio quodam es consecutus.* Est autem luctari, siue luctare, lucta contendere: lucta vero est certamen quo duo, se inuicem bra-

brachijs complectentes, alter alterum in terram prosternere conatur: sed transfertur ad modo quocumque contendere,& ita nunc sumitur, quum canis alligata, catenisque constricta, vincula rumpere conatur.

*NODVM* dicimus ligaturam non facilè soluibilem. & primum in his locum tenet, appellatus Herculis, in quo nec principium apparebat, nec finis. Quo nectendi genere, in alligandis vulneribus, vtebantur Chirurgi, teste Plinio, dicente lib. 28. cap. 6. *Vulnera nodo Herculis prȩligare ocyor medicina est.* Talis fuit nodus Gordius, quem soluenti, oracula, Asiæ promittebant imperium, vnde Alexander, quum aliter soluere nequiret, eum gladio difiecit, oraculum sic eludens, dicensque parũ referre quomodo quis soluat. At simplex facileque soluibilis fuit ille Veneris, de quo Virg. 1. Æneid. v. 324.

*Nuda genu, nodoq; sinus collecta fluentes.*

At hic, nodus per senecdochen materiæ, vel per metonymiam adiuncti, est catena, qua canis fuerat adstricta, & cuius partem secum rapuerat.

*ABRIPIT*, in quibusdam impressis est Arripit; est autem tam abripere, quam arripere, ad se rapere, seu ad se, cum quadam violentia, trahere: rapere namque violentiam semper, aut celeritatem importat, vnde eo verbo denotatur impetus, quo quidpiam nolenti aufertur, vel infertur. Sic Terent. Andria Actu 5. scena 2.

*sublimem hunc intro rape quantum potes.*

Quum ergo abripere sit ad se rapere, verbum

istud optimè conuenit huic loco, vbi canis, catenam, qua erat constricta, violenter trahendo, confregerat, & ita aufugerat, sed longam eiusdem catenæ partem secum traxerat, qua ab insequentibus detenta, in eadem iterum vincula reducta fuerat. Ideoque canis illa, etiam dum fugiebat, libera non erat, non enim potest dici liber, qui suæ secum circumfert captiuitatis constringentem catenam. Sic Seneca Vitæ beatæ cap. 16. [Quid ergo? Virtus ad viuendum beatè sufficit; perfecta illa est & Diuina? Quidni sufficiat? immo superfluit. Quid enim deesse potest, extra desiderium omnium posito? Quid extrinsecus opus est ei, qui omnia sua in se collegit? sed ei qui ad virtutem tendit, etiam si multum processit, opus est tamen aliqua fortunæ indulgentia, adhuc inter humana luctanti, dum nodum illum exsoluit, & omne vinculum mortale. Quid ergo interest? Quod alij alligati sunt, alij adstricti, alij districti quoque. Hic qui ad superiora progressus est, & se altius extulit, laxam catenam trahit, nondum liber, iam tamen pro libero.] In Senecæ ergo etiam sententia, qui catenam abrupit, vel qui eam laxam trahit, nondum est liber, esto si verè virtuti se ex animo tradidit, possit pro libero reputari, quod non conceditur ei, qui semel tantum, aut bis, vitio restitit. Et est in his Persij verbis Aposiopesis, seu Reticentia, abrumpitur enim redditio comparationis, quæ ex rei natura vt debita expectabatur. Ad hoc enim inducta erat similitudo canis vinculis alligatæ, & post longam luctam fugientis cum pro-

lixa vinculorum parte, qua comprehenditur, & in arctiorem truditur custodiam, vt demonstraretur, vitiosum, peccatorum constrictum catenis, nonnumquam vincula effringere, vitæque emendationem inchoare: sed quia vitiosi plerumque id concipiunt concupiscentia nouitatis, vel indignatione negatæ voluptatis, vel impetu potius, quam certo consilio, & matura deliberatione, quæ (quantum in homine est) abrumpere valeat vitiorum catenas ex ipsa earum radice, quę est animus illis illigatus per habitus prauos, non possunt verè liberi dici. Inde videmus tales homines, quasi per catenam inolitæ consuetudinis, reuocari in captiuitatem, & relabi in priora, & peiora opera. Quod omne, dicendum, per apostopesin omisit, reliquitque intelligendum.

*DAVE, cito hoc credas iubeo, finire dolores præteritos meditor, (crudū Cherestratus vnguem abrodens ait hæc) an siccis dedecus obstem cognatis? an rem patriam rumore sinistro limen ad obscœnū frangam, dum Chrysidis vdas ebrius ante fores extincta cum face canto?* Quod immediatè ante dixerat de cane, quæ abrupta catena qua fuerat alligata, eamque à collo trahens, eadem fuerat in vincula reuocata, nunc confirmat, exemplo cuiusdam vitiosi, pœnitentis quidem, sed non bona fide, ex odio turpitudinis vitij, vel amore honestatis virtutis, ideoq; statim in idem peccatorum cœnum est relapsus. Ex quo inferendum relinquit id, quod fuerat probandum, nempe non sufficere ad veram libertatem quodcumque propositum vitæ emendatioris, nisi sit coniunctum tot

actibus, quot sufficiant corrumpere habitum vitiosum,& generare virtutem,immo de facto hanc introduxerint. Est autem exemplum hoc acceptum ex Menandro, relatumque ab Horatio 2.serm.sat.3. tacitis tantum personarum nominibus, & à Terentio translatum in suum Eunuchum, cum commutatione personarum,nam vbi Menāder introducit Dauum, Cherestratum, & Chrysidem, Terentius nominat Parmenonem,Phedriam,& Bacchidem. Planus autem ordo horum verborum, in quo plures allucinātur,est hic:Cherestratus abrodens crudum vnguem, ait hæc: Daue, iubeo, cito credas hoc,meditor finire dolores præteritos: an,dedecus, obstem siccis cognatis? an sinistro rumore frāgam rem patriam ad limen obscœnum, dum ebrius canto ante fores vdas Chrysidis cum face extincta? Iubeo autem est quasi ius habeo,dictum à ἶω βίω vi mitto: vel à τῷ βιάω voce vrgeo,& impello, & sæpe idem valet,ac precor, siue opto: sed propriè ac ex nominis ethymologia est præcipio, seu impero.Sic Terent.Eunuch.Actu 2.scena 3.

*Iubeo, cogo, atque impero.*

Et quamuis insolens sit, heros, qui corporum tantum habent dominium, præcipere actus internos credendi,opinandi,sperandi, & similes, qui soli, iuxta Epictetum in Enchiridio, & alios philosophos, & Theologos, sunt in operantium potestate,nec subduntur aliorum dominio, Cherestratus tamen nunc iubet Dauum hunc elicere credendi actum. Verum hoc mirum videri non debet,quia ille amore, zelo,& indignatione insaniebat,nesciebatque

quid

quid diceret, nedum quousque imperium suum posset extendi.

*FINIRE dolores*, idest eis finem terminumq; imponere, vt amplius non sentiantur, quibus nonnulli per mortem finem imponere crediderunt: quæ fuit Stoicorum, & Senecæ stulta sapientia, consulentis sic esse faciendum quando vita displicere cœpisset. Stulti, qui iussu Dei assignatam, deseruere Stationem, & vt momentaneos vitarent dolores, atrocioribus seipsos subdiderunt, quos indispensabiliter subire oportet eos, qui, reclamante natura, in propriam armantur vitam, voluntaria se morte perimentes, vt Cato Vticensis, Brutus, Cassius, & alij: parumque abfuit, quia ex eorum numero foret etiam Ouidius, nisi Dea Spes illi presto fuisset, vt ait, de Ponto lib. 1. eleg. 7.

*Hæc Dea, quã multos laqueo sua colla ligãtes*
*Non est proposita passa perire nece,*
*Me quoq; conantem gladio finire dolores*
*Arcuit, iniecta, continuitq; manu.*

Verum hic finire, dolores, per metonymiã effectus, ponitur pro cessare ab amore, qui est causa doloris.

*MEDITOR*, propriè est cogito, & iuxta ethymologiam, medio animo verso. Sic Plaut Amphitr. Actu 1. scena 1.

*Ea nunc meditabor quomodo illi dicam quom illò aduenero.*

Sed Vegetius meditationem posuit pro prolusione ante serium actum, sic enim ait Rei Militaris lib. 1. cap. 1. [ Aduersus omnia profuit tyronem solertem eligere, ius (vt ita dixerim) armorum docere, disciplinam quoti-

diano exercitio roborare, quæcumque euenire in acie, atque in prælijs possent, omnia in campestri meditatione prænoscere: seuerè in desides vindicare. Scientia enim rei bellicæ, dimicandi nutrit audaciam; nemo facere metuit, quod se benè didicisse confidit. Etenim in certamine bellorum, exercitata paucitas ad victoriam promptior est, quam rudis, & indocta multitudo, exposita semper ad cædem.

*CRVDVM*. Abrodere crudos vngues, aliquando est mori in aquis maris, vel diutius in eis versari, maris enim aquæ, viuos & crudos vngues abrodendi vim habēt, vt videmus in nautis, & piscatoribus, quorum vngues ab aquis maris detriti sunt. Hinc Propertius l. 3. eleg. 5. ait:

*Huic fluctus viuo radicitus abstulit ungues.*

Verum hic abrodere crudum vnguem, periphrasis est cogitabundi, qui mente defixus in aliquod obiectum, nec aduertens quid faciat, suos abrodere, dentibusque cõsumere vngues solet. Inde vngues rodere frequenter ponitur pro contemplari. Sic noster Persius sat. 1. vers. 106.

*Nec pluteum cædit, nec demorsos sapit ungues*: quod interpretabamus de scriptoribus, qui absque meditatione, scribebant, qualis fuit Lucilius, de quo Horatius 1. ser. sat. 10. ait:

*fuerit Lucilius inquam*
*Comis, & urbanus, fuerit limatior idem,*
*Quam rudis, & Græcis intacti carminis autor*
*Quamq; poetarum seniorum turba: sed ille*
*Si foret hoc nostrum fato dilatus in æuum*
*Detereret sibi multa, recideret omne, quod ultra*

*Perfectum traheretur, & in uersu faciendo*
*Sæpe caput scaberet, uiuos & roderet ungues.*

Hoc est maiorem adhiberet curam, & meditationem. Et ita nunc sumitur, nam Cherestratus defixus in cogitatione amoris Chrysidis, vel iniurię ab ea acceptę per exclusionem, nec aduertens quid faceret, crudos & viuos sibi abrodebat vngues, idest dentibus eos secabat, quod viperæ suis maribus faciunt, abrodendo, & dentibus illorum capita abscindendo, vt ait Plinius lib. 10. cap. 62. dicens: *Viperæ mas caput inserit in os, quod illa abrodit, uoluptatis dulcedine.* Itaque meditabundus, rodendo sibi abscindit vngues. Quod si malis abrodere vngues esse proprium indignantium, dicemus esse talium dum vindictæ capiendæ modum meditantur, & ita semper erit meditabundi.

*VNGVEM*. Vnguis est cornu nascens in extrema parte digitorum manuum, & pedum, in animalibus digitatis, canibus, felibus, leonibus, pantheris, vrsis, & alijs: in bisulcis & solungulis, non vnguis propriè, sed vngulę dicuntur. Sic Plinius lib. 11. cap. 45. [Vngues clausulæ neruorum summę existimantur: omnibus quibus & digiti, sed simiæ imbricati, hominibus lati, & defuncto crescunt, rapacibus vnci, cæteris recti, vt canibus. Et eodem lib. c. 47. de lince ait: Vngues ei grandes, ceu graculis: auium quibusdam grauioribus, in cruribus additi radij: nulli vncos habenti vngues, longi pedes. De vngulis ait idem lib. 11. cap. 45. Solidas habent vngulas, quæ non sunt cornigera; igitur pro eis, telum vngula est illis, nec talos habent eadem, at quæ bisul-

ea sunt, habent. (Et cap.46. inquit:) Vngulæ veterino tantum generi renascuntur: sues in Illyrico, quibusdam locis, solidas habent vngulas, cornigera, ferè bisulca solida vngula, & bicorne, nullum.] Sed hic sermo est de vnguibus manuum hominis tantum, quas cogitabundi, dentibus sibi abrodunt. Eos denominat crudos, quia viui, & esui inepti. Id illi incogitanter faciebant: quam actionem dicere solemus hominis, nam ab eo procedit sed non humanam, seu moralem, pœna vel præmio dignam, quia absque deliberatione, & est ab eo potius in quantum est animal brutum, quam quatenus homo:

*AN siccis*. Siccus propriè est, qui humoris aruit defectu. Talem siccitatem torrenti imprecatur Ouid.3. Amor.eleg.6.

*At tibi pro meritis, opto, non candide torrens*
*Sint rapidi soles siccaq; semper hyems.*

Et idem ait de Amulio 3. Fastor.

*Amne iubet mergi geminos, scelus unda refugit,*
*In sicca pueri destituuntur humo.*

Et Virgil.5. Æneid.vers.179.

*madidaq; fluens in veste Menætes*
*Summa petit scopuli, siccaq; in rupe resedit.*

Sic Plinius lib.9.cap.8. [In eadem Vrbe Iasso Egesimodes scribit, & alium puerum, Hermiã nomine, similiter maria perequitantem, quum repentinæ procellæ fluctibus exanimatus esset, relatum, delphinumque causam læthi fatentem, non reuersum in maria, atque in sicco expirasse.] Contrarium eius, quod est esse siccum est esse madidum, vt loco citato Virgil.

M 4.

*Madida veste.* Sic Ouid. 3. Amor. eleg. 6.

*Quid fles, & madidos lacrymis corrũpis ocellos?*

Sed metaphoricè madidus est ebrius, & plenus vini; sic Plautus Pseudolo Actu 1. sc. 2.

*improbæ vini modo cupidæ estis*
*Eo vos, panticesq; adeo madefacitis, quom ego sim hic siccus.*

Et idem Asinaria Actu 5. sc. 2. Siccus dicitur sobrius;

*meum virum sui rasa*
*Siccum, frugi, continentem, amantem vxoris maxumè.*

Tibullus pocula sicca dixit pro exhaustis l. 3. eleg. 6.

*Hæc Amor, et maiora valet. Sed poscite Bacchi*
*Munera, quem vestrum pocula sicca iuuant?*

Et laxiori metaphora siccus dicitur, qui non diffluit in rem non necessariam. Sic Cicero de Optimo genere Oratorum *Vnum enim quum sit genus, id quale sit querimus Est autem tale, quale floruit Athenis, ex quo Atticorum oratorum ipsa vis ignota est, nota gloria: nam alterum multi viderunt, vitiosi nihil apud eos, alterum pauci, laudabilia esse multa Est enim vitiosum in sententia, si quid absurdum, aut alienũ, aut non acutum, aut subinsulsum est. in verbis si inquinatum, si abiectum, si non aptum, si durum, si longè petitum. Hæc vitauerunt ferè omnes, qui aut Attici numerantur, aut dicunt Atticè. Sed quatenus valuerunt sani, & sicci dumtaxat habentur, sed itaut palestricè spatiari in Xisto ijs liceat, non ab Olympijs coronam petant: Qui quũ careant omni vitio, non sunt contenti, quasi bona*

*valetudine ad uires, lacertos, sanguinem quærũt, quandam etiam suauitatem coloris. Eos imitamur, si possumus, sin minus, illos potius, qui incorrupta sanitate sunt, quod est proprium Atticorum, quam eos quorum vitiosa abundantia, quales Asia multos tulit.* Sicci itaque cognati dicti, sobrij è familia Cherestrati, qui tam à vino, & ebrietate, quam ab alijs vitijs abstinebant.

*DEDECVS* est turpitudo, seu ignominia nata ex re turpiter gesta, vt parricidio, furto, vel eo quod in se, vel suorum aliquo passus sit indigna homine libero, vt verbera, vel stuprum. Cicero 1. Tuscul. *Dolorem existimo maximum malorum omnium. M. Etiamne maius, quam dedecus? A. Non audeo id dicere quidem, & me pudet tam cito de sententia esse deiectum. M. Magis esset pudendum si in sententia perseuerares. Quid enim minus est dignum, quem tibi quidquam peius videri dedecore, flagitio, turpitudine, quæ vt effugias, quis est non modo non recusandus, sed vltro appetendus, subeundus, excipiendus dolor?* Hic autem dedecus, vel accipitur substantiuè pro homine flagitioso, cui ex merito probra debeantur, sicut aliquem appellamus scelus, quia sceleribus est plenus: Et ita dedecus dicitur vndique scatens ignominia. Vel dedecus ponitur hic per modum exclamationis, & cum admiratione, vt si dictum fuisset: O dedecus! an ego obstem siccis cognatis?

*REM patriam*, idest patrimonium, vel hæreditatem à parentibus habitam, sic denominatam à patre, vt patrimonium. Rem patriam

sic

Sic describit Lucretius lib.4.v.1116.

*Labitur interea res & vadimonia fiunt*
*Languent officia, atq; ægrotat fama vacillans*
*Vnguenta, & pulchra in pedibus Sicyonia ridet.*
*Scilicet & grandes uiridi cum luce smaragdi*
*Auro includuntur, teriturq; Thalassina vestis*
*Assiduè, & Veneris sudorem exercita potat,*
*Et benè parta patrum, fiũt anademata, mitræ*
*Interdum in pallam, & melitensia, Ceaque verrunt.*
*Eximia veste, & victu, conuiuia, ludi*
*Pocula crebra, vnguẽta, coronæ, serta parãtur*
*Nequicquam, quoniam medio de fonte leporũ*
*Surgit amari aliquid, quod in floribus angat*
*Aut quod conscius ipse animus se fortè remordet*
*Desidiosè agere ætatem, lustrisque perire.*
*Aut quod in ambiguo verbũ iaculata reliquit*
*Quod Cupido affixus cordi, viuescit vt ignis*
*Aut nimium iactare oculos, aliumue tueri*
*Quod puteat, in voltuque videt vestigia risus,*
*Atq; in amore mala hæc proprio sũmèq; secũdo*
*Inueniuntur, in aduerso vero atque inopi sunt*
*Prendere, quæ possis oculorum lumine aperto*
*Innumerabilia, vt melius vigilare sit ante*
*Qua docui ratione, cauereque ne inliciaris*
*Nam vitare plagas in amoris ne laciamur*
*Non ita difficile 'st, quã captum retibus ipsis*
*Exire, & validos Veneris perrumpere nodos.*
*Et tamen implicitus quoq; possis, inq; peditus*
*Effugere infestum, nisi tutè tibi obuius obstes*
*Vt prætermittas animi vitia omnia primum,*
*Tum quæ corpori' sunt eius, quam percupis, ac vis*

Nam

*Nam hoc faciunt homines, plerumque cupidine cæci,*
*Et tribuunt ea, quæ non sunt his cõmoda uere*
*Multi' modis igitur prauas, turpesq; videmus*
*Esse in delicijs, summoq; in honore vigere*
*Atq; alios alij irrident, Veneremque suadent,*
*Vt placent, quoniam fœdo adflictantur amore,*
*Nec sua respiciunt miseri mala maxima sæpe.*

Sic Plautus Trinummo Actu 2. sc. 1.

*blandiloquentulus, harpago, mendax, cuppes, auarus*
*Elegans, despoliator, latebricolarum hominum corruptor*
*Blandus, inops, celati indagator: nam qui ab eo quod amat*
*Quam extemplo sauijs sagittatus percussus est, illico res foras.*
*Labitur, liquitur, Da mihi hoc mel meum, si me amas sodes.*
*Ibi ille cuculus: Ocelle mi fiat, & istud, et amplius si vis dari*
*Dabitur: ibi illa pendentem ferit, iam amplius orat, non sat*
*Id est mali, ni amplius etiam quod ebibit, quod comest,*
*Quod facsat sumpti datur, nox ducitur, familia tota*
*Vestispicæ, unctor, auricustos, flabellifere, sandaligerulæ*
*Cantrices, cistellatrices, nuncij, renuncij, raptores panis, & peni*
*Fit ipse, dum illis comis est, inops amator.*

Et hoc modo Cherestratus ad limen obscœnum, idest in domo meretricis fregerat rem pa-

patriam, hoc est absumpserat patrimonium & bona sibi à parentibus relicta.

*RVMORE*: populi sermone absq; certo autore: vel publica quamuis incerta, & obscura fama de re aliqua. Sic Terent. Andria Actu 1. scena 2.

*Meum gnatum rumor est amare.*
D. *Id populus curat scilicet.*

Sic Horat. 2. ser. sat. 6.

*Frigidus à rostris manat per compita rumor*
*Quicumq; obuius est, me consulit: O bone (nā te*
*Scire, Deos quoniam propius cōtingis, oportet)*
*Num quid de Dacis audisti? Nil equidē. Vt tu*
*Semper eris derisor. At omnes Di exagitēt me*
*Si quidquam. Quid? Militibus promissa, Triquetra*
*Prædia Cæsar, an est Itala tellure daturus?*
*Iurantem me scire nihil, mirantur, vt unum*
*Scilicet egregij mortalem, altiq; silenti,*
*Perditur hæc inter misero lux, non sine uoti,*

Rumorum meminit Cicero ad Atticum l. 16. epist. 5. *Tuas iā litteras Brutus expectabat, cui quidem ego non nouum attuleram de Tereo Accij, ille Brutum putabat, sed tamen rumoris nescio quid afflauerat, commissione Græcorum frequentiam non fuisse, quæ quidem me minimè fefellit.* Et lib. 12. epist. 9. *Tamquam enim clausa sit Asia, sic nihil perfertur ad nos, præter rumores de oppresso Dolabella satis quidem illos constantes, sed adhuc sine autore.* Rumor ergo est fama sparsa in vulgus sine certo autore, à quo primum manarit; & de hac nunc est sermo.

*SINISTRO.* Sinistrum, quod est ad læuam.

Sic cornua exercitus, dextrum, & sinistrum pluries dicta, etiam à Liuio lib. 3 cap. 62. *Consilio Sabini uires adiuuere, nam quum æquaßent aciem, duo extra ordinem millia, quæ in sinistrũ cornu Romanorum, in ipso certamine impressionem facerent, tenuere: quæ vbi illatis ex transuerso signis, degrauabant, prope circumuentum cornu, equites duarum legionum sexcenti ferè, ex equis desiliunt, cedentibusque iam suis, prouolant in primum, simulq; & hosti se opponunt, & æquato primum periculo, pudore deinde animos peditum accendunt.* Et quia manus læua, seu sinistra, vt in pluribus est debilior, hinc frequentius quod est debilius, sinistrum nominamus. Sic quia quæ sinistra manu fiunt, minus rectè procedunt, noxia omnia, & ominosa, (nisi in augurijs) sinistra dicuntur. Hinc Virg. 1. Georg. v. 443.

*Namque urget ab alto,*
*Arboribusque, satisq; Notus, pecoriq; sinister.*

Et Eclog. 9. v. 14.

*Quod nisi me quascumque nouas incidere lites*
*Ante sinistra caua monuisset ab ilice cornix,*
*Nec tuus hic Mœris, nec uiueret ipse Menalcas.*

Sic Ouid. epist. 21.

*Tunc mea difficili deducta est æquore nauis,*
*Et fuit ad cœptas hora sinistra uias.*

Et quamuis Festus dicat, ideo in auspicijs auem sinistram censeri felicem, quia non impediebat, sed sinebat fieri opus intentum, id tamen non videtur verum, quum impedierit necem Moeris, & Menalcæ, vt refert Virgilius Ecloga 9. Alexander ab Alexandro l. 5. c. 13. docet; Ex cœlo fit augurium, vt si læuum in-

to-

tonuisset, quod prosperi euentus putauerunt esse: idem si fulgur à sinistra in dextram emicuisset, disciplina Etrusca, quia quæ nobis læua sunt, à Dijs dextra ex parte demitti putantur: id eo fulmen in rebus omnibus lætum auspicium facit, bonique euentus est, si sinistra ex parte venit: in auspicijs enim, quæ sinistra sunt, benè euentura putantur, tametsi Græci dextra ex parte veniens augurium, auspicatius putent. Semper cantus oscinis, quum sinister est secundissimus fuit. Dextrum autem, & sinistrum non sumitur per respectũ ad nos, sed ad Cœli regiones. Vnde idem Alexander lib.5. cap. 19. ait: Ex notatis regionibus prima antica, posterior postica, tum destra, & sinistra dictæ: quamuis Etrusci vates, cœlestium prodigiorum periti, Cœlum in duodecim partes diuiserint, anticamque ad Occiduum, quoniam omnis illic inclinat motus: & posticam ad Orientem: dextras ad Septentrionem, sinistras vero ad meridiem proclinare voluerunt. Rumor ergo sinister, est sermo dedecorosus, infamiam inducens, vel vulgans, quem Cherestratus de se esse sciebat.

*LIMEN* est transuersum in ianua, à limo, idest obliquo, quia ingredientibus, & exeuntibus est ex transuerso, & obliquo, vnde & agrorum limites iuxta Isidorum l.15.cap.14. appellati antiquo verbo, transuersi, transuersa namque omnia, antiqui, lima dicebant: à quo & limina ostiorũ, per quę foris, & intus itur. Et Agenus Vrbicus: Limites appellati à limo, idest antiquo verbo transuersi, nam & limum, cinctum, ideo quod purpuram transuersam

ha-

[illegible] prof[illegible]s,
[illegible] à l[illegible]m[illegible]tibu[illegible]
[illegible] ferua[illegible]tur. E
[illegible], nunc v[illegible]
[illegible] tráſuerſus,
[illegible] Hecyra Actu 3.
[illegible]

*[illegible] ut limen exirem, ad*
*[illegible]*

[illegible] pro [illegible] ianua. Sic
[illegible]

*[illegible] & [illegible]*
*[illegible] r[illegible]ſti.*

[illegible] enim
[illegible], ut quæ fracta erat
[illegible] & per ſinecdochen intelli-
[illegible] per meto-
[illegible], quæ [illegible] con-
[illegible]

[illegible] à [illegible] deriuant:
[illegible], quam
[illegible] Cicero 3. de Legib. ait:
[illegible], *[illegible]*
*[illegible], ſi Senatus [illegible]-*
*[illegible], iſq;*
[illegible]. At ſæ-
[illegible] ad ſcenam 2.
[illegible] dicuntur
[illegible], ſexcum-
[illegible] Varro, ver-
[illegible]. Obſcœ-
[illegible] res in collo
[illegible], bonę ſcę-
[illegible] dicta

ab sceua, ideſt ſiniſtra, quod quæ ſiniſtra ſunt, bona auſpicia exiſtimantur, à quo dicuntur Comitia, aliudue quod fit aue ſiniſtra, ſcæua. Id à Græco eſt, quod hi ſiniſtram vocant σκαιὰν, quare quod dixi ſceuum, bonum omen eſt, obſcœnum vero turpe: hinc ponitur inauſpicata, & mali ominis apud Virgil. 1. Georg. verſ. 469.

*Tempore quamquam illo, tellus quoq; et æquora Ponti*
*Obſcœnique canes, importunæq; uolucres*
*Signa dabant.*

Et 3 Æneid. verſ. 238.

*Ergo ubi delapſæ ſonitum per curua dedere*
*Littora, dat ſignum ſpecula Miſenus ab alta*
*Ære cauo, inuadunt ſocij, & noua prelia tentant.*
*Obſcenas pelagi ferro fœdare uolucres.*

Eadem voce ſignificatur res turpis, & dedecoróſa. Sic Horat. lib. 2. epiſt. 1.

*Os tenerum pueri, balbumque poeta figurat*
*Torquet ab obſcenis iã nunc ſermonibus aurẽ.*

Et Cicero 5. Tuſcul. *Voluptates illæ figillatim ab Epicuræis extenuantur, quarum & genera non contemnunt, quærunt tamen copiam: nam & obſcœnas uoluptates, de quibus multa ab illis habetur oratio, faciles, communes, in medio ſitas eſſe dicunt, eaſque ſi natura requirat, nõ genere, aut loco, aut ordine, ſed forma, ætate, figura metiendas putant, ab ijſque abſtinere minimè eſſe difficile, ſi aut ualetudo, aut officium, aut fama poſtulet, omninoque genus hoc uoluptatum optabile eſſe, ſi non obſit prodeſſe numquam.* Limen autem, ſeu domus meretricis, vtroque

modo

actibus, quot sufficiant corrumpere habitum vitiosum, & generare virtutem, immo de facto hanc introduxerint. Est autem exemplum hoc acceptum ex Menandro, relatumque ab Horatio 2. serm. sat. 3. tacitis tantum personarum nominibus, & à Terentio translatum in suum Eunuchum, cum commutatione personarum, nam vbi Menāder introducit Dauum, Cherestratum, & Chrysidem, Terentius nominat Parmenonem, Phedriam, & Bacchidem. Planus autem ordo horum verborum, in quo plures allucinātur, est hic: Cherestratus abrodens crudum vnguem, ait hæc: Daue, iubeo, cito credas hoc, meditor finire dolores præteritos: an, dedecus, obstem siccis cognatis? an sinistro rumore frāgam rem patriam ad limen obscœnum, dum ebrius canto ante fores vdas Chrysidis cum face extincta? Iubeo autem est quasi ius habeo, dictum à ἴω βίω vi mitto: vel à ἰῦ βιάω voce vrgeo, & impello, & sæpe idem valet, ac precor, siue opto: sed propriè ac ex nominis ethymologia est præcipio, seu impero. sic Terent. Eunuch. Actu 2. scena 3.

*Iubeo, cogo, atque impero.*

Et quamuis insolens sit, heros, qui corporum tantum habent dominium, præcipere actus internos credendi, opinandi, sperandi, & similes, qui soli, iuxta Epictetum in Enchiridio, & alios philosophos, & Theologos, sunt in operantium potestate, nec subduntur aliorum dominio, Cherestratus tamen nunc iubet Dauum hunc elicere credendi actum. Verum hoc mirum videri non debet, quia ille amore, zelo, & indignatione insaniebat, nesciebatque

quid

quid diceret, nedum quousque imperium suum posset extendi.

*FINIRE dolores*, idest eis finem terminumq; imponere, vt amplius non sentiantur, quibus nonnulli per mortem finem imponere crediderunt: quæ fuit Stoicorum, & Senecæ stulta sapientia, consulentis sic esse faciendum quando vita displicere cœpisset. Stulti, qui iussu Dei assignatam, deseruere stationem, & vt momentaneos vitarent dolores, atrocioribus seipsos subdiderunt, quos indispensabiliter subire oportet eos, qui, reclamante natura, in propriam armantur vitam, voluntaria se morte perimentes, vt Cato Vticensis, Brutus, Cassius, & alij: parumque abfuit, quia ex eorum numero foret etiam Ouidius, nisi Dea Spes illi presto fuisset, vt ait, de Ponto lib. 1. eleg 7.

*Hęc Dea, quā multos laqueo sua colla ligātes*
*Non est proposita passa perire nece,*
*Me quoq; conantem gladio finire dolores*
*Arcuit, iniecta, continuitq; manu.*

Verum hic finire, dolores, per metonymiā effectus, ponitur pro cessare ab amore, qui est causa doloris.

*MEDITOR*, propriè est cogito, & iuxta ethymologiam, medio animo verso. Sic Plaut Amphitr. Actu 1. scena 1.

*Ea, nunc meditabor quomodo illi dicam quom illò aduenero.*

Sed Vegetius meditationem posuit pro prolusione ante serium actum, sic enim ait Rei Militaris lib. 1. cap. 1. [Aduersus omnia profuit tyronem solertem eligere, ius (vt ita dixerim) armorum docere, disciplinam quoti-

diano exercitio roborare, quæcumque euenire in acie, atque in prælijs possent, omnia in campestri meditatione prænoscere: seuerè in desides vindicare. Scientia enim rei bellicæ, dimicandi nutrit audaciam; nemo facere metuit, quod se benè didicisse confidit. Etenim in certamine bellorum, exercitata paucitas ad victoriam promptior est, quam rudis, & indocta multitudo, exposita semper ad cædem.

*CRVDVM*. Abrodere crudos vngues, aliquando est mori in aquis maris, vel diutius in eis versari, maris enim aquæ, viuos & crudos vngues abrodendi vim habēt, vt videmus in nautis, & piscatoribus, quorum vngues ab aquis maris detriti sunt. Hinc Propertius l.3. eleg.5. ait:

*Huic fluctus viuo radicitus abstulit ungues.*

Verum hic abrodere crudum vnguem, periphrasis est cogitabundi, qui mente defixus in aliquod obiectum, nec aduertens quid faciat, suos abrodere, dentibusque cōsumere vngues solet. Inde vngues rodere frequenter ponitur pro contemplari. Sic noster Persius sat.1. vers.106.

*Nec pluteum cædit, nec demorsos sapit ungues:* quod interpretabamus de scriptoribus, qui absque meditatione, scribebant, qualis fuit Lucilius, de quo Horatius 1.ser.sat.10.ait:

*fuerit Lucilius inquam*
*Comis, & urbanus, fuerit limatior idem,*
*Quam rudis, & Græcis intacti carminis autor*
*Quamq; poetarum seniorum turba: sed ille*
*Si foret hoc nostrum fato dilatus in æuum*
*Detereret sibi multa, recideret omne, quod ultra*

Per-

*Perfectum traheretur, & in uersu faciendo*
*Sæpe caput scaberet, uiuos & roderet ungues.*
Hoc est maiorem adhiberet curam, & meditationem. Et ita nunc sumitur, nam Cherestratus defixus in cogitatione amoris Chrysidis, vel iniurię ab ea acceptę per exclusionem, nec aduertens quid faceret, crudos & viuos sibi abrodebat vngues, id est dentibus eos secabat, quod viperæ suis maribus faciunt, abrodendo, & dentibus illorum capita abscindendo, vt ait Plinius lib. 10. cap. 61. dicens: *Viperæ mas caput inserit in os, quod illa abrodit, uoluptatis dulcedine.* Itaque meditabundus, rodendo sibi abscindit vngues. Quod si malis abrodere vngues esse proprium indignantium, dicemus esse talium dum vindictæ capiendæ modum meditantur, & ita semper erit meditabundi.

*VNGVEM*. Vnguis est cornu nascens in extrema parte digitorum manuum, & pedum, in animalibus digitatis, canibus, felibus, leonibus, pantheris, vrsis, & alijs: in bisulcis & solungulis, non vnguis propriè, sed vngulę dicuntur. Sic Plinius lib. 11. cap. 45. [Vngues clausulæ neruorum summę existimantur: omnibus quibus & digiti, sed simiæ imbricati, hominibus lati, & defuncto crescunt, rapacibus vnci, cæteris recti, vt canibus. Et eodem lib. c. 47. de lince ait: Vngues ei grandes, ceu graculis: auium quibusdam grauioribus, in cruribus additi radij: nulli vncos habenti vngues, longi pedes. De vngulis ait idem lib. 11. cap. 45. Solidas habent vngulas, quæ non sunt cornigera; igitur pro eis, telum vngula est illis, nec talos habent eadem, at quæ bisul-

ea sunt, habent. (Et cap.46. inquit:) Vngulæ veterino tantum generi renascuntur: sues in Illyrico, quibusdam locis, solidas habent vngulas, cornigera, ferè bisulca solida vngula, & bicorne, nullum.] Sed hic sermo est de vnguibus manuum hominis tantum, quas cogitabundi, dentibus sibi abrodunt. Eos denominat crudos, quia viui, & esui inepti. Id illi incogitanter faciebant: quam actionem dicere solemus hominis, nam ab eo procedit sed non humanam, seu moralem, pœna vel præmio dignam, quia absque deliberatione, & est ab eo potius in quantum est animal brutum, quam quatenus homo:

*AN siccis*. Siccus propriè est, qui humoris aruit defectu. Talem siccitatem torrenti imprecatur Ouid.3. Amor.eleg.6.

*At tibi pro meritis, opto, non candide torrens*
*Sint rapidi soles siccaq; semper hyems.*

Et idem ait de Amulio 3. Fastor.

*Amne iubet mergi geminos, scelus vnda refugit,*
*In sicca pueri destituuntur humo.*

Et Virgil.5. Æneid.vers.179.

*madidaq; fluens in veste Menœtes*
*Summa petit scopuli, siccaq; in rupe resedit.*

Sic Plinius lib.9.cap.8. [In eadem Vrbe Iasso Egesimodes scribit, & alium puerum, Hermiā nomine, similiter maria perequitantem, quum repentinæ procellæ fluctibus exanimatus esset, relatum, delphinumque causam læthi fatentem, non reuersum in maria, atque in sicco expirasse.] Contrarium eius, quod est esse siccum est esse madidum, vt loco citato Virg: l.

M p.

*Madida veste.* Sic Ouid. 3. Amor. eleg. 6.

*Quid fles, & madidos lacrymis corrūpis ocel-*
*los?*

Sed metaphoricè madidus est ebrius, & ple-
nus vini; sic Plautus Pseudolo Actu 1. sc. 2.

*improbæ vini modo cupidæ estis*
*Eo vos, panticesq; adeo madefacitis, quom*
*ego sim hic siccus.*

Et idem Asinaria Actu 5. sc. 2. Siccus dicitur
sobrius;

*meum virum fui rata*
*Siccum, frugi, continentem, amantem vxoris*
*maxumè.*

Tibullus pocula sicca dixit pro exhaustis l. 3.
eleg. 6.

*Hæc Amor, et maiora valet. Sed poscite Bacchi*
*Munera, quem vestrum pocula sicca iuuant?*

Et laxiori metaphora siccus dicitur, qui non
diffluit in rem non necessariam. Sic Cicero de
Optimo genere Oratorum. *Vnum enim quum*
*sit genus, id quale sit quærimus. Est autem tale,*
*quale floruit Athenis, ex quo Atticorum ora-*
*torum ipsa vis ignota est, nota gloria: nam alte-*
*rum multi viderunt, vitiosi nihil apud eos, alte-*
*rum pauci, laudabilia esse multa. Est enim vitio-*
*sum in sententia, si quid absurdum, aut alienū,*
*aut non acutum, aut subinsulsum est. in verbis si*
*inquinatum, si abiectum, si non aptum, si durum,*
*si longè petitum. Hæc vitauerunt ferè omnes, qui*
*aut Attici numerantur, aut dicunt Atticè. Sed*
*quatenus valuerunt sani, & sicci dumtaxat ha-*
*beantur, sed ita ut palæstricè spatiari in Xisto iis*
*liceat, non ab Olympiis coronam petant: Qui quū*
*careant omni vitio, non sunt contenti, quasi bona*

*valetudine ad uires, lacertos, sanguinem quęrũt, quandam etiam suauitatem coloris. Eos imitamur, si possumus, sin minus, illos potius, qui incorrupta sanitate sunt, quod est proprium Atticorum, quam eos quorum vitiosa abundantia, quales Asia multos tulit.* Sicci itaque cognati dicti, sobrij è familia Cherestrati, qui tam à vino, & ebrietate, quam ab alijs vitijs abstinebant.

*DEDECVS* est turpitudo, seu ignominia, nata ex re turpiter gesta, vt parricidio, furto, vel eo quod in se, vel suorum aliquo passus sit indigna homine libero, vt verbera, vel stuprum. Cicero 1. Tuscul. *Dolorem existimo maximum malorum omnium. M. Etiamne maius, quam dedecus? A. Non audeo id dicere quidem, & me pudet tam cito de sententia esse deiectum. M. Magis esset pudendum si in sententia perseuerares. Quid enim minus est dignum, quem tibi quidquam peius videri dedecore, flagitio, turpitudine, quæ vt effugias, quis est non modo non recusandus, sed vltro appetendus, subeundus, excipiendus dolor?* Hic autem dedecus, vel accipitur substantiuè pro homine flagitioso, cui ex merito probra debeantur, sicut aliquem appellamus scelus, quia sceleribus est plenus; Et ita dedecus dicitur vndique scatens ignominia. Vel dedecus ponitur hic per modum exclamationis, & cum admiratione, vt si dictum fuisset: O dedecus! an ego obstem siccis cognatis?

*REM patriam*, id est patrimonium, vel hæreditatem à parentibus habitam, sic denominatam à patre, vt patrimonium. Rem patriam

sic

sic describit Lucretius lib.4.v.1116.

*Labitur interea res & vadimonia fiunt*
*Languent officia, atq; ægrotat fama vacillans*
*Vnguenta, & pulchra in pedibus Sicyonia rident.*
*Scilicet & grandes uiridi cum luce smaragdi*
*Auro includuntur, teriturq; Thalassina vestis*
*Assiduè, & Veneris sudorem exercita potat,*
*Et benè parta patrum, fiũt anademata, mitræ*
*Interdum in pallam, & melitensia, Ceaque verrunt.*
*Eximia veste, & victu, conuiuia, ludi*
*Pocula crebra, vnguẽta, coronæ, serta parãtur*
*Nequicquam, quoniam medio de fonte leporũ*
*Surgit amari aliquid, quod in floribus angat*
*Aut quod conscius ipse animus se fortè remordet*
*Desidiosè agere ætatem, lustrisque perire.*
*Aut quod in ambiguo verbũ iaculata reliquit*
*Quod Cupido affixus cordi, viuescit vt ignis*
*Aut nimium iactare oculos, aliumue tueri*
*Quod puteat, in voltuque videt vestigia risus,*
*Atq; in amore mala hæc proprio sũmèq; secũdo*
*Inueniuntur, in aduerso vero atque inopi sunt*
*Prendere, quæ possis oculorum lumine aperto*
*Innumerabilia, vt melius vigilare sit ante*
*Qua docui ratione, cauereque ne inlicitaris*
*Nam vitare plagas in amoris ne laciamur*
*Non ita difficile 'st, quã captum retibus ipsis*
*Exire, & validos Veneris perrumpere nodos.*
*Et tamen implicitus quoq; possis, inq; peditus*
*Effugere infestum, nisi tutè tibi obuius obstes*
*Vt prætermittas animi vitia omnia primum,*
*Tum quæ corpori' sunt eius, quam percupis, ac uis*

Nam

*Nam hoc faciunt homines, plerumque cupidine cæci,*
*Et tribuunt ea, quæ non sunt his cōmoda uere*
*Multi' modis igitur prauas, turpesq; videmus*
*Esse in delicijs, summoq; in honore vigere*
*Atq; alios alij irrident, Veneremque suadent,*
*Vt placent, quoniam fœdo adflictantur amore,*
*Nec sua respiciunt miseri mala maxima sæpe.*

Sic Plautus Trinummo Actu 2. sc. 1.

*blandiloquentulus, harpago, mendax, cuppes, auarus*
*Elegans, despoliator, latebricolarum hominum corruptor*
*Blandus, inops, celati indagator: nam qui ab eo quod amat*
*Quam extemplo sauijs sagittatus percussus est, illico res foras.*
*Labitur, liquitur, Da mihi hoc mel meum, si me amas sodes.*
*Ibi ille cuculus: Ocelle mi fiat, & istud, et amplius si vis dari*
*Dabitur: ibi illa pendentem ferit, iam amplius orat, non sat*
*Id est mali, ni amplius etiam quod ebibit, quod comest,*
*Quod facsat sumpti datur, nox ducitur, familia tota*
*Vestispicæ, unctor, auricustos, flabellifere, sandaligerulæ*
*Cantrices, cistellatrices, nuncij, renuncij, raptores panis, & peni*
*Fit ipse, dum illis comis est, inops amator.*

Et hoc modo Cherestratus ad limen obscœnum, id est in domo meretricis fregerat rem pa-

patriam, hoc est absumpserat patrimonium & bona sibi à parentibus relicta.

*RVMORE*: populi sermone absq; certo autore: vel publica quamuis incerta, & obscura fama de re aliqua. Sic Terent. Andria Actu 1. scena 2.

*Meum gnatum rumor est amare.*
D. *Id populus curat scilicet.*

Sic Horat. 2. ser. sat 6.

*Frigidus à rostris manat per compita rumor*
*Quicumq; obuius est, me consulit: O bone (nā te*
*Scire, Deos quoniam propius cōtingis, oportet)*
*Num quid de Dacis audisti? Nil equidē. Vt tu*
*Semper eris derisor. At omnes Di exagitēt me*
*Si quidquam. Quid? Militibus promissa, Triquetre*
*Prędia Cæsar, an est Itala tellure daturus?*
*Iurantem me scire nihil, mirantur, vt unum*
*Scilicet egregij mortalem, altiq; silenti,*
*Perditur hęc inter misero lux, non sine voti.*

Rumorum meminit Cicero ad Atticum l. 16. epist. 5. *Tuas iā litteras Brutus expectabat, cui quidem ego non nouum attuleram de Tereo Accij, ille Brutum putabat, sed tamen rumoris nescio quid afflauerat, commissione Græcorum frequentiam non fuisse, quæ quidem me minimè fefellit.* Et lib. 12. epist. 9. *Tamquam enim clausa sit Asia, sic nihil perfertur ad nos, præter rumores de oppresso Dolabella satis quidem illos constantes, sed adhuc sine autore.* Rumor ergo est fama sparsa in vulgus sine certo autore, à quo primum manarit; & de hac nunc est sermo.

*SINISTRO.* Sinistrum, quod est ad læuam.

Sic cornua exercitus, dextrum, & sinistrum pluries dicta, etiam à Liuio lib. 3 cap. 61. *Consilio Sabini uires adiuuere, nam quum æquaßent aciem, duo extra ordinem millia, quæ in sinistrũ cornu Romanorum, in ipso certamine impreßionem facerent, tenuere: quæ vbi illatis ex transuerso signis, degrauabant, prope circumuentum cornu, equites duarum legionum sexcenti ferè, ex equis desiliunt, cedentibusque iam suis, prouolant in primum, simulq; & hosti se opponunt, & æquato primum periculo, pudore deinde animos peditum accendunt.* Et quia manus læua, seu sinistra, vt in pluribus est debilior, hinc frequentius quod est debilius, sinistrum nominamus. Sic quia quæ sinistra manu fiunt, minus rectè procedunt, noxia omnia, & ominosa, (nisi in augurijs) sinistra dicuntur. Hinc Virg. 1. Georg. v. 443.

*Namque urget ab alto,*
*Arboribusque, satisq; Notus, pecoriq; sinister.*

Et Eclog. 9. v. 14.

*Quod nisi me quascumque nouas incidere lites*
*Ante sinistra caua monuiſſet ab ilice cornix,*
*Nec tuus hic Mœris, nec uiueret ipse Menalcas.*

Sic Ouid. epist. 21.

*Tunc mea difficili deducta est æquore nauis,*
*Et fuit ad cœptas hora sinistra uias.*

Et quamuis Festus dicat, ideo in auspicijs auem sinistram censeri felicem, quia non impediebat, sed sinebat fieri opus intentum, id tamen non videtur verum, quum impedierit necem Moeris, & Menalcæ, vt refert Virgilius Ecloga 9. Alexander ab Alexandro l. 5. c. 13. docet; Ex cœlo fit augurium, vt si læuum into-

tonuiſſet, quod proſperi euentus putauerunt eſſe: idem ſi fulgur à ſiniſtra in dextram emicuiſſet, diſciplina Etruſca, quia quæ nobis læua ſunt, à Dijs dextra ex parte demitti putantur: id eo fulmen in rebus omnibus lætum auſpicium facit, bonique euentus eſt, ſi ſiniſtra ex parte venit: in auſpicijs enim, quæ ſiniſtra ſunt, benè euentura putantur, tametſi Græci dextra ex parte veniens augurium, auſpicatius putent. Semper cantus oſcinis, quum ſiniſter eſt ſecundiſſimus fuit. Dextrum autem, & ſiniſtrum non ſumitur per reſpectū ad nos, ſed ad Cœli regiones. Vnde idem Alexander lib. 5. cap. 19. ait: Ex notatis regionibus prima antica, poſterior poſtica, tum deſtra, & ſiniſtra dictæ: quamuis Etruſci vates, cœleſtium prodigiorum periti, Cœlum in duodecim partes diuiſerint, anticamque ad Occiduum, quoniam omnis illic inclinat motus: & poſticam ad Orientem: dextras ad Septentrionem, ſiniſtras vero ad meridiem proclinare voluerunt. Rumor ergo ſiniſter, eſt ſermo dedecoroſus, infamiam inducens, vel vulgans, quem Chereſtratus de ſe eſſe ſciebat.

*LIMEN* eſt tranſuerſum in ianua, à limo, ideſt obliquo, quia ingredientibus, & exeuntibus eſt ex tranſuerſo, & obliquo, vnde & agrorum limites iuxta Iſidorum l. 15. cap. 14. appellati antiquo verbo, tranſuerſi, tranſuerſa namque omnia, antiqui, lima dicebant: à quo & limina oſtiorū, per quę foris, & intus itur. Et Agenus Vrbicus: Limites appellati à limo, ideſt antiquo verbo tranſuerſi, nam & limum, cinctum, ideo quod purpuram tranſuerſam ha-

habet: item limina ostiorum postea prosos, & transuersos limites appellauerũt à limitibus, quod per eos agrorum itinera seruantur. Et Festus: limites in agris nunc termini, nunc viç transuersæ. Limus obliquus idest trãsuersus, vnde, & limina. Sic Terentius Hecyra Actu 3. scena 3.

*Mater consequitur, iam ut limen exirem, ad genua adcidit.*

Sed sæpissimè sumitur pro tota ianua. Sic Virg. 2. Æn. v. 453.

*Limen erat, cæcęq; fores & peruius usus*
*Tectorum inter se Priami, postesq; relicti.*

Hic limen est lapis transuersus: statur enim in metaphora scopuli, ad quem fracta erat nauis patrimonij, & per senecdochen intelligitur tota domus meretricia, immo per metonymiam, ipsa Chrysis, quæ Chęrestrati consumpserat patrimonium.

*OBSCOENVM* quidam à cœno deriuant: Festus ab Oscis: dicique tam in malam, quam in bonam partem. Nam Cicero 3. de Legib. ait: *Quando duellum grauius, discordię ciuium escunto, ne amplius sex menses, si Senatus creuerit, idem iuris, quod duo Consules tenunto, isq; aue sinistra dictus, populi magister esto.* At sæpius in malam. Hinc Donatus ad scenam 2. Actus 4. Adelphorum: Obnunciare dicuntur augures, quum aliquid mali ominis, scæuumque viderint. Vnde dictum putet Varro, verba ipsius docebunt LL. lib. 6. cap. vlt. Obscœnum ab eo, quod pueris turpicula res in collo quædam suspenditur, ne quid obsit, bonę scęuæ causa, vnde Scæuola appellatus: ea dicta ab-

ab scęua, ideſt ſiniſtra, quod quæ ſiniſtra ſunt, bona auſpicia exiſtimantur, à quo dicuntur Comitia, aliudue quod fit aue ſiniſtra, ſcæua. Id à Græco eſt, quod hi ſiniſtram vocant σκαιὰν, quare quod dixi ſcęuum, bonum omen eſt, obſcœnum vero turpe: hinc ponitur inauſpicata, & mali ominis apud Virgil. 1. Georg. verſ. 469.

*Tempore quamquam illo, tellus quoq; et æquora Ponti*
*Obſcœnique canes, importunæq; uolucres*
*Signa dabant.*

Et 3 Æneid. verſ. 238.

*Ergo ubi delapſæ ſonitum per curua dedere*
*Littora, dat ſignum ſpecula Miſenus ab alta*
*Ære cauo, inuadunt ſocij, & noua prælia tentant.*
*Obſcęnas pelagi ferro fœdare uolucres.*

Eadem voce ſignificatur res turpis, & dedecoroſa. Sic Horat. lib. 2. epiſt. 1.

*Os tenerum pueri, balbumque poeta figurat*
*Torquet ab obſcęnis iã nunc ſermonibus aurē.*

Et Cicero 5. Tuſcul. *Voluptates illæ ſigillatim ab Epicureis extenuantur, quarum & genera non contemnunt, quærunt tamen copiam: nam & obſcœnas uoluptates, de quibus multa ab illis habetur oratio, faciles, communes, in medio ſitas eſſe dicunt, eaſque ſi natura requirat, nō genere, aut loco, aut ordine, ſed forma, ætate, figura metiendas putant, ab ijſque abſtinere minimè eſſe difficile, ſi aut ualetudo, aut officium, aut fama poſtulet, omninoque genus hoc uoluptatum optabile eſſe, ſi non obſit prodeſſe numquam.* Limen autem, ſeu domus meretricis, vtroque

modo dictum obscœnum, quia & incolebatur à lupa inhonesta, & inhonestante quæcumque ad se pertinentia: & quia erat inauspicatum ob iacturam, quã faciebant illud ingredientes, tum videlicet famæ, tum patrimonij.

*FRANGAM*. Frangere rem patriam dictũ metaphoricè, nam quum per fractionem res debilitetur, vel minuatur, paulatimque consummetur, frangere rem patriam, seu hæreditatem, vel patrimonium, est illud minuere, & ad nihilum ferè redigere: metaphora ducta à naui, quæ si fortè in scopulum impegerit, primum rimas agit, deinde mergitur & à mari absumitur. Sic qui in tale scopulum, hoc est limen meretricium impegit, patrimonij nauem frangit, nam omnia bona ibi absumit. At Cicero aliter verbum trãstulit lib. 1. epist. 9. dicens: *Est uero probandum qui & summa uoluntate cesserit, & egregia animi alacritate abfuerit, neque sanè redire curarit, eum ob id ipsum fractum fuisse animo, in quo quum omnes homines, tum M. illum Scaurum singularem uirum constantia, & grauitate superasse.*

*FORES* propriè sunt illæ domorum ianuæ, quæ ab exteriori parte reuoluuntur, quum patefiunt, nam quæ introrsum impelluntur, valuæ dicuntur iuxta Seruium ad 1. Æneidos scribentem: Fores propriè dicuntur, quæ foras aperiũtur, sicut apud veteres fuit. Valuæ autem sunt, vt dicit Varro, quæ reuoluuntur, & se velant. Ianua autem est primus domus ingressus, dicta, quia Iano consacratum est omne principium. Cætera intra

ia

ianuam, ostia vocantur generaliter, siue valuæ sint, siue fores, licet vsus ista corruperit. Isidorus lib. 14. cap. 7. valuas dici vult quasi voluas, quia introrsum reuoluuntur, erant enim plicatiles, seque ipsas velabant. Sed iam vsus omnia confudit. Horat. Epodo ode 11.

*Ferebar incerto pede*
*Ad non amicos heu mihi postes, & heu*
*Limina dura, quibus*
*Lumbos, & infregi latus.*

Sic Ouid. 1. Amorum eleg 4.

*Nocte uir includet, lacrymis ego mæstus obortis*
*Qua licet, ad sæuas prosequar usq; fores.*

Et ibidem eleg. 6.

*Ianitor indigne dura religate catena*
*Difficilem moto cardine, pande forem.*

Et Horat. 1. serm. sat. 2.

*Villius in Fausta Syllæ gener, hoc miser uno*
*Nomine deceptus, pœnas dedit usq; superq;*
*Quam satis est pugnis cæsus, ferroq; petitus*
*Exclusus fore, quum Longarenus foret intus.*

Sic fores promiscuè pro ianuis, ostijs, valuisq; ponuntur. Et hic denominantur madidæ, madebant enim, vel immundicijs meretricum, vel lacrymis amatorum, vel vino vnguentisq; ab his effuso. Sic Plau. Curcul. Actu 1. sc. 1.

*Agite, bibite festiuæ fores*
*Potate, fite mihi uolentes propitiæ.*

Vnde quum eius vini odore excitata fuisset læna, affatimque bibisset, amatori amicam produxit. Sic Lucretius l. 4. v. 1170.

*At lacrumans exclusus amator, limina sæpe*
*Floribus, & sertis operit, postesq superbos*
*Vnguit amaracino, & foribus miser oscula figit..*

Sic

Plautus Amphitruone Actu 1. scena 1.
*Quo ambolas tu, qui Volcanum in cornu conclusum geris?*
Hanc facem, laterna abditam, nunc facem extinctam appellat.

*CANTO*, more amatorum ante fores eromenarum, vt illæ oblectatæ, eorum vicissim desiderijs condescendant, eosque introducant. Quẽ cantãdi morẽ innuit Ouid. dicẽs l. 5. Fast:
*Ebrius ad durum formosæ limen amicę*
*Cantat, habent vnctę mollia serta comæ.*
Et Plaut. Curcul. Actu 1. sc. 2.
*Pessuli, heus pessuli, uos saluto lubens,*
*Vos amo, vos volo, vos peto, atque obsecro.*
*Gerite amanti mihi morem amœnissimi*
*Si te causa mea Lydi Barbari*
*Subsilite obsecro, & mittite isthanc foras*
*Quę mihi misero amanti ebibit sanguinem.*
Idẽq; voluit Horat. quẽ videre potes 1. ser. sat. 4

*EVGE puer, sapias. Dijs depellentibus agnam percute.* Verba sunt Daui commendantis Cherestrati propositum recedẽdi ab amore Chrysidis, eumque in tali voluntate confirmantis, exortantisque ad sacrificandum Dijs depellentibus furorem amatorium, pro plena libertate. *Euge* interiectio est assentientis, & gratulantis, significans, bene gestum, nam eu, est bonum, vel bene, ge vero per apocopen, est, gestum, siue actum, vnde coniungendo eu, & ge, erit idem ac bene gestum, quod optimè conuenit congratulanti, & assentienti. Sic Plautus Epidico Actu 1. sc. 1.
*Eugepe*
*Corpulentior videre, atque habitior.*

*PVER*, vt dictum ad sat. 2. v. 31. tria significat, etatem infantilem, conditionem seruilem, & sexum oppositum puellari, idest virilem. Et hoc tertio modo nunc sumitur, nam Cherestratus non erat infans, nec seruus, benè vero sexus virilis. Sic Ophni, & Phinees filij Heli, licet vxorati, pueri appellātur 1. Regum 2. *Eratque peccatum puerorum grande nimis coram Domino*. Et eodem lib. 1. cap. 21. quum sermo esset de militibus, dicitur *Pueris condixi in illum, & illum locum*. Et ibidem; *Si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus*. Sic 2. Regum cap. 18. Absalom puer vocatur, vnde Dauid ait: *Seruate mihi puerum Absalom*. Et ita nunc Cherestratus vocatur puer, quia sexus virilis. Sapias vero idem valet, ac, si bene cognoueris, vel si prudens fueris. Sic Horat. 1. Carminum ode 11.

*Quæ nunc oppositis debilitat pumicibus mare*
*Tyrrhenū: sapias, vina liques, & spatia breui.*

Et Ouid. 1. Amorum eleg. 4.

*Quod tibi miscuerit, sapias, bibat ipse iubeto.*

Et ita hic:

*DIIS depellentibus*. Depellere est auertere, abigere, & auerruncare. Sic Varro de RR. lib. 1. cap. 2. *Quum depulsi sunt agni à matribus, adhibenda diligentia est, ne desiderio senescant*. Et Cicero 3. de Legibus: *Quid iam de Saturnini supplicio reliquisque dicam, quos ne depellere quidem à se sine ferro potuit Respub.* Dij autem depellentes sunt, quos Auerruncos quasi malorum auerruncatores, seu depulsores appellant, vnde Gellius ait lib. 5. cap. 12. *In istis autem Dijs, quos placari oportet, vti ma-*

*la*

*la à nobis, vel à frugibus natis amoueantur, Auruncus quoque habetur.* Quod autem auerruncare sit auertere, colligitur ex illo Ciceronis ad Atticum lib 9 epist. 2 *Non esse me vna cum Pompeio, gaudes, ac proponis, quam sit turpe me adesse, quum quid de illo detrahatur, nefas esse approbare. Certe. Contra igitur? Dij inquis auerruncent* Et ex illo Liuij l. 8. c. 6. *In quiete vtrique Consuli eadem dicitur visa species viri maioris, quam pro humano habitu, augustiorisq; dicentis, ex vna acie Imperatorē, ex altera exercitū Diis Manibus matriq; Terræ deberi. Vtrius exercitus Imperator, legiones hostiū, superq; eas se deuouisset, eius populi partisque victoriam fore Hos vbi nocturnos visus inter se Consules contulerunt, placuit auerruncandæ Deum iræ, victimas cædi.* Hinc Varro lib. 6. LL. A vertendo, auertendo, auerruncare, vt Deus qui ijs rebus præest Auerruncus: itaque ab eo precari solent, vt pericula auertat Et iuxta diuersa malorum genera, diuersificabantur Dij auerrunci ea depellentes. Inde aduersus sterilitatem Terræ, pro plantarum fęcunditate, Cereri, Baccho, Floræ, & alijs sacra fiebant. Aduersus maris tempestates procellasq; Nereo, Neptuno, Thetidi, Castori, atque Polluci sacrificabant. Contra bellorum insultus Bellonæ, Marti, & Herculi. In febribus, pestilentijs, languoribusque, Apollinem inuocabant, & Æsculapium. Et ita vt plures erant necessitates, plures quoq; Dij qui eas auerruncarent. Nec hostias immolabant ijs tātum Dijs, quos natura credebant beneficos, sed illis etiam, quos sciebant aliud, quam mala causare non

posse, vt Porus, Penia, Febris, Pallor, Tempestas, Furiæ, & monstra similia, in quibus stultè Diuinitatem esse credebant: istis inquam victimas cædebant, tantum vt à se longè recederent, ne ab eis infortunio mactarentur. Hinc Virgilius 3. Æneidos versu 259. refert sacrificatum Harpyjs ab Anchise, & Troianis ne malo afficerentur minitato à Celeno vna ex illis. Sic etiam Tempestatibus caprum, vel agnam immolandam monet Horatius Epodo ode 10. Immo & Eumenidibus, quæ sunt eædem, ac Diræ, siue Furiæ, earumque matri, nigram immolandam agnam, monet Virgilius 6 Æneidos versu 149. Dijs namque infernalibus, Diti, siue Plutoni, Proserpinæ, Manibus, & alijs perpetuam noctem incolentibus, nigræ offerebantur hostiæ, vt colligimus ex Horatio 1. serm. sat. 8. Tibullo lib. 3. eleg. 5. & alijs: Cœlestibus vero, Ioui, Iunoni, Apollini, & alijs, albæ, vt habemus ex Iuuenale sat. 12. versu 3. Ouidio 4. Fastorum, & alijs. Depellebant autem mala quidam quidem Deorum directè, adhibentes remedia, quibus malum expelleretur, nempe applicando passiuis, actiua naturalia ipsis benè nota: alij vero, & quidem frequentius, cessando ab illatione mali ab ipsismet causato, quod erat indirectè conferre sanitatem. Et ita nullus ferè erat Deorum, qui nō aliquo ex his modis foret Auerruncus. Sed tamen malum ab eorum aliquo illatum, nequibat ab alio expelli, alioquin, (nisi sit nefas miscere sacra profanis) *si Satan*, vt Lucæ 11. dicitur, *in seipso diuisus est, quomodo stabit regnum eius?* In cuius rei signum,

quum

quum Iuno Calliston pellicem in vrsam vertisset, Iuppiter qui eam à se imminutam, deperibat, in pristinam restituisset formam: sed quum id facere non posset, in pœnæ solatium, Cœleste signum effecit, vt refert Ouidius 2. Metamorph. Et lib. 1. eiusdem operis docet, nō prius Ius puella ab eodem Ioue compressa &, timore superuenientis Iunonis in vaccam mutata, priori est formæ restituta, quam Iunone placata per iusiurandum, sibi post illam cum ea carnale non futurum commercium: Nam sicut eadem terra noxias, & salutares germinat herbas, & sicut eadem Achillis hasta, vulnus ferebat, & medicinam, ita idem Deus, qui malum intulerat, depellere debebat: nec alteri id licere, docuit his verbis Ouid. 3. Metamorph.

*At pater Omnipotens (neq; enim licet irrita cuiquam*
*Facta Dei fecisse Deo) pro lumine adempto*
*Scire futura dedit, pœnamq; leuauit honore.*

Et loquitur de Tiresia, quem Iuno, in controuersia habita cum Ioue, pro hoc sententiante, luminibus priuauit: Iuppiter vero non valens irritam facere iniquam vxoris vindictam, hanc compensauit honore, dans Tiresiæ futurorum pręscientiam. Ad idem faciunt verba Ouidij 1. de Remedio amoris dicentis:

*Discite sanari, per quem didicistis amare*
*Vna manus vobis, vulnus, opemque feret*
*Terra salutiferas herbas, eademq; nocentes*
*Nutrit, & vrticæ proxima sæpe rosa est*
*Vulnus in Herculeo, quæ quondã feceras hoste,*
*Vulneris auxilium Pelias hasta tulit.*

Dij ergo depellentes, siue Auerrunci, sunt, qui mala siue directè, siue indirectè expellunt, nec potest eorum quispiam depellere malum ab alio illatum. Hinc Ioannes Baptista Plautius hic, reprehendit Commentatores Persij, quod locum istum inter obscuriores merito numerandum, conniuentibus pertransierint oculis, nisi quod quidam Deos depellentes dixerint esse Anterota: quam intelligentiã ipse respuit, eo vsus argumento, quod Anteros sit vnus Deorũ, hic vero in numero multitudinis dicatur, Dijs depellentibus agnam percute. Quapropter voluit ipse, Deos depellentes esse Castorem, & Pollucẽ. Sed vt non nego hos inter beneficos, & malorum depulsores numerari, ita contendo eosdem specialiter tempestatum esse auerruncatores, vel, etiam si aliorum malorum, non tamen furoris amatorii, de quo nunc est sermo, & qui nihil ad illos. Ideo sentio: Incentorem amoris, seu furoris amatorii esse Veneris filium, qui Cupido dicitur, cui etiam suppetias fert ipsa Venus mater, quæ pulchritudinis, & gratiarum Dea, filii sagittas nonnihil acuit, incenditque faces: quapropter ad hos recurrendum, hisque sacrificandum pro amore curando, saltem indirectè, hoc est vt cessarent ab immittendo amatorio furore. Hinc eis apud Romanos, congruentibus appellationibus, erant templa constituta, Cupidini quidem prope portam Collinam, vbi erat templum Amoris Læthæi, qui amoris, siue obiecti amati faceret obliuisci, & ita amatorium, à se immissum, curaret furorem. De quo templo, eiusque causa, Sic Ouid.

2. de Remedio Amoris:

*Est prope Collinam templum venerabile portã,*
*Imposuit templo nomina Celsus Eryx.*
*Est illic Lætheus amor, qui pectora sanat*
*Inq; suas gelidam lampadas addit aquam.*
*Illic & iuuenes notis obliuia poscunt,*
*Et si quę est duro capta puella uiro.*

Idq; conuenit ei, quod communiter asseritur, Amorem, siue Cupidinem, nedum acutas, & auratas, sed etiam obtusas, & plumbeas habere sagittas, & illis quidem amorem inducere, his vero illum fugare, vt cecinit Ouidius 1. Metamorph. dicens:

*Impiger umbrosa Parnassi constitit arce,*
*Eque sagittifera prompsit duo tela pharetra*
*Diuersorũ operũ, fugat hoc, facit illud amorẽ.*
*Quod facit, auratũ est, & cuspide fulget acuta:*
*Quod fugat obtusum est, & habet sub arundine plumbum.*

Ideoque merito Cupido iste inter Deos depellentes furorem amatorium, de quo hic est sermo, debet numerari. Venus etiam idem præstat, eadem ratione, vnde & illi Romæ templa sub cognomine Verticordiæ erant dicata, eo quod corda ab amore verteret in libertatem. Sic Ouid. 4. Fastorum:

*Romę pudicitia proauorum tempore lapsa est.*
*Cumanam ueteres consuluistis anum*
*Tẽpla iubet Veneri fieri, quibus ordine factis*
*Inde Venus uerso nomine corda tenet.*

Congruit huic interpretationi de identitate substantiæ Deorum mala inferentium, & depellentium id, quod refert Pausanias, nempe quod quum Oresti apparuissent Eumenides

atræ, furorem insaniamque in illum immiserunt: sed quum eædem illi candidæ se visendas exhibuissent, eumdem à furore curauerunt: vnde Orestes, in accepti beneficii memoriam, albis Eumenidibus templum constituit, vbi eas tales conspexit, septimo stadio ab Vrbe Megalopoli Messaniam versus. Si ergo tam Cupido, quam Venus, amatorium immittere, & expellere possunt furorem, dum Dauus hic Cherestratum monet, vt agnam Diis depellentibus talem furorem sacrificet, Veneri vtique, atque Cupidini immolandam censet: non quidem vnam ambobus, sed singul s singulā: ait namque Alexander ab Alexandro lib. 4. cap. 17. Vt suę hostiæ Diis dicatæ sint, & superis albę, inferis vero nigræ immolentur: neque duobus Diis vnam hostiam mactari, quia cui Deo res Diuina fieret, facile non dignoscerent, in omni sacrificio vulgo seruatum est.

*SED censen' plorauit Daue relicta?* Ait Cherestratus miseratus Chrysidis à se relictæ dolorem, etsi indignis mōdis ab ea habitus. Itaque interrogat seruum, num putet illam lacrymas effusuram eo quod ab ipso relinqueretur. Vnde nec tunc liber erat ab amore, nec liber esse volebat, alioquin Ouidii præceptum erat 2. de Remedio amoris:

*Non ipsam satis est destruisse tibi,*
*Et soror et mater ualeant, & conscia nutrix,*
*Et quisquis dominę pars erit ulla tuæ,*
*Nec ueniat seruus, nec flens ancillula fictū,*
*Suppliciter Dominæ nomine dicat. Aue.*
*Nec, si scire uoles, quid agat tamē ipse rogabis*
*Perfer, erit lucro lingua retenta tuo*

Tu

*Tu quoque qui causam finito reddis amori,*
*Deq; tua Domina multa querenda refers*
*Parce queri, melius sic te ulciscere tacendo,*
*Vt desideriis effluat illa tuis,*
*Et malim taceas, quam te desisse loquaris,*
*Qui nimium multis. Non amo, dicit, amat.*

Et multo magis Cherestratus adhuc amabat, qui cessare non valens à sermone de Chryside, vltro interrogabat, num illa fleuisset à se relicta. Sic Phædria apud Terentium Eunucho Actu 1. scena 1.

*Quid igitur faciam? non eam? ne nunc quidem*
*Quũ accersor ultro? an potius ita me comparẽ*
*Non perpeti meretricum contumelias?*
*Exclusit? Reuocat: Redeam? non si me obsecret.*

Cui Parmeno seruus, vt Dauus hic, respondet:

*Siquidem herclè possis, nil prius, neq; fortius*
*Verum si incipies, neq; pertendes nauiter,*
*Atq; ubi pati non poteris, quum nemo expetet*
*Infecta pace, ultro ad eam uenies, indicans*
*Te amare, & ferre non posse, actum est ilicet*
*Periisti: eludet ubi te uictum senserit.*
*Proin tu, dum est tempus, etiã atq; etiã cogita*
*Here, quę res in se neq; consilium, neq; modũ*
*Habet ullum, eam consilio regere non potes.*
*In amore hæc omnia insunt uitia, iniurię,*
*Suspiciones, inimicitiæ, inducię,*
*Bellum, pax rursum. Incerta hæc si tu postulas*
*Ratione certa facere, nihilo plus agas,*
*Quam si des operam, ut cum ratione insanias,*
*Et quod nunc tute tecum iratus cogitas*
*Egone illam? quæ illum? quę me? quæ non? sine modo;*

*Mori me malim sentiat qui uir siem*
*Hæc uerba me hercule una falsa lacrumula*
*Quam, oculos terendo miserè, uix ui expresserit*
*Restinguet. & te ultro accusabis, & dabis*
*Vltro supplicium .*

Falso tamen Parmeno hic existimat non omnē amatorem posse (esto cum aliqua difficultate si habitum contraxit) si velit, ab amore resilire, dummodo enim præcepta, nedum Christiana, & Euangelica, sed et philosophica, & ipsius Ouidii, seruet, potest. Nam Ouid. sic ait 2. de Remedio Amoris:

*Te quoq; fallet amor, dū sit tibi finis amandi*
*Propositis frænis sæpe repugnat equus*
*Vtilitas lateat, quod non profitebere, fiet*
*Quę nimis apparent retia, uitat auis.*
*Nec tibi tam placeat, quod se cōtemnere possit*
*Sume animos, animis ut cedat illa tuis.*
*Ianua fortè patet? quamuis reuocabere, transi*
*Est data nox? dubita nocte uenire data.*
*Posse pati facilè est tibi, ni patientia desit*
*Protinus ex facili gaudia ferre licet .*

Decipitur autem Cherestratus, amorem conseruans, misericordiæ pallio tectum, quasi ipse Chrysidem non amaret, sed misereretur eius, dolentis quod eam reliquisset. Verum nullus (nec charitatis obtentu) ad eam accedere debet, cum qua peccati habuit consuetudinem, ne linum fumigans iterum accendatur, ipseque arctioribus vinculis irretiatur. Nec vlla charitas maior, quam seipsum à peccato liberum custodire, quod non facit, qui eius periculo se exponit.

*NVGARIS ? solea puer obiurgabere rubra .*

Ait

Ait Dauus, nunc demum intelligens Cherestratum nolle se ab amore Chrysidis expedire, ideoque ei mala contumeliasque prædicit ab ea patiendas. Soleam autem quidam accipiunt pro loro, quo seruorum malæ frugis scapulæ, tergora, & nuda cædebātur corpora. Dictamque rubram, vel ob ipsius lori, & corij rubedinē, vel quia sæpe tingebatur sanguine elicito è corpore serui, quem cædebat. Placeret hæc siue metonymia effecti, siue senecdoche materiæ, vel speciei, si verba forent Cherestrati, prohibentis, ne Dauus sibi obluctaretur. At quia verba sunt Daui, solea propriè est accipienda: ea quid sit, colligitur ex Gellio dicente lib. 13. cap. 21. [ Titius Castrucius Rhetoricæ Disciplinæ Doctor, qui habuit Romæ locum principem declamandi, & docendi, summa vir autoritate, grauitateque, & à D. Adriano in mores, atque litteras spectatus, quum me præsente, (vsus sum enim eo magistro) discipulos quosdam suos Senatores vidisset, die feriato, tunicis & lacernis indutos, & Gallicis calceatos: Equidem inquit, maluissem vos togatos esse. Pigitum est cinctos saltem, & penulatos. Sed si hic vester huiuscemodi vestitus, de multo iam vsu ignoscibilis est, soleatos tamen vos Populi Rom. Senatores, per vrbis vias ingredi, nequaquam decorum est, non herclè vobis minus, quam illi tum fuit, cui hoc M. Tullius pro turpi crimine obiectauit. Hęc me audiente, Castrucius, & quædam alia ad eam rem conducentia Romanè, & seuerè dixit: Plerique autem ex ijs, qui audierant, requirēbant, quur soleatos di-

dixisset, qui Gallicas, nõ soleas haberent? Sed Castrutius profectò scitè, atque incorruptè locutus est: Omnia enim fermè id genus, quibus plantarum calces tantum infimè teguntur, cœtera prope nuda, & teretibus habenis iuncta sunt, soleas dixerunt, nonnumquam voce Græca crepidulas: Gallicas autem, verbum esse, opinor, nouum, non diu ante ętatem M. Ciceronis vsurpari cœptum, itaque ab eo ipso positum est in secunda Antonianarum: *cum Gallicis*, inquit, *& lacerna cucurristi*. Neque in ea significatione id apud quemquam alium scriptum lego, grauioris dumtaxat autoritatis scriptorem, sed vt dixi, crepidas, & crepidulas, prima syllaba correpta, id genus calceamentum appellauerunt, quod Græci *κρηπῖδας* vocant.] Itaque solea hoc à calceis differt, quod hi calcem totum muniant, vnde & nomen habent, solea vero solum tantum, hoc est calcis, vel pedis plantam tegat, cuius supernis partibus, quibusdam annectitur ansulis, sed per senecdochen speciei ponitur pro quacumque calceamenti specie. Soleę meminit Plautus Truculento Actu 2. sc. 4.

*Cedo soleas mihi.*

Et *Deme, deme soleas cedo.*

Hæ autem soleæ pro mulieribus fiebant auratæ, gemmis, margaritisq; compunctæ, vel saltem purpura ornatæ, aut alioquin rubri coloris, & de talibus nunc loquitur.

*OBIVRGABERE*. Obiurgare verbum tam neutrum, quam deponens, est arguere, reprehendere, exprobrare, increpare, &, cum quadam acrimonia, castigare, in quo differt à mo-

nere

nere: monemus enim alium ne quid turpe committat, sed ob turpe factum obiurgamus. Vsus eo Plaut. Trinummo Actu 3. sc. 2.

*Sed tu obiurgans me, à peccatis rapis deteriorem in viam.*

Et Terentius Andria Actu 1. scena 1.

*Nam si illum obiurgas, vitæ qui auxiliũ tulit*
*Quid facies illi, qui dederit damnũ, aut malũ?*

Verum hic obiurgatio futura prædicitur, non tam verbis, quam verberibus, vt de verberum obiurgatione ait Seneca de Ira lib. 3. cap. 12. *Non potuit Plato impetrare à se tempus, quum seruo suo irasceretur, sed ponere illum statim tunicam, & prębere scapulas verberibus iussit, sua manu ipse percussurus. Postquam intellexit irasci se, sicut sustulerat manum, suspensam detinebat, & stabat percussuro similis. Interrogatus deinde ab amico, qui fortè interuenerat, quid ageret? Exigo inquit pœnas ab homine iracundo. Velut stupens, gestum illud sæuituri, deformem sapienti viro, seruabat, oblitus iam serui, quia alium quem potius castigaret, inuenerat. Itaque abstulit sibi in suos potestatem & ob peccatum quoddam commotior, Tu, inquit, Speusippe, seruulum istum verberibus obiurga, nam ego irascor.* Ita hæc obiurgatio per rubram soleam futura, verberatio erat. Sic Terent. Eunucho Actu 5. scena 8.

*Qui minus huic, quam Hercules seruiuit Omphale Gn. Exemplum placet*
*Vtinã tibi commitigari videam sãdalio caput*

Omphale namque Herculem, vt aliæ meretrices suos amatores, nedum spuere, & colaphis cædere solitæ, vt passim autores tam propha-

ni,

ni, quam sacri, & inter hos Chrysostomus in Matthæum hom.64. deplorant, sed etiam sandalijs, virgis, fustibusque illorum capita, scapula, & terga commitigare. Quod quam sit graue, ei maximè qui se virum, & liberum esse meminerit, arguitur ex historia relata à Plutarcho, quæstionum Græcarum ca.12, mulieris quę ob talem sibi a Rege factam contumeliam, laquo sibi ipsa vitam ademit. Sed quod hic ait de obiurgatione, Iuuenalis pulsationē posuit, dicens satyra 6. versu 610.

*Hic magicos adfert cantus, hic Thessala vēdit*
*Philtra, quibus valeat mētem mutare mariti,*
*Et solea pulsare nates.*

*NE trepidare velis, atq; arctos rodere casses, Nunc ferus, & violens, at si vocet, haud mora dicas.* Trepidare propriè est adeò timore concuti, vt subsistere, & pedibus stare nequeas. Accipitur tamen sæpe pro simpliciter timere, vel vereri, aut dubitare. Sic Seneca de Ira lib.3. cap.16. *Quum diu quidem nihil tam intolerabile nobis videtur, vt nos expellat è vita, iram in quocumque erimus statu remoueamus; perniciosa est seruientibus, omnis enim indignatio in tormentum suum proficit, & imperia grauiora sentit, quo contumacius patitur, sic laqueos fera, dum iactat, adstringit, sic aues, viscum, dum trepidantes excutiunt, plumis omnibus illinunt.* Sic Liuius lib.9 cap 45. *Æquorum exercitus (vt qui suo nomine per multos annos imbelles egissent) tumultuario similis, sine ducibus certis, sine imperio, trepidare, alij exeundum in aciem, alij castra tuenda censent, mouet plerosque vastatio futura agrorum, ac deinceps cum leui-*

*bus*

*bus præsidys urbium relictarum excidia.* Sic Cicero pro Rege Deiotaro: *Obsecro te C. Cæsar, repete temporis illius memoriam, pone illum ante oculos diem, vultus hominum te intuentium, atque admirantium, recordare, num quæ trepidatio? num qui tumultus? num quid nisi moderatè, nisi quietè, nisi ex hominis grauissimi, & sanctissimi disciplina?* Et Propertius l.2 eleg 3.

*Ac veluti primo taurus detrectat aratra*
*Mox venit assueto mollis ad arua iugo.*
*Sic primo iuuenes trepidant in amore feroces*
*Dehinc domiti post hæc æqua, et iniqua ferũt.*

Et ita hic trepidare est dubitare, ideoque conari ad vinculorum effractionem, vt consequantur libertatem.

*CASSIS* cum incremento in obliquo, est galea. Sic Cæsar 7 de bello Gallico: *Hac re cognita, Cæsar mittit complures equitum turmas eò de media nocte: ijs imperat, vt paulo tumultuosius omnibus in locis peruagarentur, prima luce magnum numerum impedimentorum ex castris detrahi, muliones cum cassidibus, equitum specie ac simulatione, collibus circumuehi iubet.* Sed nunc non est hæc. Cassis vero sine incremento est rete vænatorium, ita dictum, iuxta Seruium ad Virgilij verba 3. Georg. vers. 371. *Non cassibus vllis*, dictos ait à vanitate, nam ait: Cassibus, idest retibus: hinc est quod & in cassum dicimus, idest sine causa, quasi sine cassibus, sine quibus venatio est inanis. Et idem ad 2. Æneidos inquit Cassum, priuatum, vacuum, & cassum est, quasi quassum, & nihil continens, nam & vas quassum, quod humorē in se non continet, & est vacuum, vnde & re-

tia, casses, quia mul um in se vacui habent. Nonius vero potius cassum à cassibus dicit deriuari, Cassum veteres inane posuerunt, & arbitrandum est eius verbi proprietatem magis ab arenearum cassibus dictũ, quod sint leues, & nullius ponderis, non, vt quibusdam videtur, quasi quassum. Vndecumque sit, certè casses raræ sunt, vnde & retia à raritate dicũtur, & esse cassum, vacuitatem, seu inanitatem importat, iuxta illud Plauti Aulularia Actu 2 scena 2.

*Virginem habeo grandem, dote cassam, atque inlocabilem.*

Vbi cassa, est nihil habens, & vacua. Hic autẽ casses sunt retia, & per senecdochen speciei, quicumque laquei, quibus venatores feras capiunt, in quos si quod animal incideret, arrodere conatur, vt fugiat: & hinc ducitur metaphora de laqueis seruitutis vitiorum. Denominantur autem casses arcti, sunt enim verè angusti, arctantes, constringentesque feras in ipsos incidentes.

*RODERE* propriè est, quidquam dentibus comminuere, vel ab aliquo integro partem detrahere, quod præstant feræ, quæ cassibus, aut laqueis captæ, illos dentibus demoliri nituntur, vt fugiant. Et videtur proprium murium, continuè aliquid dentibus demolientiũ. Sic Cicero 2. de Diuinatione: *Ante Marsicum bellum, quod Clypeos Lanuuy, vt à te est dictum, mures rosissent, maximum id portentum haruspices esse dixerunt, quasi vero quidquam intersit, mures diem, noctemque aliquid rodentes, scuta an cribra corroserint.* Et metaphoricè transfertur

tur ad eos qui,obloquendo, proximorum minuunt famam,vnde legimus Augustinum suæ mensæ superscripsisse:

*Quisquis amat dictis]absentum rodere vitam,*
*Hanc mensam vetitam nouerit esse sibi.*

Hic autem tam rodere,quam casses sumuntur metaphoricè pro amore meretricio,quoCherestratus,erat illaqueatus,& à quo sese expediri velle videri cupiebat. Nam sicut amor meretricius metaphoricè dicitur cassis, ita impropriè dictus est Cherestratus rodere casses,quum conaretur ab illo se amore expedire : sed non erat verè determinatus ad eam eiurandam seruitutem,vnde Dauus ait: Nunc ferus,& violens,at si vocet,Haud mora dicas.

*QVIDNAM igitur faciam ? ne nunc quum arcessor,& vltro supplicet,accedam.* Verba sunt Cherestrati consiliũ à Dauo petentis quid sibi faciendum censeret, si Chrysis, quę eum excluserat, sponte, suppliciterque eum reuocaret. Iam vidimus quid Terentius in re consimili dixerit, nuuc accipe quid Horatius senserit 2.ser.sat.3.

*Amator*
*Exclusus,qui distat,agis vbi secum,eat,an nõ*
*Qui rediturus erat,non arcessitus,& hæret*
*Inuitis foribus,nec nunc quum me vocet vltro*
*Accedam? an potius mediter finire dolores?*
*Exclusit? reuocat.Redeam?non si obsecret.Ecce*
*Seruus non paullo sapientior. O here,quæ res,*
*Nec modum habet,neque consilium, ratione modoque*
*Tractari non vult.In amore sunt mala Bellũ,*
*Pax rursum;hec si quis tempestatis prope ritu*
*Mo-*

*Mobilia, & cæca, fluitantia sorte, laboret*
*Reddere certa, sibi nihilo plus explicet, ac si*
*Insanire paret certa ratione modoque.*

Vltro autem, est idem ac sponte, seu nullis precedentibus meritis, aut precibus. Sic Terentius Adelphis Actu 4. scena 3.

*Nisi in illo me credidisti esse hominum numero, qui ita putant*
*Sibi fieri iniuriam, vltro si qui forte ipsi expostulant,*
*Et vltro accusant*

Sed quandoq; dicitur fieri vltro, etiam si preces, pretiũ, vel munera præcesserint, si quod datur, maius est, quam speratum, aut petitum, vt quum Sinon, vitam tantum deprecatus fuisset, Priami iussu etiam à vinculis fuit solutus 2. Æneid. v. 145.

*His lacrymis vitã damus, et miserescimus vltro.*
*Ipse viro primus manicas, atque arcta leuari*
*Vincla iubet Priamus.*

Et à fortiori vltro arcessitus est iste, quum nullæ præcessissent preces, vt reuocaretur pro amicitia, & pace redintegranda.

*SI totus, & integer illinc exieris. Nunc nũc, hic, hic, quem querimus, hic est, non in festuca lictor, quem iactat ineptus.* Verba priora sunt Daui, respondentis interrogationi Cherestrati, qui à Dauo consilium quæsierat, quid sibi faciendum putaret, si Chrysis, quæ eum excluserat, iterum reuocaret, & vltro supplicaret pro amicitiæ redintegratione. Consuluit Dauus non esse redeundum, si tamen totus, & integer elapsus è domo meretricis fuisset. Id merito Dauus censebat, alioquin periculum erat, ne illius siue lacrymis siue blanditijs,

ite-

iterum caperetur. Totus autem & integer ille dicitur, cui nulla pars deest. Cherestrati autem, vt cuiuslibet animantis, duæ erant partes essentiales physicæ, anima scilicet, & corpus, de quibus nunc Dauus intelligit, vult enim dicere, si tu Cherestrate è domo meretricis existi nedum corpore, sed etiam animo, itaut cor non reliqueris apud illam, certe ad ipsam reuerti, non expedit, quod quidem, iam liber, præstare poteris. Nam quum amantis anima magis sit, vbi amat, quam vbi animat, (ex quo amor extasim facit,) vtique si Cherestratus perseuerabat adhuc in amore Chrysidis, vt melior ipsius pars, idest anima apud illam foret, nec totus, nec integer ex illa emigrauerat, immo facilè, quasi per catenam reuocari poterat pars, quæ abscesserat, nempe corpus, nec erat quur deliberaret de eo, quod non erat opere impleturus, quia vitio inolitæ consuetudinis, illius seruituti adstrictus erat. Sin autem amare desierat, & animum, ac affectum à domo meretricis ad se reuocauerat, quum totus & integer inde exijsset, non expediebat ad illam iterum reuerti, quamuis illa eum arcessiret, & vltro supplicaret, si adepta vellet libertate gaudere, nec exponere se periculo relabendi in eamdem, immo duriorē seruitutem. Hæc nostra expositio manifestior erit sequentibus lectionem Casauboni, quæ sic habet. Si totus, & integer illinc exieris, nec nunc: Quæ lectio licet antecedentibus, & consequētibus consonet, quia tamen in nullo alio (excepto Farnabio; qui nec latum vnguē vnquam à Casaubono discedit) reperitur, nec

do-

docet, vnde nouam hanc habuerit lectionem, ab antiqua non recedendum.

*NVNC nunc hic hic, quem quærimus hic est.* Verba poetæ exultantis ob inuentionem rei diu quæsitæ, ideſt hominis corpore, & animo liberi. Interuenit in his verbis duplex epizeuxæ, ſeù iteratio, & vehemens repetitio eiuſdẽ verbi, vna in voce Nunc, nunc, alia in articulo demonſtratiuo Hic, ter replicato. Quod ſchema facit ad manifeſtandam lætitiam ob inuẽtionem rei diù deſideratæ, anxièque quæſitæ. Supra namque diù quęſitum fuerat, quis dici poſſet verè liber, & characteribus hic expreſſis, inuentus eſt ille, qui totus, & integer è domo meretricis, vel quocumq; vitio exijſſet. Letitiam autem hanc dicimus fuiſſe poetæ potius, quam Daui: non enim Dauus, ſed poeta diſputauerat cum Dama de vera libertate, in quo conſiſteret: & fortè magis gaudet, eo quod ſententia Daui, ſerui, ſed ſapientis, damnatur ſtulta opinio Damę liberti. Interuenit etiam hic Apoſiopeſis, ideſt præteritio, omittitur enim concluſio conſultationis, ſeu explicatio eius, quod faciendum fuerat Chereſtrato, ſi totus, & integer exierat è domo Chryſidis. Schema frequẽs poetis, Oratoribus, & ſacris. Ouid. epiſt. 13.

*Me tibi venturam comitem, quocumq; vocaris,*
*Siue, quod heu timeo, ſiue ſuperſtes eris.*

Sic Cicero lib. 12. epiſt. *Res quum hæc ſcribebam, erat ad extremum deducta diſcrimen. Brutus enim Mutinæ vix iam ſuſtinebat. Qui ſi conſeruatus erit, vicimus: ſin, quod Dij omen auertant, omnis omnium curſus eſt ad vos.* Et Lucæ

cap.

cap.13. *Dimitte illam, & hoc anno vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora; & siquidem fecerit fructum, sin autem in futurum succides eam.* Optimè autem abrumpitur hic sermo Daui, quando poeta in illius verbis rem inuenit tam diù quæsitam, nimirum hominem nedum corpore, sed & animo liberum, & ideo erumpit in verba gratulationis, & lætitię, asserens hunc esse, quem quærebat, hominem verè liberum, qui seruitutis vitiorum iugum excusserat, cuiusmodi non erat, quem Prætor liberum esse pronunciauerat.

*FESTVCA* propriè est res leuissima, & minimi ponderis, vt paleæ plumæ, quisquiliæ, ita dicta iuxta Festum à fœtu, nam loquens de fœnore ait: Fœnum quoq; pratorum ab hac causa est appellatum, quando idipsum manens quotannis nouum parit: vnde etiam festuca vocata est. Iuxta Varronem verò lib. 4 LL. à fœno, ait enim: Homo in pratis per fœnisecia, & festucas abradit, quæ abrasa rastelli dicti. Festucarum meminit Columella lib. 8. cap. 15. dicens: *Tempora concubitus, eadem quæ cæteræ siluestres alites obseruant, Martij, sequentisque mensis, per quos festucæ, surculique in aniariis passim spargendi sunt, vt colligere possint aues, quibus nidos construant.* Verum hic festucæ nomine intelligitur virga Prętoris, quam lictor gestabat, & qua Prætor manumissum tangens, cum plena libertate gaudere pronũciabat: alioquin nemo liber pleno iure erat: vnde Tacitus lib. 13. cap. 7. ait; *Manumittendi duas species institutas, ut relinqueretur pænitentiæ, aut nouo beneficio locus. Quos vindi-*

*cta*

*Ea patronus non liberauerit, uelut uinculo seruitutis attineri.* Sic Plaut. Milite Glorioso Actu 4. scena 1.

*Quid? ea ingenua, an festuca facta, serua an libera est?*

Hoc est, vtrum natae parentibus liberis, an libertatem nacta per virgam Pretoris. Et ita nunc sumitur.

*LICTOR*, iuxta Festum à ligandis virgarum fascibus, vel potius à ligandis reis. Hinc Gellius lib. 12. cap. 3. ait: *Valgius Ruffus in 2. librorum, quos inscripsit de rebus per epistolam quaesitis, lictorem dicit à ligando appellatum esse, quod quum magistratus populi Rom. uirgis quempiam uerberari iussisset, crura eius, & manus ligari, uinciriq à uiatore solita sint, isque qui ex Collegio uiatorum, officium ligandi haberet, lictor sit appellatus. Vtiturque ad eam rem testimonio M. Tullii, uerbaque eius refert ex oratione, quae dicta est pro C. Rabirio, Lictor, inquit, colliga manus. Haec ita Valgius, & nos sane cum illo sentimus. Sed Tiro Tullius M. Ciceronis libertus lictorem uel à limo, uel à licio dictum scripsit, Licio enim transuerso, quod limum appellatur, qui magistratibus, inquit, praeministrabant, cincti erant. Si quis autem est, qui propterea putet probabilius esse, quod dixit Tiro quoniam prima syllaba in lictore, sicuti in limo, producta est, & in eo uerbo, quod est ligo, correpta, nihil ad rem istam pertinet, nam sic à ligando lictor, & à legendo lector, & à uincendo uictor. & à tuendo tutor, & à struendo structor, productis, quae corripiebantur uocalibus, dicta sunt.* Quidam lictorem à lino deriuant, nam

li-

lictor est, qui viam facit magistratibus in populo, & album filum de lino circum caput insigne habebat, sed plura de lictore diximus ad satyræ 1. versum 75. Lictor ergo hic est vnus è ministris Prætoris, qui sex tales habebat, vt Consul duodecim, & Dictator vigintiquatuor. Et denominatur ineptus, nam hi ministri sunt plerumq; bardi, fatuiq; rerum gerendarum modum nescientes, violenti simul, & violenti, quod est esse ineptos.

*IACTAT*. Iactare propriè frequentatiuum à iacio, est multum & frequenter iacere. Sic Ouid. 1. Metam.

*Et uelatæ caput, cinctasq; resoluite uestes,*
*Ossaq; post tergum magnę iactate parentis.*

Et Virg. 1. Georg. vers. 63.

*Deucalion uacuum lapides iactauit in orbem.*

Sumitur etiam pro persequi, affligere, vexare, concutere, fatigare, vel loco pellere. Sic Virg. 1. Æneidos vers. 33.

*His accensa super, iactatos æquore toto*
*Troas, relliquias Danaũ, atq; immitis Achillis*
*Arcebat longè Latio, multosq; per annos*
*Errabant acti fatis, maria omnia circum.*

Quandoque iactari, siue iactare sumitur metaphoricè pro gloriari, eleuariq; per superbiæ fastum. Sic Cicero pro Sextio Roscio Amerino: *Hęc tu Eruci tot & tanta, si nactus esses in reo, quamdiu diceres? quo te modo iactares?* iactares, idest gloriareris, vel complacentiam haberes. Et ita lictorem iactare alium in festuca, est gloriari de illius libertate, quasi ipse eam contulisset, nam quum libertas data fuisset à Prætore per festucam, seu virgam,

quam

quam lictor ferebat, hic eam ostentando, gloriabatur, quasi ipse eam largitus fuisset, & hac ratione munuscula, & fortè nummos, à nouis libertis corrogabat, vel ærufcabatur.

*IVS habet ille sui palpo, quem ducit hiantem cretata ambitio?* Probauit vsque modo, iuxta Stoicorum placitum, & veritatem, eum, qui auaritiæ, & luxuriæ seruiret, etiam si externa frueretur libertate, veram nihilominus non habere; nunc ostendit, nec illum posse dici verè liberum, qui seruiret ambitioni, & merito, quum domina ista in tantum sęuiat, vt suos seruos, etiam locupletes, & diuites, bonis omnibus spoliatos, adigat ad concupiscentiam quarumuis, etiam vilissimarum, & noxiarum escarum, &, fame compellente, per ventris inanitatem, ad harum, quarum fortè datur potestas, immodicam iugurgitationem, ex qua aduersæ creantur valetudines. Itaque ait: *Ius habet ille sui palpo, quem ducit hiantem cretata ambitio?* Ordo est: Ille palpo, quem ambitio cretata ducit hiantem, habet ius sui? & subticetur responsio negatiua. Is enim potius durissimam patitur seruitutem, quum ad ambitionis nutũ prodigere compellatur quidquid summis laboribus, & ærumnis, maiores sui, vel ipse, diuitiarum cumulauerant. *Habere autem ius sui*, est esse liberum, vt de se, deq; rebus suis possit ad libitum disponere, quod sibi conuenire supra vers. 88. contendebat Dama. Ad conuellendam ergo hanc Damæ, vel quorumcumque falsam opinionem, nunc asserit, non esse illum sui iuris, nec viuere, vt vult, qui necesse habet obedire mandatis am-

bi-

bitionis, vel alterius virij, nã qui alteri seruit, nec est liber, nec sui iuris, nec viuit, vt ipse vult, sed vt placet hero cui seruire tenetur.

PALPO cum incremento, tertiæ, & palpum absque incremento, secundæ declinationis, à verbo neutro palpo, vel deponenti, palpor, est adulator, vnde ait Ioannes Sarisbariẽsis: Palpo adulatoris, vel assentatoris censetur nomine. Quibusdã dictum videtur à θάλπω foueo, nã quos fouemus, molliter contrectamus. Vel est quasi παλάμα αἰῶ palma tango. Vel ab Eolico σπαλαφῶ pro ψηλαφῶ tango, siue contrecto, abiecto s initiali, vt in multis alijs accidit. Ita adulatores palpum obtrudebant Hieronymo Gelonis filio, Hieronis Syracusanorum Regis nepoti, de quo hæc Liuius l. 24. cap. 6. *Hieronymus Legatos Carthaginem misit, ad fœdus ex societate cum Annibale faciendum. Pacto conuenit, vt quum Romanos Sicilia expulissent (id autem breui fore, si naues atque exercitum misissent) Himera amnis, qui fermè insulam diuidit, finis Regni Syracusani, ac Punici imperij esset. Aliam deinde, (inflatus assentationibus eorum, qui eum non Hieronis tantum, sed Pyrrhi etiam Regis, materni aui, iubebant meminisse) legationem misit, quia æquum censebat, Siciliã sibi omni cedi, Italiæ imperium proprium quæri Carthaginensi populo.* Quum enim palpare propriè sit leuiter, & quasi tentando tangere; adulatores blande molliterque laudantes eos, quibus volunt placere, eos palpare dicuntur. Sic Iuuen. sat. 1. v. 34.

*Et cito rapturus de nobilitate comesa,*
*Quod superest, quem Maßa timet, quem mu-*

*munere palpat,*

*Carus, & à trepido Thymele submissa Latino.*

Sic Horat. 2. serm. sat. 1.

*Nisi dextro tempore Flacci*

*Verba per attentam non ibant Cæsaris aurem*

*Cui malè si palpere, recalcitrat, vndiq; tutus.*

Et Plautus Amphitruone Actu 1. scena 3.

*Obseruatote, quam blande mulieri palpabitur.*

Et Pseudolo Actu 4 scena 1.

*Mihi obtrudere non potes palpum:*

Id opere præstabat Gnatho Terentianus, vt ipse gloriatur, dicens Eunucho Actu 2. sc. 2.

*Est genus hominum, qui esse primos se omnium rerum volunt,*

*Nec sunt, hos consector, hisce ego non paro me, vt rideant,*

*Sed eis vltro arrideo, & eorum ingenia admiror simul.*

*Quidquid dicunt laudo; id rursum si negant, laudo id quoque*

*Negat quis? nego, ait? aio, postremo imperaui egomet mihi*

*Omnia assentari. Is quæstus, nunc est multo vberrimus.*

Et ita nunc palpo est adulator, supplicans, & blandiens suffragatoribus, vt ab eis honores, & magistratus acciperet. Sic Mamertinus Panegyr. dicto in Iulianũ: *Qui ignorat tum quoq; quum honores populi Rom. suffragijs mandabantur, multos fuisse candidatorum labores ? edis-scenda omnium nomina tribuum, homines atque etiam singuli salutandi, prehensandæ tribuiorum manus, omnibus arridendum, non solum cum infimis, sed etiam cum ignotis familiaritatis ima-*

*go simulanda, multaque alia propter honorem agenda, quæ alias virum honore dignum facere non deceret, unde illud Crassi celebre dictum, quum peteret Consulatum, & fortè cum Scæuola socero per vias Vrbis incederet, nec præsente grauissimo, & seuerissimo viro, blandiri populo, palpare obuios, & artes petitorias auderet exercere: Quæso inquit, Muti, paulisper abscedas, nec comitatu tuo honestari putes, impedis honorem meum: te præsente ineptus esse non possum.* Quod idem Crassus ait apud Ciceronem 1. de Oratore: *Quum peterem inquit magistratus, solebam in prehensando dimittere à me Scæuolam, quum ei ita dicerem, Me velle esse ineptum.* Id erat petere blandius, & palpare. Sic Cicero pro palpare blandiri dixit pro Cn. Plancio: *Comitiis præsertim, Ædilitiis, studium esse populi, non iudicium: eblandita illa, non enucleata esse suffragia. eos qui suffragium ferunt, quid denique ipsi debeant considerare sæpius, quam quid cuique à Rep. videatur deberi?* Et subdit: *Facilis est illa occursatio, & blanditia popularis aspicitur, non attrectatur, procul apparet, non excutitur, non in manus sumitur.*

*QVEM ducit*, alii legunt, Quem tollit, idest extollit, inflat, & sublimem fert. [Quo verbo vsus Seneca in Choro Actus 1. Herculis furentis:

*Turbine magno, spes sollicitæ*
*Vrbibus errant, trepidique metus:*
*Ille superbos aditus Regum,*
*Durasque fores, expers somni*
*Colit: hic nullo fine beatus*
*Componit opes gazis inhians,*

*Et congesto pauper in auro est*
*Illum populi fauor attonitum,*
*Fluctuq; magis mobile vulgus*
*Aura tumidum tollit inani.*

Nec tamen libuit mutare, quia Ducit est lectio communior Ducere autem hic est regere, & veluti viam monstrare, qua sit incedendum, in quo differt à trahere, quod est vi, ac violenter raptare. Hinc Seneca de prouidentia cap. 5. ait: *Animosam Demetrii fortissimi viri vocem audisse me memini H c unum inquit, Dii immortales, de vobis queri possum. quod non ante mihi voluntatem vestram notam fecistis, prior enim ad ista venirem ad quæ nunc vocatus, Adsum. Vultis liberos sumere? illos vobis sustuli. Vultis aliquam partem corporis? sumite. Non magnam rem promitto, cito totum relinquam. Vultis spiritum? Quidni? Nullam moram faciam, quominus recipiatis, quod dedistis a volente feretis quidquid petieritis. Quid ergo est? mal uissem offerre, quam tradere. Quid opus fuit auferre? recipere potuistis. Sed ne nunc quidem aufertis, quia nihil eripitur nisi retinenti. Nihil cogor, nihil patior inuitus, nec seruio Deo, sed assentio, eo quidem magis, quod scio omnia certa, & in æternum dicta lege decurrere. Fata nos ducunt, & quantum cuique restat, prima nascentium hora disposuit.* Quam Ethnici sententiã, vtinam suis moribus insculperent Christianorum nonnulli, toties rebelles notissimæ, & pluries inculcatæ voluntati Diuinæ, vt ei obedirent, aut illi per resignationem se conformarent. Hoc autem verbo, Persius fortè allusit ad manuductionem, quæ ab amicis, & viris

viris gratiosis fiebat, candidatos ducendo, cōmendandoque suffragatoribus.

*HIANTEM* à verbo Hio, quod est aperto ore spiritum recipio, vel emitto, & ita propriū est animantium. Inde Plinius lib. 8. cap. 25. ait de Crocodilo. *Hunc saturum cibo piscium, & semper esculento ore in littore somno datum, parua auis, quæ Trochilus ibi vocatur, Rex auium in Italia, inuitat ad hiandum pabuli sui gratia, os primum eius assultim repurgans, mox dentes, & intus fauces quoque, ad hanc scabēdi dulcedinem, quam maximè hiantes. In qua voluptate, somno pressum conspicatus ichneumon, per easdem fauces, vt telum aliquod immissus, erodit aluum.* Sumitur aliquando metaphoricè pro admirare, stupere, & alios actus exercere, in quibus os aperitur, immo & pro simulare loqui, vt de vmbris apud inferos existentibus, ait Virgil lib. 6. Æneid. v 489.

*At Danaum proceres, Agamemnoniæque phalanges,*
*Vt videre virum, fulgētiaq; arma per vmbras,*
*Ingenti trepidare metu: pars vertere terga,*
*Ceu quondam petiere rates, pars tollere vocem*
*Exiguam, inceptus clamor frustratur hiantes.*

Transfertur & ad alia, nam terræ defectum, eiusdem hiatum, florum etiam, nucum & similium aperitionem, eorumdem hiatum appellamus. Verum hic palpo hians, est vehementer appetens, nam talis semper desideriorum, & quandoque etiam corporis ad concupita os aperit.

*CRETATA* quidam interpretantur Candidata. Certè magistratum petentes in Campum

Martium ad Comitia candidati descendebāt, & sine togis, tum ne argentum, aut aliam pecuniæ speciem ferre possent, ad corrumpendos suffragatores: tum vt possent cicatrices ostendere & merita, ob quæ magistratu se dignos probarent: tum denique vt sic nudi facilius obuios quosque præhendere, eisque supplicare possent, quod togati, toga impediti, facere non poterant. Et quamuis id sciam, non tamen facilè inducor, vt credam, ambitionem cretatā, de qua est hic sermo, esse cādidatam. Puto potius ambitionem cretatam esse luto inquinatam; cretatum enim propriè est, luto, creta, vel cœno inquinatum, vt accidit pedibus, vestibusque eorum, qui hyemali pluuioq; tempore multum ambulant per loca Vrbis, maximè Campi Martii, mense Ianuario, quando Magistratuū comitia, & electiones fiebant. Illud autem de ambitione candidatorum, maximè verum erat, quando Comitia erant penes populum, à quo ad Senatum translata sunt initio Tiberii Cæsaris, hoc est anno Vrbis 768 vt refert Tacitus lib.1.cap.4.his verbis: *Tum primum è Campo Comitia ad Patres translata sunt, nam ad eam diem, etsi potissima arbitrio Principis, quædam tamen studiis tribuum fiebant. Neque populus ademptum ius questus est nisi inani rumore, & Senatus largitionibus, ac precibus sordidis exsolutus, libens tenuit moderante Tiberio, ne plures quam quatuor candidatos commendaret, sine repulsa & ambitu designandos.*

*AMBITIO*, vt ambitus ab ambo, idest circum, & itio, vel itus, à verbo eo: vnde Festus ait:

Ambitus propriè dicitur inter vicinorum ædificia locus duorum pedum & semis, ad circumeundi facultatem relictus: ex quo etiam honoris ambitus dici cœptus à circumeundo, supplicandoque. Definitur ambitio, immoderata rerum magnarum, honorum, magistratuum, ac similium cupiditas, multis sæpe legibus damnata, sed numquam ex toto abolita. Romani enim ambibant, populi seu tribuum captantes suffragia, de qua Tertullianus lib. de habitu muliebri cap. 4. *Hæc erit ambitio, vnde & nomen eius interpretandum, quod concupiscentia apud animum ambientē, nascatur ad gloriæ votum.* Licebat nihilominus ambire, & prensare, idest benignè obuiorum manus prehendere, ad suffragia impetranda suæ beneuolentiæ significatione. At non licebat largitionibus promissis, aut munerum profusione suffragatores corrumpere, quod erat crimen ambitus legibus interdictum. Ambitio ergo creata, potuit simpliciter dici illa tribuum circumitio, & supplicatio, quæ fiebat etiam in Campo: nam talis sic ambiens, necessario pedes, vestesque luto inquinabat.

*VIGILA & cicer ingere largè rixāti populo, nostra vt Floralia possint aprici meminisse senes. Quid pulchrius.* Ordo est: Vigila, & ingere largè cicer populo rixanti, vt senes aprici possint meminisse Floralia nostra. Quid pulchrius? Verba sunt dominæ ambitionis, præcipientis, vt opes profundat pro magistratuū consecutione. Vigila, Præcipit ambitio sibi seruienti, vt vigilet. Vigilare autem est excubare, & oculos ad dormiendum, quiescendum-

que non claudere. Sic Horat. 1. ser. sat. 3.

*decies centenas dedisses*
*Huic parco, paucis contento, quinque diebus*
*Nil erat in loculis, noctes vigilabat ad ipsum*
*Mane, diem totum stertebat. Nil fuit vnquam*
*Sic impar sibi.*

Et Terentius Eunucho Actu 2. scena 2.

*Sex ego te totos Parmeno hos menses quietum reddam*
*Ne sursum, deorsum cursites, neue vsque ad lucem vigiles.*

Metaphoricè vero est, omni studio negocio alicui incumbere. Sic Cicero Philipp. 6. *Quirites, quantum potero, consilio, labore, plus penè, quam potero excubabo, vigilaboque pro vobis.* Vigilabant autem candidati, præsertim propter officia salutandi eos, à quibus ambiebant & sperabant suffragia: & eos quoque, à quibus timebant impugnari, nisi ostendissent beneuolentiæ signa. Salutationes vero inchoabantur primo diluculo, ideoque candidatorum vita, vrbana militia est appellata. Itaque vigilare hic sumitur tam propriè pro somnum oculis negare, quam translatè pro studere, quomodocumque sit occurrendum.

CICER *ingere largè*. Præcipit ambitio sibi seruienti, vt spargat missilia leguminum, aut rerum aliarum in populum suffragatorem, quo ipsum fauentem habeat in magistratuum petitione, id quod interdictum sic legimus apud Horat. 2. serm. sat. 3.

*ne vos titillet gloria, iure*
*Iurando obstringam ambos, vter Ædilis fueris, vel*

Vi-

*Vestrum Prætor, is intestabilis, & sacer esto.*
*In cicere atque faba bona tu perdasq; lupinis*
*Latus ut in Circo spatiere, aut æneus ut stes*
*Nudus agris, nudus nummis, inane paternis?*
*Scilicet ut plausus quos fert Agrippa, feras tu.*

Spargebantur autem missilia ab ijs, qui ludos edebant, idest ab Ædilibus, qui apud Romanos erat primus magistratus inter Curules, teste Cicerone dicente 3. de Legibus: *Sunto Ædiles curatores Vrbis annonæ, ludorumque sollemnium, omniumque ad honoris amplioris gradum, iis prius ascensus esto*. Itaque prius creabantur Aediles, deinde, si suffragatoribus libuisset, Pretores, & postremo Consules. Aediles autem sacrarum ædium curam habebant, vnde & nomen traxerunt. Eisdem demandata erat cura prouidendi de impensis erogandis in quibuscumque spectaculis, seu ludis, aut fabulis, quæ agi deberent. Item vt aquædu-ctus, cloacæ, aliaque publica ædificia, purgata, ac nitida forent. Præter hos antiquos ædiles, erant alij a Cæsare primum instituti, cereales à Cerere dicti, qui annonam curare debebant, eisque incumbebat prouidere, vt si quis vitiosum pro sincero, morbosum pro sano, fractum pro integro vendidisset, debitam lueret pœnam. Quum ergo ædilitas primus foret magistratus, cui annexus erat ludorum apparatus, in quibus fiebat missilium ad populum erogatio, suum hortatur seruum ambitio, vt largè missilia spargat, quatenus sic populum suffragatorem habeat in petitione reliquorum honorum. Posses etiam dicere, huiusmodi missilia sparsa in Campo Martio, vbi

tribus suffragaturæ conueniebant, vel diuisa singulis sigillatim suo nomine. Inter missilia tamen meminit salius ciceris, per synecdochē vnius speciei pro omnibus, nedum legumināū, sed omnium quę spargi poterant: & hoc ideo, quia primis Reip. temporibus, maxime laudabantur agriculturę operam dantes, qui e suis, & à se cultis agris, farris, vel leguminum copiam collegissent, adeout non minus, quam ex Asia, vel Africa deuictis, hinc cognominati fuerint Fabij, Cicerones, Lentuli, Pisones, & alij. Specialem autem laudem consequebantur, qui cicer collegissent, quia non facilè inueniebantur eius satores, quia quum, iuxta Plinium lib. 18. cap. 12. eius natura sit ignea, & gignatur cū salsilagine, solū vrit, quod idē docet Columella lib. 2. cap. 10. dicens: *Cicer terram lædit, atque ideo improbatur à callidioribus agricolis*. Cuius rationem reddit Varro R.R. lib. 1. cap. 23. *Cicer & cætera, quæ uelluntur è terra, neque subsecantur, succum tollunt, quæ quod ita leguntur, legumina dicta*: vnde qui huius speciei tantum collegisset, vt in populum spargere posset, industrię laudem merebatur, & ita se probabat magistratu dignum. Aliqui tamen non spargebant missilia ad captanda populi suffragia, sed ad ipsum lętificandum, vel ob vanam gloriam. Hinc Suetonius in Nerone cap. 11. ait *Sparsa, & populo missilia omnium rerum per omnes dies, singula quotidie millia. auium cuiusque generis, multiplex penus, tesseræ frumentariæ, uestis, aurum, argentum, gemmæ, margaritæ, tabulæ pictæ, mācipia, iumenta, atq; etiam mansuetæ feræ, nouissimè*

*mè naues, insulæ, agri, & quidem ad liberalissimis ostentationem, siue ad populi lætitiam.* Et idē Domitiano cap.4. *Congiarium populo nummorum trecentorum ter dedit, atque inter spectacula muneris, largissimum epulum. Septimontiali sacro quidem, Senatus equitique panariis, plebi sportellis cum obsonio distributis, initium uescēdi primus fecit, dieque proximo omne genus rerum missilia sparsit, & quia pars maior intra popularia deciderat, quinquagenas tesseras in singulos cuneos equestris, & Senatorii pronunciauit.* Idemque Suetonius in Caligula c.18. *Sparsit, & missilia uariarum rerum, & panaria cum obsonio uiritim diuisit. Qua epulatione, Equiti Romano cōtra se hilarius, auidiusque uescenti, partes suas misit. Sed & Senatori ob eandem causam, codicillos, quibus Prætorem eum extra ordinem designabat.* Sed non est nunc sermo de talibus missilibus, sed de his, qui à priuatis, vel Ædilibus spargebantur ad captandū populi fauorē pro adeptione magistratuum.

*INGERE*, porta, siue fer ad partem interiorem, quasi baiula intro, cuius oppositum est à parte interiori ad exteriorem fer. Sic Plaut. Pseudolo Actu 1. scena 2.

*Tu qui urnam habes, aquam ingere, face plenum ahenum sit cito.*

Et Tibull. lib. 2. eleg. 1.

*Tunc nitidus plenis confisus rusticus aris*
*Ingerat ardenti grandia ligna foco.*

sed per senecdochen sumitur pro vndecumq; & quocumque ferre. Et ita nunc sumitur pro spargere missilia in populum, & quasi in singulorum sinus, licet eorum multa caderent

rent à dextris, vel à sinistris, ante & pone.

*RIXANTI* à rixor, vel rixa, quæ, vt rictus à ringendo deduci putatur, nisi malis esse ἀπὸ τῆς ῥινὸς naribus, quæ rixantibus, & iratis corrugantur: vel à ῥᾶξις, siue ῥάσσω, aut ἀράσσω conuicior, vel confligor: & propriè est contendere, iurgari, vel litigare: & si deducatur à ringendo, metaphora ducta erit à canibus irritatis, quibus rictus, siue nares corrugantur. Rixæ meminit Ouid. 3. de Arte:

*Nec tua frangatur nocturna ianua rixa.*

Et Horatius ad Lollium hoc est lib. 1. epist. 18

*Alter rixatur de lana sæpe caprina*

*Propugnat nugis armatus.*

Sed hic populus rixans debet sumi propriè iurgans, & contendens in colligendis missilibus, vel ferendis suffragijs.

*FLORALIA*, ludi in honorem Floræ. Fuit autem Flora meretrix, quę Romæ habitauit iuxta theatrum Pompei, loco qui etiam nunc ex illius nomine dicitur Campus Floræ. Hæc quum ex meretricio quæstu immensas aceruasset diuitias, iam morti proxima, populum Rom. scripsit hæredem, sub ea conditione, vt ex annuo fœnore suorum bonorum, suus natalis dies omni lasciuię significatione quotannis celebraretur, prorsus vt meretricem decebat. Ratum S. P. Q. R. habuit legatum, sed quia contra suam dignitatem, grauitatemque esse videbat, ludos, festumque in meretricis honorem celebrare, eam Senatus consecrauit, finxitq; esse illam, quę Chloris dicta, Zephyroque nupta, ab eo, dotis nomine, florum potestatem accepit, de qua Ouid. 5. Fastor.

*Chlo-*

*Chloris eram, quæ Flora vocor, corrupta Latino*
*Nominis est nostri littera Græca sono.*

Hinc Alexander ab Alexandro lib.6.c.8.ait: Floralia à Flora sumpsere nomen, cui, vt arbores affatim efflorescerent, ad iustamque magnitudinem fructus accederent, iv. Kal. Maj, oraculo moniti, sacra constituerunt, namque hęc tempora frugibus metuenda sunt. In cuius festis diebus, fœminas, quæ vulgato corpore quæstũ faciebant, denudari, & pudendis, obscœnisque inuelatis, per luxum, & lasciuiã currere, & impudicos iocos agere, seruatum est: quibus etiam Aediles cicer, fabas, & missilia plebi spargere allueuerunt, leporesque, & capreas, aliaque mitia animalia ludis admittere, quos in vico patricio celebrabant, noctuque accensis facibus, cum multa obscœnitate verborum per Vrbem vadere, & ad tubę sonitum conuenire. Fuit autem Flora nobile scortum huius autor argumenti, quæ quum præpotens esset, & diuitijs afflueret, populum Romanum, morte obita, hęredem fecit, pecuniamq; annuam ludis exhiberi voluit, quorum instar ludorum Ancisteria apud Athenienses simili licentia fuere. Hanc eandem Floram asserit idem Alexãder lib.3.c.12. esse quam Bonam Deam nuncupant. Quo tempore hęc festa celebrarentur, docet Plinius dicens lib.18. cap.29. *Floralia IV. Kal. eiusdem Maij instituerunt, Vrbis anno DXVI. ex oraculis Sibyllę, vt omnia benè deflorescerent.* De eadem Lactantius lib. 1. cap. 21. *Flora quum magnas opes ex arte meretricia quæsiuisset, populum Rom. scripsit hæredem, certam pecuniam*

ex-

*reliquit, cuius ex annuo fęnore suus natales dies celebraretur editione ludorum, quæ appellant Floralia; quod quia Senatui flagitiosum videbatur, ab ipso nomine argumentum sumi placuit, vt pudendæ rei quædam dignitas adderetur, Deam finxerunt esse, quę floribus præsit, eamque oportere placari, vt fruges cum arboribus aut vitibus, benè prosperèque florescerent. Eum colorem secutus in Fastis poeta, non ignobilem Nympham fuisse narrauit, quæ sit Chloris nuncupata, eamque Zephyro nuptam, quasi do is loco id accepisse muneris à marito, vt haberet omnium florum potestatem. Honestè quidem ista dicuntur, sed inhonestè turpiterque creduntur. Nec debent (quum ueritas quæritur) huiusmodi nos uelamenta decipere.* Celebrabantur ergo ludi illi cum omni lasciuia, conueniente memoriæ meretricis, nam præter verborum licentiam, quibus obscœnitas omnibus effundebatur, exuebantur etiam (populo flagitante) vestibus meretrices, quæ tunc mimorum fungebantur officio, & in conspectu populi, ad vsq; satietatem impudicorum hominum, cum pudendis motibus detinebantur. Idque innuit Martialis Epigrammate incluso epistolæ ad lectorem lib. 1. dum ait:

*Nosses iocosę dulce, quum sacrum Floræ,*
*Festosq; lusus, & licentiam uulgi,*
*Quur in theatrum Cato seuerè uenisti?*
*An ideo tantum ueneras, ut exires?*

Adeo namque impudicè, obscœnèque fiebant, vt nemo paullum seuerior posset illis interesse. Et hæc sunt Floralia, de quibus nunc loquitur.

*APRI-*

APRICI ab eadem origine vnde Africa, id est ab ἀ priuatiuo, & φρίκα horror, quasi sine horrore frigoris, vel apricus per syncopen est apericus, id est locus apertus, & Soli expositus, cui quasi sese aperit, vt qui eo gaudeat, indeque est tepidus, siue temperatus, cuius contrarius est locus abditus, opacus, & vmbrosus: sic accipiendus Virgilius dicens 2. Georg. vers. 522.

*Mitis in apricis coquitur uindemia saxis.*

Et Columella lib. 11. cap. 3 *Circa Kal. Martij locis apricis licet porrum (si iam ingranduerit) transferre.* Et ibidem: *Frigidis, & pluuijs regionibus positio eius optima est post idus Apriles, cuius depressæ plantæ, quum tenuerint quantum olitaris ratio patitur, sæpius sarrita, & stercorata, melius conualescit, plenioribusque incrementis, & coliculum facit, & cymam. Nonnulli hanc eandem locis apricioribus à Kalen. Martijs deponunt, sed maior pars eius in cymam prosilit, nec postea hybernum caulem amplum facit, quum est semel desecta.* Aprici ergo senes intelliguntur apricatione gaudentes, quia quum nat uo destituantur calore, igne vel sole indigent, quod est apricari, vt docet Cicero lib. de Senectute: *Me delectant refrigeratio æstate, & uicissim aut sol, aut ignis hibernus, quę quidem in Sabinis etiam persequi soleo.* Et ibidem a cs *Agro benè culto nil potest esse, nec usu uberius, nec specie ornatius, ad quem faciendum non modo non retardat, uerum etiam inuitat, atque allectat senectus: ubi enim potest illa ætas, aut calescere. uel apricatione melius uel igni, aut uicissim in umbris, aquisue refrigerari salubrius?*

Sic

Sic Ausonius in sua Mosella nempe Idyllio 9. ait :

*Huic proprium est clausos concepto gurgite pisces*
*Apricas scopulorum inter captare nouales.*

Et ibidem :

*Tempus erit, quum me studijs ignobilis oci*
*Mulcentem curas, senijque aprica fouentem*
*Materiæ commendet honos, quū facta uirtum*
*Belgarum, patriosque canam decora inclyta mores .*

Sic Cicero ad Atticum lib. 7. epist. 11. *Vnam meherculæ tecum apricationem in illo Lucretino tuo sole, malim, quam omnia istiusmodi regna, uel potius mori millies, quam semel illiusmodi quidquam cogitare.* Senes ergo apricatione, & Solis radijs, ocioque gaudentes, adstantibus recitare solent prioris æui memorabilia, & preclara gesta tam sua, quam aliorum maxime læta, & iucunda, vt ipsi recordatione, audientes vero narratione oblectentur. Et ita nunc ambitio suum hortatur seruum, vt talia edat Floralia, vt eorum meminisse possint tales senes .

*QVID pulchrius?* ironicè dictum, verè namque vt ex Horatio citauimus nihil fœdius esse potest, quam ita ambitioni seruire, vt cogaris bona omnia prodigere in editione ludorum, siue Floralium, de quibus nunc dictum, siue Larentalium, qui fiebant in honorem alterius meretricis, nempe illius Lupæ, quæ Romulū vberibus aluit, sed erat Acca Larētia, Faustuli quidem vxor, sed quæ, quia corpus vulgauerat, Lupa inter pastores audiebat, De ea ait

La-

Lactantius lib. 1. cap 21. *Romuli nutrix Lupa, honoribus est affecta diuinis: & ferrem, si id animal ipsum fuisset, cuius figuram gerit. Autor est Liuius, Larentię esse simulachrum, & quidem non corporis, sed mentis, ac morum: fuit enim Faustuli uxor, & propter uulgati corporis uilitatem, Lupa inter pastores, idest meretrix nuncupata est.* Et Gellius lib. 6. cap. 7. *Acca Larentia corpus in uulgus dabat, pecuniamq; emeruerat ex eo quęstu uberem, ea testamento, ut in Antiatis historia scriptum est, Romulum Regem, ut quidam alij tradiderunt, populum Rom. bonis suis hęredem fecit. Ob id meritum à Flamine Quirinali sacrificium ei publicè fit, & dies è nomine eius in Fastis additus.* Sic Macrobius l. 1. cap. 10. *Cato ait, Larentiam meretricio quęstu locupletatam, post excessum suum populo Rom. agros Turacem, Semutium, Lincerium, siue Lictirium, & Solinium reliquisse, & ideo sepulchri magnificentia, & annuæ parentationis honore dignatam. Macer historiarum libro 1. Faustuli coniugem Accam Larentiam Romuli, & Remi nutricem esse confirmat. Hanc regnante Romulo Carutio cuidam Thusco diuiti denuptam, auctamque hæreditate uiri, quam post Romulo, qui educasset reliquit, & ab eo parentalia, idemque festum pietatis causa statutum.* Vituperabile igitur censetur sua prodigere in edendis his ludis, ad captanda populi suffragia pro magistratibus.

*AT quum Herodis venere dies, vnctaq; fenestra dispositę pinguem nebulam vomuere lucernę portantes violas, rubrumque amplexa catinum Cauda natat thynni, tumet alba fidelia vino.*

*bra moues tacitus, recutitaq; sabbata palles*. Ordo est. At quum venere dies Herodis, & lucernæ portantes violas, dispositæ, vomuere pinguem nebulam vncta fenestra, cauda thinni natat amplexa rubrum catinum, alba fidelia tumet vino, tacitus moues labra, & palles sabbata recutita. Quasi diceret. Quum erogādis missilibus, ludisque magnificentissimis celebrandis, non sufficiente annuo fœnore, totū prodegeris patrimonium, in tantam delapsum te videbis paupertatem, vt viles, frugalesque etiam Iudæorum cœnas, concupiscas. Hinc falsum videtur, quod Cornutus, Brixiensis, Plautius, Casaubonus, Bond, & alij volūt, hic fieri mentionem alterius dominæ, videlicet superstitionis. Profundius enim textus continuationem rimanti, nil tale apparet. Dixerat enim immediatè ante, ambitionis seruum, editione Floralium, spargēdisque missilibus, famam captasse, qua sibi viam ad honores muniret: nunc innuit, non sufficiente expensis annuo fœnore, distraxisse hæreditatem, redactumque ad mendicitatem, qua vilissimas appetat escas. Vnde vtitur hic particula, at, quæ est simul continuatiua, & discretiua, siue aduersatiua, continuat enim antecedentibus sequentem sermonis partem, sed in sensu opposito. Sicut quum Crito, Glycerij nominasset parētes, & Chremes dubitaret adhuc ob nominis inconuenientiam, sic ait apud Terent. Andria Actu 5. scena 4.

*At mihi unus scrupulus etiam restat, qui me malè habet.*

Et quum Æneas suos Didoni casus narrasset,

sic

sic Virgilius claudit librum 3. Aeneid.

*Conticuit tandem, factoque hic fine quieuit*, quartumque eiusdem operis sic incipit:

*At regina graui iamdudum saucia cura*
*Vulnus alit venis.*

Longè namque ab Aeneæ quiete aberat Dido, grauibus agitata curis. Sic nunc sermoni de seruitute ambitionis, & profusione bonorum, continuatur oppositus de paupertate ad quam venerat ambitiosus. Superstitio autem cum ambitione nec oppositionem habet, nec connexionem, vnde sermo de ista nequiuit continuari sermoni de illa per particulam At; Ideoque sequentia nequeunt intelligi de superstitione. Multa autem sunt, quæ disputant expositores huius loci de diebus Herodis, quærentes qui sint isti dies Herodis, & de quo Herode sit sermo. Constat sermonem esse de aliquo ex Iudæorum Regibus, nam sequitur *Recutitaque sabbata palles*, obseruare autem sabbatum, & esse recutitum, proprium est Iudæorum. Tres autem ante Persij tempora Herodes in Iudea regnauêrunt, primus dictus Magnus & Ascalonita, natione, & origine Idumæus, Antipatri Ascalonitæ ex Cypride Arabica vxore, filius, qui primus ex alienigenis Iudææ Regnum à Senatu Romano impetrauit, Cleopatræ Aegypti Reginæ, (quam in illud Regnum reduxerat) charus, & eiusdẽ commendatione, etiam M. Antonio Triumviro, acceptus, post quorum necem etiam in Cęsaris gratiam penetrauit, philtro illo, quo mundana omnia obtinentur, donis scilicet, & preciosis muneribus, vnde à Cæsare in Regno

suis

fuit confirmatus cum non modica etiam vrbium appendice. Is multa præstitit magnifica, & inter alia Salomonis templum ad pristinam refecit mensuram, qua à Salomone fuerat extructum, nam Zorobabel angustius illud excitauerat. Verum felix in externis, domi fuit infelicissimus: Hircanum siquidem summum Iudæorum sacerdotem, reuersum è captiuitate Parthica, illiusque filium etiam Sacerdotem, huiusque sororem Mariannam vxorem suam, sibique pulchritudinis merito, summè dilectam, cum duobus communibus filijs, summæ spei adolescentibus, & suam socrum, Marianę matrem, crudelissimè necauit: virum similiter interfecit Salome sororis suæ, primoresq; scribarum, & infantes omnes, natos à bimatu, & infra secundum tempus, quo Messiam natum esse à Magis cognouerat, vt ipsum interficere posset Messiam, quem tunc natum, nedum Magi prædicauerant, sed scripturæ tunc nasci debuisse testificabantur, nam tunc completę erant hebdomades sexaginta duæ, idest anni quatrincenti triginta quatuor à decreto Cyri de reędificatione Ierusalem, vt prædictum fuerat Danielis 9. & tunc Iudeæ Regnum translatum erat à tribu Iuda, ideoq; iuxta prophetiam Patriarchæ Iacob Genesis 49. *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec ueniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio Gentium*, venire debebat Messias, siquidem regnum translatum erat ad eos, qui nihil ad tribum Iuda, nec ex linea paterna, Ascalonita & Idumæa, nec ex materna Arabica, & ita omni ex parte alienigena.

Iu-

Iudæorum tamen nonnulli, hominem adeo profanum, vt Christum, & Messiam suscipi debere dixerunt: sed vt loquitur Hilarius c. 25. in Matthæum: *Hic est proprius Iudæorum error, ut qui ueritatem respuerunt recipiant falsitatem.* Alius fuit Herodes, istius Magni filius Philippi, & Archelai frater, Galilææ tetrarcha, qui dato libello repudij filiæ Regis Arabiæ, quam duxerat vxorem, Herodiam Aristoboli fratris sui filiam, Philippo item fratri suo nuptam, ex qua etiam filiam susceperat, ipso Philippo viuente superductam, iustæ vxoris loco habuit. Quod quum contra omnes leges factum, palam Ioannes argueret, ab eo, adultera machinante, decollatus est. Et hic est ille Herodes, à quo Dominus alba veste illusus, ad Pilatum remissus est iudicandus. Tertius fuit Herodes Agrippa, Herodis Magni nepos, Aristoboli filius, à Tiberio quidem in vinculis habitus, sed à Caligula, cui ob morum fortè similitudinem erat charus, libertate donatus, totum Iudææ regnum, exceptis Hierosolymorum Vrbe, & Chalcidis tetrarchia, sicut auus possederat, obtinuerit. Et hic Iacobum Apostolum occidit gladio, facturus idem in Petrum, quem iam in vinculis habebat, nisi ab Angelo ex illius manibus hic fuisset ereptus. De aliquo ergo ex istis nūc loquitur. & parum refert, de quo specialiter. Dies autem Herodis à Commentatoribus intelliguntur illorum Regum natalitij, vel accepti Regni: Sed malim intelligere dies festos Iudæorum. Quum enim eorum quilibet totius, vel saltem partis Iudææ fuerit Rex, per

me-

metonymiam subiecti ad se recipientis, potuit poni pro Iudæis, vel Iudæorum populo, ac Regno. Et quum dies festos propriè, specialiterque dies dicantur: nam mœsti, infelicesque in diebus non computantur, hinc dies Herodis, erunt dies festiui Iudæorum, cuiusmodi multi erant, vt Pascha, Encœniæ, & alij, & maximè Sabbatum, cuiuslibet Hebdomadæ, celebratum vbicumque Iudæi forent, cum omni lætitiæ significatione

*VNCTAQVE fenestra.* Vnctum etiam si diceretur ab vngue, quasi vngue illitum: vel ab vnum agere, nam in vnguentis, multa simul vniuntur, proximè est ab vngo, remotè vero ab vnguine, siue vnguento, & sumitur pro eo, quod est oleo, vel vnguento delibutum. Sic Cicero Philippica 3. *Nec uero M. Antonium, consulem post Lupercalia putare debuistis. Quo enim ille die, populo Rom inspectante, nudus, unctus, ebrius concionatus est, & id egit ut Collega diadema imponeret; eo die non modo Consulatu, sed etiam libertate se abdicauit.* Sumitur etiam sæpe pro sordido, & inquinato, aut perfuso pinguedine nauseam causante. Sic Horat. 2 serm. sat, 4.

*Magna mouet stomacho fastidia, seu puer unctis*
*Tractauit Calicem manibus dū furta ligurit.*

Et ita nunc hic fenestra vncta posita est pro inquinata excrementis olei è lucernis manantis.

*DISPOSITAE* digestæ, ordine collocatæ. Dispositio est apta partium ordinatio, qua nihil pulchrius, ex qua omnis ornatus, & pul-

pulchritudo consurgit, teste Columella dicente lib. 12. cap. 2 [ Præparatis receptaculis oportebit suo quidque loco generatim, atque etiam specialiter nonnulla disponere, quo facilius quum quid expostulabit vsus, recipere possit, nam vetus est prouerbium, paupertatem certissimam esse, quum alicuius indigeas, vti eo non posse, quia ignoratur vbi proiectum iaceat, quod desideratur. Itaque in re familiari laboriosior est negligentia, quam diligentia, Quis enim dubitat nihil esse pulchrius in omni ratione vitæ, dispositione, atq; ordine? Quod etiam in ludicris spectaculis licet sæpe cognoscere; nam vbi chorus canentium non ad certos modos, neque numeris præeuntis magistri consentit, dissonum quiddam, ac tumultuosum audientibus canere videtur: at vbi certis numeris ac pedibus, velut facta conspiratione consentit, atque concinuit, ex huiusmodi vocum concordia, non solum ipsis canentibus amicum quiddam, & dulce resonat, verum etiam spectantes, audientesque lætissima voluptate permulcētur. Iam vero in exercitu, neque miles, neque Imperator, sine ordine ac dispositione quidquam valeat explicare, quum armatus inermem, eques peditem, plaustrum equites, si sint permixti, confundant. Hæc eadem ratio præparationis, atque ordinis etiam in nauigijs plurimum valet: nam vbi tempestas incessit, & est ritè disposita nauis, suo quidque ordine locatum armamentum, sine trepidatione minister promit, quum est à gubernatore postulatum ] Sic Q. Cicero de petitione Consulatus ad M.

fra-

fratrem: *Quoniam eo genere amicitiarum pars-tis tua maximè initiata est, quo causarū de-fensionibus adeptus es, fac ut planè ijs in rebus, quos deuinctos tenes, descriptum, ac dispositum suum cuique munus sit.* Et Plinius l. 9. epist. 36. *Quæris quemadmodum in Thuscis diem æstate disponam? Euigilo quum libuit, plerumq; circa horam primam, sæpe ante, tardius rar , clausæ fenestræ manent mire enim silentio, & tenebris animus alitur.* Disponebant autem, seu ordine collocabant Iudæi lucernas per fenestras, in lætitiæ significationem, vt etiam apud nostrates fieri videmus. Sed præter hāc lætitię causam, Iudæi sero antecedente, lucernas accensas in aliqua fenestra habebant, quo in die festo, & vespere cum nocte sequenti, quando eas accendere, aut aliud opus seruile facere ipsis non licebat, lumen haberent, ad quod cœnare possent. Piget autem hic referre, quæ ex Iuuenale, Lactantio, & alijs, congerunt Casaubonus, & alij huius loci expositores ad lectoris vsque fastidium, de fenestris, lucernis, & viol s, quum, vt videbimus, non sint ad rem.
*PINGVEM*, crassam, spissam, densam. Nebula autem dicta pinguis per metaphoram, nam quum pinguedo sit animalium saginatorum, iuxta illud Plinij lib. 10. cap. 50. *Gallinas saginare Deliaci cępere, vnde pestis exorta, opimas aues, et suopte corpore unctas, deuorandi. Hoc primum antiquis cęnarum interdictis exceptum inuenio iam lege C. Fannij Cos. vndecim annis ante tertium Punicum bellum, ne quid volucrū poneretur præter vnam gallinam, quæ non esset altilis. Quod deinde caput translatum per omnes*

leges

*leges ambulauit, inuentumque diuerticulum est in fraude earum. gallinaceos quoque pascendi lacte madidis cibis, multo ita gratiores approbantur. Fœminæ quidem ad saginam non omnes eliguntur, nec nisi in ceruice pingui cute: postea culinarum arte, aut clunes spectentur, vt diuidantur in tergora, vt à pede vno dilatatæ repositoria occupent.* Sic Virg. 2. Georg. v. 395.

*Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram.*
*Pinguiaque in verubus torrebimus exta colurnis.*

Inde, quia sagina carnes densantur, ac spissiores, ponderosioresque redduntur, quæcumque res euaserint ponderosæ vltra suam naturam; metaphoricè impinguatæ dicuntur: & hoc modo nunc nebula densa, seu spissa, dicta est per metaphoram pinguis. Nisi malis dictam pinguem, quia emanans è pingui oleo, huius naturam sapere videtur.

*NEBVLAM*: hęc propriè est ex vapore, originato ex aquis, aut aquosis corporibus: vapor autem Solis calore in altum euectus, ac rarefactus, dissipatusque, in aerem conuertitur. Sed aliquando frigore mediæ regionis constipatus, compressusque, mutatur in aquam, niuem, aut grandinem. Sed hæc potius, quam nebula, nubes dici solet: nebula verò propriè est nubes sterilis, relicta postquam humor vniuersus ex illa effluxit, quam nec æstate, nec algentibus hyemis diebus fieri, docet his verbis Plinius lib. 2. cap. 60. *Grandinem conglaciato imbre gigni, & niuem eodem humore mollius coacto, pruinam autem ex rore gelido: per hyemem niues cadere, non grandines, ipsasq;*

*grandines interdiu sæpius, quam noctu, & multo celerius resolui quam niues. Nebulas nec æstate, nec maximo frigore existere.* Verum hic nebulæ nomine intelligitur crassa fuligo, emissa è lucernis olearijs, quæ, præter atrum colorem, ingratum etiam fundit odorem.

*VOMERE.* Vomere est ore cibum, vel humores eijcere, quod plerumq; fit ob nauseam mouentem stomachum, vt in nouis nauigantibus: aliquando ob stomachi infirmitatem, non sustinentis grauari nimietate ciborum. Sic Cicero Philippica 2. *Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate, tantum vini in Hippiæ nuptijs exhauseras, vt tibi necesse esset, in populi Rom. conspectu vomere postridie. O rem non modo visu fœdam, sed etiam auditu! Si inter cœnam, in tuis immanibus illis poculis hoc tibi accidisset, quis non turpe duceret? In cœtu uero populi Rom. negocium publicum gerens, magister equitum, cui ructare turpe esset, is vomens, frustis esculentis, vinum redolentibus, gremium suum, & totum tribunal impleuit.* Et idem pro Rege Deiotaro: *Quum inquit, vomere post cœnam te uelle dixisses, in balnea te ducere cœperunt, ibi enim erant insidiæ.* Hinc si quid forte plus æquo, vel noxiũ haustum fuerit, ex medicorum præscripto, vomitorijs eijciendum monet Celsus lib. 1. cap. 3. *Vomitus vtilior est hyeme, quam æstate, nam tum & pituita plus, & capitis grauitas maior subest. Inutilis est gracilibus, & imbecillum stomachum habentibus. Vtilis est plenis, & biliosis omnibus, si vel nimium se repleuerunt, uel parum concoxerunt: nam siue plus est, quam*

quod

*quod concoqui possit, periclitari ne corrumpatur non oportet: si uero corruptum est, nihil commodius est, quam id, qua uia primum expelli possit, eijcere. Itaque ubi amari ructus cum dolore & grauitate præcordiorum sunt, ad hunc protinus confugiendum est. Item prodest ei, cui pectus æstuat, & frequens saliua, uel nausea est, aut cui sonant aures, aut madent oculi, aut os amarum est: similiterque ei, qui uel cælum, uel locum mutat, hisque quibus (si per plures dies non uomuerunt) dolor præcordia infestat. Neque ignoro inter hæc præcipi quietem, quæ non semper contingere potest agendi necessitatem habentibus, nec in omnibus idem facit. Itaque istud luxuriæ causa fieri non oportere confiteor, interdum ualetudinis causa rectè fieri, experimentis credo. Commoneo tamen ne quis, qui ualere, & senescere uolet, hoc quotidianum habeat. Qui uomere post cibum uolet, si ex facili facit, aquam tantum tepidam ante debet assumere: si difficilius, aquæ, uel salis, uel mellis paullum adijcere. At qui mane uomiturus est, ante bibere mulsū, uel hyssopum, aut esse radiculum debet, deinde aquam tepidam, ut supra scriptum est, bibere* Nonnumquam vomere sumitur metaphoricè pro fundere sanguinem è vulnere. Sic Virgil. 9. Æn. vers. 349.

*Purpuream uomit ille animam, & cum sanguine mista*
*Vina refert moriens.*

Et eodem lib 9. versu 414.

*Voluitur ille uomens calidū de pectore flumen*
*Frigidus, & longis singultibus ilia pulsat.*

Metaphoricè etiam dictum vomere vndam à Vir-

à Virgilio 2. Georg. verſu 462.

*Mane ſalutantum totis uomit ædibus undam.*
Pulchrè (ſubdit Macrobius l.6.cap.4.) vomit vndam, & antiquè; nam ait Ennius: *Et Tyberis flumen uomit in mare ſalsũ*, vnde & nũc vomitaria in ſpectaculis dicimus, vnde homines glomeratim ingredientes in ſedilia ſe fundũt. At hic catachreſticè, lucernæ exhalantes fuliginem, dictæ vomere nebulam.

*PORTANTES*, ferentes, geſtantes. Sic Plinius de apibus loquens ait lib 11. c. 17. *Quum proceſſere ſe quæque proximam illi cupit eſſe, & in officio conſpici gaudet: feſſum, humeris ſublenant, ualidius fatigatum ex toto portant.* Portare dicitur, & de alijs, ſed vt ad rem præſentem de viuentibus, fructus, vel fœtus ramis, vel vtero geſtantibus. Hinc lucernæ portantes violas illæ erunt, quæ putres ſuſtinent fungos, natos vel ob aeris humiditatem, vel ob olei fęces, vel quia, diu ardentes, emunctę, & purgatæ non fuerunt. Hi ergo fungi putres in lucernis ardentibus nati, dicuntur nunc violæ, ſiue per ironiam, vel euphoniſmum, ſiue per metaphoram, violas enim in colore referunt, & figura. Scio alios interpretatos de violis propriè dictis, de quibus nos ad ſatyræ 1. verſum 32, quaſi in diebus feſtis moris fuerit, lucernas violis coronare Sed vt contra ebrietatem coronabantur conuiuantium tempora, & atria tricliniaque floribus ſpargebantur, vt etiam eromenarum poſtes, ita de floreis lucernarum coronis nuſquam apud antiquos memini me legiſſe. Decebat autem pauperum, deſpectorumque Iudæorum feſtis diebus,

bus, lucernas putribus potius fungis, quam suaueolentibus floribus paratas habere: maximè quum vespere præcedenti accensæ, ad subsequentem vsque noctem non emunctæ perseuerauerint, ne ipsi seruile quidpiam operarentur.

*RVBRVMQVE amplexa catinum.* De catino diximus ad satyræ 3. versum 111. esse vas escarium, quo pultes, olera cocta, & alia iurulenta, mensis inferuntur: & ita nunc sumitur, ideoque cauda thynni dicta natare, quia cum iure fuerat delata. Placet autem Casaubono, catinum denominatum rubrum, quia fictilia miniari, varijsq; figuris, & imaginibus ornari solent. Sed conuenientius ad Iudæorum paupertatem, puto denominatum rubrum, ob rusticitatem, quia naturali tantum argillæ colore insignitus erat.

*CAVDA natat thynni*, piscis notissimi ex cetorum genere, qui nedum in Propontide apud Bizantium, sed Gadibus etiam in Hispania copiosissimè capitur, maxima cum accolarum vtilitate, nam inde saliti, tota fermè Europa distrahuntur. De eis sic Plinius l.9.c.15. [ Præcipua magnitudo thynni: Inuenimus talenta quindecim pependisse, eiusdē caudę latitudinem duo cubita, & palmum. Et subdit: Thynni mares, sub ventrem non habent pinnam: intrant è magno mari Pontum, verno tēpore gregatim, nec alibi fœtificant, cordylla appellatur partus, qui fœtas redeuntes in mare, autumno comitatur, limosæ vero à luto pelamides incipiunt vocari, & quum annuum excessere tempus, thynni. Hi membra-

tim cæsi, ceruice, & abdomine commendantur, atque clidio recenti dumtaxat, & tunc quoq; graui ructu cætera parte plenis pulpamentis sale asseruantur, melandria vocantur, cęsis quernis assulis simillima. Vilissima ex his, quæ caudæ proxima, quia pingui carent: probatissima, quæ faucibus: at in alio pisce circa caudam exercitatissima. ] Hæc adduximus ad intellectum huius loci. Inter cæteras ergo thynni partes, cauda vt minus habens pinguedinis, ita insubidior erat, & vilioris pretij, ideoque proprius Iudæorum cibus, quia ob paupertatem, vel auaritiam, emunt & comedunt ab alijs despecta, quia pretij vilioris. Et hæc cauda dicitur amplexa catinum, vt eius agnoscas magnitudinem, nam licet catinus sit vas amplissimum, eius nihilominus latitudinem, thynni cauda superabat, & ex vtraque parte dependens, ipsum amplecti videbatur.

*TVMET*, metaphoricè superbit, inflatur, sibi complacet, & vaneglori iatur, spiritus sumés altiores. Sic Plinius lib. 7. cap. 7. *Miseret, atq; etiã pudet a pud extimantes, quã sit friuola animalium superbissimi origo, quum plerumque abortus causa fiat odor à lucernarum extinctu. His principijs nascuntur tyranni, his carnifex animus. Tu qui corporis uiribus fidis: tu qui fortunæ munera amplexaris, & te ne alumnum quidem eius existimas, sed partum; Tu cuius semper in uictoria mens est. Tu qui te Deum credis, aliquo successu tumens, tanti perire potuisti, atq; etiam hodie minoris potes.* Sed propriè est inflari, turgescere, quum corpus necesse habet

am-

ampliorem occupare locum. Sic Cicero 3. Tuscul. *Non inscite Heracleotes Dionysius ad ea disputat, quæ apud Homerum Achilles queritur, hoc ut opinor modo.*

*Corq; meum penitus turgescit tristibus iris,*
*Quum decore atque omni me orbatum laude recordor.*

*Num manus affecta est rectè quum in tumore est? aut num aliquod quodpiam membrum, tumidum, ac turgidum, non uitiosè se habet? Sic igitur inflatus, ac tumens animus, in uitio est. Sapientis autem animus semper uacat uitio, numquam turgescit, numquam tumet.* Sic Virgil. 2. Georg. vers. 324.

*Vere tument terræ, et genitalia semina poscũt.*

Sic Plaut. Asinaria Actu 2. scena 5.

*Quid hoc, hic in collo tibi tumet.*

Sic Ouid. 3. Metam.

*Hoc conditus antro*
*Martis anguis erat, cristis præsignis, & auro*
*Igne micant oculi, corpus tumet omne ueneno.*

Et Tibull. lib. 1. eleg. 9.

*Et tua iam fletu lumina fessa tument.*

Verum catachrestice fidelia, siue vas argillaceum, dictum tumere, solida namque & dura non inflantur, vt ampliorem occupent locum, vt vtres, & alia molliora, & cedentia. Intelligimus ergo in primis fideliã fuisse vas, quodcumque plenum albo vino, vel fideliam albam plenam quocumque vino: & hæc erat altera pars festiui Iudæorum conuiuij, consistentis in cauda thynni, & vini fidelia, quæ dicta tumere ob eiũs ventris latitudinem. Possemus & aliter totum hunc locum interpretari, vt ca-

catinus, per senecdochen vnius speciei pro alia, ponatur pro quocumque vase vinario, quod amplectitur à thynni cauda salta, sic enim sitim accendendo, compellit confugere ad armillum: consueuimus enim dicere, amplecti ea, quæ ardenter cupimus, per metonymiam effectus: & ita cauda thynni amplectitur, quia vrget ad amplectendum. Et ex eo, quod ex modico cibo salito, multum bibatur, duo sequuntur, primum quod cauda thynni natet in vino in stomachum demisso: aliud quod fidelia alba, nempe venter bibentis, tumeat & infletur: atque adeo fidelia metaphoricè ponitur pro ventre, verum hic propriè dictus est tumere, & inflari.

*FIDELIA* ad satyræ 3. vers. 73. dictum est vas Samium fictile, multis vsibus proportionatũ, sed per senecdochen sumitur pro œnophoro, & vase vinario, vt metaphoricè dicimur ex eadem fidelia duos dealbare parietes, significantes, eadem opera duos demereri; quo prouerbio vsus Curio Ciceroni scribens lib. 7. epist. 29. *Sed amice magne, inquit noli hanc epistolam Attico ostendere: sine eum errare, & putare me uirum bonum esse, nec solere duos parietes de eadem fidelia dealbare.* Verum hic accipi debet pro vase vinario, vel pro ventre animalis, idest hominis, vt diximus.

*LABRA moues tacitus.* Mirum in quot ineptias inciderint huius loci expositores. In primis singularitatis amator, Casaubonus, vult hęc verba à superioribus esse separanda, quia hic agatur de superstitionibus. Verum id non

est

est admittendum, quum hæc sit apodasis, seu redditio illius protasis, At quum Herodis venere dies: sensus enim est: Quum venerint dies Herodis, & festiui Iudæorum, tu sub silentio labra mouebis; quomodo ergo, το Moues labra, separabitur à prioribus, si per τὸ, Quum, illis coniungitur? Hoc singulariter aduersus Casaubonum. Ceterum tam ipse, quam omnes alij, quos viderim, exponunt, tacitum mouere labra, esse precari silentio, quasi idem significetur hic ac in verbis Horatij lib. 1. epistola 16. *Labra mouet metuens audiri.* At id nō esse verum, constabit ex nostra expositione. Nam quamuis tacitè orans labra quandoque moueat, non tamen id voluit Persius: & multo minus, quod putat Casaubonus, hic tangi superstitionem Iudæorum, procedentium in publicum cum suis fimbrijs, & philacterijs, diuinorum aliquid semper meditando. Id Casaubono superstitiosum videtur, non ex eo, quod ab illis fortè fiebat ad ostentationem, sed quia non arridet Diuinum consilium: *Sine intermissione orate.* Et: *Sic luceat lux nostra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in Cælis est:* Nec quia de Diuinis meditarentur: quasi melius occupaturi mētes fuissent, cogitādo de nugis, & fabulis poetarum, aut grammaticorum quæstionibus, in quibus, & fortè peioribus innutritus ipse consenuit. Sed vtinam Christiani omnes interdiu, noctuq; priuatim ac publicè, (absque tamen propriæ, & humanæ glorię appetitu) Dei legem meditarentur, id enim ad exactissimam pertinet religionem,

quam, Antichristi Ministri Caluinistæ, cum ipso Casaubono, perditam volebant. Nec Casaubonus in hoc dumtaxat religionem impugnat, sed maximè in eo, quod tacitum mouere labra, retulit ad peccatorum confessionem secretam, & auricularem. Deo tamen gratias, quod Casaubonus, vnus ex Caluinistis, confessionem sacramentalem negantibus, & asserentibus eam esse nouum Papistarum inuentum, dicat, Persij, idest Neronis temporibus, & ante gloriosum Petri, & Pauli triumphum, adeo fuisse in praxi, vt Persius, quãuis Ethnicus, illius habere potuerit notitiam. Verum non est huius loci probare confessionis secretę, & auricularis antiquitatem, aut Diuinum de illa præceptum, vel alia ad religionem spectantia, quæ à Casaubono, & Caluinistis, vt superstitiosa deridentur. Sed, vt ad Persium redeamus, reiecta iam aliorum interpretatione, dicimus, tacitum mouere labia, esse, gestu, & motu labiorum, glutiendo saliuam, ostendere ventris inanitatem, & cibi, præ oculis positi, sed quem attingere non daretur, desiderium. Famelici namque, qui diu, cum inedia conflixerunt, dum cibum aspiciunt, vel de eo loqui audiunt, aut eius recordãtur, affluẽtem saliuam, quasi linguę, & sensus gustus ministram, glutiunt, in quo glutiendi actu, labra mouentur, & sic pręseferunt comedentis gestum. Et hęc interpretatio consonat textui, nam ille qui edendis ludis, spargendisque missilibus, vt ambitioni seruiret, patrimonium prodegerat, nunc non habens vnde famem explere, & videns Iudæos, in suis festis diebus,

tam

tam parcè sibi obsonare, tacitus mouet labia, nedum talium ciborum desiderio, sed etiam considerando, potuisse se, nedum conseruare, sed etiam augere bona à maioribus accepta, si tam frugaliter victitare didicisset, nec, ambitioni seruiens, tam turpiter illa prodegisset, vt ad eam deueniret mendicitatem, qua tunc premebatur: idque confirmatur per verba subsequentia: *Recutitaque Sabbata palles*, in quibus est Epimone, seu Exergasia, & repetitio eiusdem sententię.

*RECVTITAQVE Sabbata palles*. Sabbata dies festus Iudæorum, dicta recutita, per eam metonymię speciem, qua adiunctum tribuitur alteri adiuncto eiusdem subiecti. Esse namque recutitum, non potest dici propriè de Sabbatis, benè vero de Iudæis Sabbata custodientibus: & ambo eidem subiecto, nempe Iudęis conueniunt: & quia Quę sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, epitheta ista identificata cum Iudæis, tribuuntur ad inuicem, vt dicantur Sabbata recutita. Sabbati autem nomine intelligi potest tam dies septimus, quam quilibet alius hebdomadę, iuxta illud Pharisęi Lucę 18. *Ieiuno bis in Sabbato*, id est bis in hebdomada, seu duobus hebdomadæ diebus. Verum huiusmodi dies non dicebantur simpliciter, sed cum addito, Sabbati, vt prima, vel secunda Sabbati: at septimus absolutè Sabbatum nuncupabatur: & hic erat festiuus, in quo Dominus, facta mundi creatione, cessauerat ab omni opere suo, iuxta illud Genesis 2. *Compleuitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat; & requieuit die septimo ab*

*uniuerſo opere, quod patrarat, & ſanctificauit illum, quia in ipſo ceſſauerat ab omni opere ſuo.* Et præcepit, vt Iudæi ſimiliter ab omni opere quieſcerent, Exodi 20. *Memento, ut diem Sabbati ſanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua, ſeptimo autem die Sabbatum Domini Dei tui eſt, non facies omne opus in eo, tu, & filius tuus, & filia tua, ſeruus tuus, et ancilla tua, iumentum tuum, & aduena qui eſt intra portas tuas: ſex enim diebus fecit Dominus Cœlum, & terram, & mare, & omnia quę in eis ſunt, & requieuit in die ſeptimo, idcirco benedixit Dominus diei Sabbati, & ſanctificauit eum.* Arctiori enim ab operibus abſtinentia Iudæi, quam Gentiles feſta celebrabant, illis enim nullum permittebatur opus, iſtis multa licebant, vt docet Columella l. 2. c. 22.

*Sunt enim, ut ait poeta, quę feſtis exercere diebus*
*Fas & iura ſinunt: riuos deducere nulla*
*Relligio uetuit, ſegeti prætendere ſepes*
*Inſidias auibus moliri, incendere uepres*
*Balantumque gregem fluuio merſare ſalubri.*

*Quamquam Pontifices negent ſegetem ferijs ſepiri debere: uetant quoque, lanarum cauſa, lauari oues, niſi propter medicinam. Virgilius, quod liceat ferijs flumine alluere gregem præcipit, & idcirco adiecit fluuio merſare ſalubri: ſunt enim uitia, quorum cauſa utile ſit lauare. Ferijs autem, ritus maiorum etiam illa permiſit, far pinſere, faces incendere, candelas ſebare, uineam cōductā colere, piſcinas, lacus, foſſas ueteres tergere, & purgare, prata ſicilire, ſtercora aquare, fœnum in tabulata compōnere, fructus oliueti*

con-

*conductos cogere, mala, pyra, ficus pandere, caseum facere, arbores serendi causa collo, vel mulo clitellario afferre, sed iūcto aduchere non permittitur, nec apportata serere, neque terram aperire, neque arborem collocare, sed ne sementem quidem administrare, nisi prius catulo feceris: nec fœnum secare, aut vincire, aut vehere, ac ne vindemiam quidem cogi per Religiones Pontificum ferijs licet, nec oues tondere, nisi si catulo feceris. Defrutum quoque facere, & defrutare vinum licet: vuas, itemque oliuas conditui legere licet: pellibus oues uestire non licet In horto quidquid olerum causa facias, omne licet. Ferijs publicis hominem mortuum sepelire non licet. M. Porcius Cato, mulis, equis, asinis, nullas esse ferias dixit.* Iudæi autē nihil omnino operabantur, adeo nec ignem accenderent, nec cibos his diebus sibi præparabant. Ex quo factum est, vt Sabbatis ieiunium seruare crederentur, in quo & Augustus errauit, vt refert Suetonius in Octauio cap. 76. dicens: *Ne Iudæus quidem, mi Tiberi, tam diligenter Sabbati ieiunium seruat, quam ego hodie seruaui, qui in balineo demum, post horam primam noctis, duas buccas manducaui, prius quā vngi inciperem.* Verū illi die præcedēti præparatos cibos, mensæq; illatos, Sabbatis absq; labore comedebāt. Lucernas tamen non accendebant, quod Seneca ad religionem & Deorum cultum pertinere dixit epistola 95. *Quomodo sint Dij colendi solet præcipi. Accendere aliquis lucernam Sabbatis prohibemus, quoniam nec lumine Dij egeant, & ne homines quidē delectātur fuligine.* Adeo sollēne fuit abstinere à præparatione cibi in die

Sab-

Sabbati, vt ne manna colligere eis liceret, sed die sexto collectũ, sine putrefactione seruatũ fuerit, vt dicitur Exodi 16. *Requies Sabbati sanctificata est Domino cras: quodcumque operandum est, facite, & quæ coquenda sunt, coquite, quidquid autem reliquum fuerit, reponite, vsque mane. Feceruntque ita vt præceperat Moyses, & non comparuit, neque vermis inuentus est in eo. Dixitque Moyses comedite illud hodie, quia Sabbatum est Domini, non inuenietur hodie in agro. Sex diebus colligite, in autem septimo Sabbatum est Domini, idcirco non inuenietur. Venitque septima dies, & egressi de populo, vt colligerent, non inuenerunt. Dixit autem Dominus ad Moysen: Vsquequo non vultis custodire mandata mea, & legem meam? videte, quod Dominus dederit vobis Sabbatum, & propter hoc sexta tribuit vobis, cibos duplices: maneat vnusquisque apud semetipsum, nullus egrediatur de loco suo die septimo.* Nec de ieiunio Sabbatino Iudæorum tantum, decepti fuere Gentiles, sed de multis alijs eorũ obseruãtijs, putantes eos asininum caput, vel porcum adorare. Hinc Tacitus Historiarum lib. 5. cap. 1. ait: *Iudæorum initia clara, Solymos, carminibus Homeri celebratam gentem, conditæ Vrbi Hierosolymam nomen è suo fecisse. Plurimi autores consentiunt, orta per Ægyptum tabe, quæ corpora fœdaret. Regem Occhorim, adito Hammonis ora ulo remedium petentem, purgare regnum, & id genus hominum vt inuisum Deis, alias in terras auehere iussum, sic conquisitum collectumque vulgus, post quam vastis locis relictum sit, cæteris per lacrymas torpentibus, Mosen vnum exulum monuisse,*

ne

*ne quam Deorum hominumue opem expectarent, sed sibimet vt Duci cælesti crederent primo, cuius auxilio credentes, præsentes miserias pepulissent. Assensere, atque omnium ignari, fortuitum iter incipiunt, sed nihil æquè, quam inopia aquæ fatigabat, iamque haud procul exitio, totis campis procubuerant, quum grex asinorum agrestium è pastu in rupem nemore opacam concessit. Secutus Moses coniectura herbidi soli, largas aquarũ venas aperit. Id leuamen, & continuum sex dierum iter emensi, septimo, pulsis cultoribus, obtinuere terras, in quibus & templum dicata sunt. Moses quo sibi in posterum gentem firmaret, nouos ritus, contrariosque cæteris mortalibus indidit. Profana illic omnia, quæ apud nos sacra. Rursum concessa apud illos, quæ nobis incesta. Effigiem animalis, quo monstrante errorem sitim, que dispulerant, penetrali sacrauere, cæso ariete, veluti in cõtumeliã Hãmonis. Bos quoq; immolatur, quẽ Ægyptij Apin colunt. Sue abstinent, memoria cladis, quod ipsos scabies quondam turpauerat, cui id animal obnoxium. Longam olim famem, crebris adhuc ieiunijs fatentur, & raptarum frugum argumentum panis Iudaicus, nullo fermento detinetur. Septimo die otium placuisse ferunt, quia is finem laborum tulerit: dein oblãdiente inertia, septimum quoque annum ignauiæ datum. Hi ritus quoquo modo inducti, antiquitate defenduntur, cætera instituta, sinistra, fœda, prauitate valuere: nam pessimus quisque spretis religionibus patrijs, tributa & stipes illuc congerebãt, vnde auctæ Iudæorum res: Et quia apud ipsos fides obstinata, misericordia in promptu, sed aduersus omnes alios hostile odium, separati epu-*

*lis,*

*is, discreti cubiculis, proiectissima ad libidinem gens, alienarum concubitu abstinent, inter se nihil illicitum; circumcidere genitalia instituere, vt diuersitate noscantur: transgressi in morem eorum idem vsurpant. Nec quicquam prius imbuuntur, quam contemnere Deos, exuere patriã, parentes, liberos, fratres vilia habere. Augendę tamen multitudini consulitur, nam & necare quemquam ex ignotis, nefas, animasque pręlio, aut supplicijs peremptorum, æternas putant: hinc generandi amor, & moriendi contemptus.* Illud vero de adoratione porci, Gentiles illis adscripsere, quia Iudæi à suilla abstinent carne, adeout Machabæi fratres, Eleazarus, & alij multi, acerrimos cruciatus, & mortem perpeti maluerint, quam suillam comedere, vel comedisse simulare. Id Ethnici fieri credebant, quod porcum adorarent, vnde Petronius ait:

*Iudæus licet, & porcinum numen adoret.*
*Et Cæli summas aduocet auriculas:*
*Ni tamen & ferro succiderit inguinis oram,*
*Et nisi nudatum soluerit arte caput:*
*Exemptus populo, Graiam migrabit ad vrbem,*
*Et non ieiuna Sabbata lege premet.*

Sic Iuuenalis satyra 6. vers. 158.

*dedit hunc Agrippa sorori*
*Obseruant vbi festa mero pede Sabbata Reges,*
*Et vetus indulget senibus clementia porcis.*

Et idem Iuuen. sat. 14. vers. 16.

*Quidam sortiti metuentem Sabbata patrem*
*Nil pręter Nubes, & Cæli Numen adorant,*
*Nec distare putant humana carne suillam,*
*Qua pater abstinuit, mox & præputia ponunt.*

Sed

Sed nihil magis Iudæorum proprium, quam Circumcisio, quam eis per Abraham in signũ specialis, & à se electi populi Deus dedit, dicẽs Genes. 17. *Hoc est pactũ meum, quod obseruabitis inter me & vos, & semen tuum post te: Circumcidetur ex vobis omne masculinum, & circumcidetis carnem præputij vestri, vt sit in signũ fœderis inter me, & uos.* Hinc Iudæi à Gentilibus audiebant, Curti, Verpi, Apellæ Recutiti. Sic Horat. 1. serm. sat. 9.

*Hodie tricesima Sabbata, uin' tu*
*Curtis Iudæis oppedere? nulla mihi inquam*
*Religio est*

Et Iuuenalis sat. 14. vers. 100.

*Romanas autem soliti contemnere leges*
*Iudaicum ediscunt, & seruant, ac metuũt ius*
*Tradidit arcano quodcumq; volumine Moses:*
*Non monstrare uias, eadem nisi sacra colenti,*
*Quæsitum ad fontem solos deducere Verpos.*

Apellas dixit Horat. 1. ser. sat. 5.

*credat Iudæus apella*
*Non ego, namque Deos didici securum agerẽ æuum.*

Dicti recutiti, quia resectis præputijs, caro retrocessisset, nam re est retro. Sic Martial. lib. 7. epigr. 29.

*Nec recutitorum fugis inguina Iudæorum.*

Et licet ante Christi aduentum gloriari deberent de hoc signo, quo deputabantur in populum, cum quo, sub Abrahæ persona, fœdus inire, iureque iurando se obstringere Deus dignatus fuerat, quidam ex ipsis, in Gentium morem abeuntes, signum illud sibi contumeliosum putantes, vt ignominiam fugerent, se-

fecerunt sibi præputia, ideſt medicamentis ſatagerunt, vt caro illa renaſceretur. Quod nedum Ioſephus, & alij dixerunt. Sed 1. Macchabæorum 1. legimus: *In diebus illis exierunt ex Iſrael filii iniqui, & ſuaſerunt multis dicentes: Eamus, & diſponamus teſtamentum cum Gentibus, quæ circa nos ſunt, quia ex quo receſſimus ab eis, inuenerunt nos multa mala. Et bonus uiſus eſt ſermo in oculis eorum, & destinauerunt aliqui de populo, & abierunt ad Regem, & dedit illis poteſtatem, ut facerent iuſtitiam Gentium. Et ædificauerunt gymnaſium in Hieroſolymis ſecundum legem Nationum, & fecerunt ſibi præputia*. Sabbata igitur recutita, hic intelliguntur dies feſtiui Iudæorum.

*PALLES*. Pallere eſt cutem liueſcere, plumbeum contrahendo colorem, illoque deſtitui viuido, florido, ac rubicundo, quem ſanguis præſtabat: quod ex multis accidit cauſis: primo ex diuturna meditatione, vt diximus ad proœmij verſum 4, & ſupra verſu 63. Secundo ex ſubito, ac repentino metu, vt diximus ad ſatyræ 3. verſ. 43. Tertio ex eo, quod corpus ſanguine fuerit exhauſtum, vt accidit Paulinæ vxori Senecæ, de qua ſic Tacitus l. 15. c. 9. [ Nero nullo in Paulinam proprio odio, ac ne gliſceret inuidia crudelitatis, inhiberi mortem imperat. Hortantibus militibus, ſerui libertique obligant brachia, premunt ſanguinem, incertum an ignaræ: nam vt eſt vulgus ad deteriora promptum, non defuerunt, qui crederent, donec implacabilem Neronem timuerit, famam ſociatæ cum marito mortis petiuiſſe; deinde oblata mitiore ſpe, blandimen-

mentis vitæ euictam. Cui addidit paucos post-
ea annos laudabili in maritum memoria, &
ore ac membris in eum pallorem albentibus,
vt ostentui esset, multum vitalis spiritus ege-
stum.] Quarto, Vniuersim pallor nascitur ex
eisdem causis ex quibus fit, vt sanguis exterio
rem deserat cutem, siue sit metus, quo sãguis,
suppetias cordi laturus, ab exteriori recedit;
siue morbus, maximè longus, quo corpus san-
guine exhauritur: siue fames, & diuturna
inedia, qua reparari prohibentur partes à na-
turali calore absumptæ. Inter cæteras huius-
modi causas est cupiditas, & ardens desideriũ
rei potiundæ, vnde Ouid. 1. de Arte:

*Palleat omnis amans, color hic est aptus amãti*
*Hoc decet, hoc multi non naluisse putant.*
*Pallidus in Lyrice siluis errabat Orion*
*Pallidus in lenta Naiade Daphnis erat.*

Hinc pallorem affert desiderium coniunctum
desperationi potiundæ rei. Et etiam si ea lar-
concedatur, adhuc pallor indicat desiderij ma-
gnitudinem vehementem. Hinc ambitiosus,
qui sua prodegerat bona, nunc in mendicita-
tem lapsus, ad aspectum vilium, & Iudaicarũ
epularum, ex desiderio tabescit, & pallet. Scio
quosdam dicere hunc pallorem processisse
ex longa ieiuniorum abstinentia. Sed nunc nõ
est sermo de Iudæis pallentibus Sabbata re-
cutita. Proprijssimè autem dicimus aliquem
pallere desiderio rei, & ad illius conspectum:
& ita pallebat hic cupiditate vilium Iudaico-
rum ciborum, vt caudæ thynni, &c. Et habet
hoc verbum miram emphasim, & exaggeratio-
nem: non enim ambitiosus iste pallebat desi-

derio

derio Apicianarũ Lucullianarum, aut ſimiliũ delicioſorum cęnarum, ſed pauperum Iudęorum. Ex quo datur intelligi quanta foret eius paupertas. Caſaubonus vult pallorem hunc proceſſiſſe eo, quod iſte luto fuiſſet illitus, propterea quod humi procumbens, & proſtratus oraſſet: quem orandi morem, vt & eorum qui diutius Numinis adſident ſimulachro, ex Plutarcho, vt ſuperſtitiosũ reprehendit. Sed textus nihil hic habet de proſtratione, vel longa oratione. Et Plutarchum, vt Ethnicum nihil moror: numquid autem Caſaubonus ex Chriſtiana, & Reformata religione (ſic enim Caluiniſtæ dici volunt) Chriſtum Religionis autorem, ac magiſtrum, ſuperſtitionis audet damnare? Perfricet frontem, & dicat hunc etiam ſuperſtitione detentum, nam nos Eccleſiæ Romanæ filij, hunc ſequi malumus, qui Marci 14. *Quum proceſſiſſet paululum, procidit ſuper terram, & orabat.* Et Matthæi 26. *Progreſſus pauxillum procidit in faciem ſuam orans.* Non quod in ſolis iſtis externis, & corporalibus actibus, ſit ſolida, & vera religio: quin potius dicitur 1. Timoth. 4. *Corporalis exercitatio ad modicum vtilis eſt*, adeout qui ſolis iſtis externis (quę iuſtitiæ carnis dici poſsũt) niteretur, longè à vera aberraret pietate, quum vera religio ſedem in corde habeat, qua cognoſcentes tum noſtram vilitatem, qua ex nihilo ſumus, & niſi à Deo indeſinenter conſeruaremur, in nihilum relaberemur: tum Dei infinitam gloriam, maieſtatem, atque potentiam, hanc veneramur, eique nos totos reddimus ex intimis præcordiorum medullis.

Sed

Sed quod huiusmodi externæ cæremoniæ sint protestatiuæ eius, quem corde gerimus deuotionis affectum, & ad eumdem prouocēt aspicientes, &, si fortè in nobis tepuerit, excitet ad eumdem. Displicet autem Casaubono diutius Deo adsidere: nam fortè ei melius videtur morari in theatris, lustris, aut popinis: Cęterum, vt de aliis taceam, ipse Dominus Lucę 6. *erat pernoctans in oratione Dei*: & eiusdem Lucæ 17. *Factus in agonia prolixius orabat.* Et hunc Christiani audire, & imitari tenemur iuxta Dei præceptum dicentis Matthæi 17. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite*, non vero impium Casaubonum.

*TVNC nigri Lemures, ouoque pericula rupto, tunc grandes Galli, & cum sistro lusca sacerdos, incussere Deos inflantes corpora, si non prædictum ter mane caput gustaueris alli.* Putantes sermonem esse de seruitute superstitionis, exponunt; Tunc, idest quum quis fuerit occupatus tali seruitute, apparent ei terriculamenta Lemurum, & audit sonos. At nos dicimus: Tunc, quando scilicet quis patitur, vel passus fuit longam ventris inanitatem, & ex ea natam, virium debilitationem, defectumque spirituum tam vitalium, quam animalium: aut quum multis quidem, sed noxiis cibis se ingurgitauit, apparent ei nigri Lemures, laruæ, & spectra terrefacientia nedum dormientes, sed etiam vigilantes, nata ex commotione phantasmatum in cerebro. Quum enim cibus, & potus salubris, moderatè sumptus fuerit, stomachi & capitis vires fouentur, & sustentantur,

tur, ideoque tunc laruæ non apparent: A quum longam sustinuerunt inediam, spectra videntur: Vt enim pueri frequenter ludunt in ædibus vacuis, secus in frequentatis ab habitatoribus: ita ventre, ac cerebro per inediam exinanitis, discurrunt in eo phantasmata monstruosarum laruarum: vt etiam si supra modū noxijs fuerint repleta, nam tunc è stomacho ascendunt ad cerebrum fumi, confundentes simulachra in eo reposita, vt fiant tam soni, & sibili cum totius, nedum capitis, sed etiam corporis concussione, quam imagines interdū terrefacientes animos etiam constantissimos. Vnde consequenter ad nostram interpretationem de mendicitate, ad quam venerat ambitionis seruus, dicimus: visiones Lemurum, & alia, quæ subijciuntur proueniss, vel ex inedia, & ventris vacuitate, vel ex immodica repletione noxiorum: intelligimus enim mendicum illum, non valentem impensas, vel pauperis Iudæi pro cœna facere, vt tamen diutinæ fami, & ventris inanitati satisfaceret, noxijs se ingurgitauisse, pomis puta adhuc acerbis, vel putrescentibus, aut cariosis, & qualibuscumque oleribus, affatimque bibisse aquā, vel vinum vappescentem, aut secundarium: ex quibus facta est vaporatio indigesta causans sonos, & visiones illas, de quibus nunc est sermo. Lemures autem credebantur vmbræ defunctorum, quæ noctu apparerent, ita dictæ à Remo, quasi Remures, cuius occisi, & sibi infesti, versantisque ante oculos, vmbram Romulus placaturus, Lemuria instituit celebranda tribus primis Maij diebus. Vnde

Ale-

Alexander ab Alexandro lib.2:cap.5 ait.Virgines publicis festis non dabantur nuptui: viduas vero nubere, fas erat. At mense Maio, quo Lemuria, vt occisi Remi vmbra placaretur, instituta sunt, & dum feralia, siue parentalia fiunt, ac diebus impuris, & quibus ancylia in temploMartis nondum condita sunt, vel festis diebus, & mense Iunio, nisi post Idus, quemquam nuptiis copulari, religiosum erat. Et idem lib.3.cap.12.inquit: Funestam familiam, aut hominem funere pollutum, nec ędes Deorum dedicare, nec publica sacra facere posse, liquet, nisi in Lemuralibus, & Parentalibus, in quibus inferiis, Diis dare inferias vsus obtinuit, quo tempore ædes Deorum clausæ iacent. In Lemuralibus fabam noctu iacere vsurpatum est, Lemures se ex domo eiicere clamantes: quam nigram esse conuęnit, ipsamque lotis manibus, & pede nudo per ora versare, & post terga reiicere, ærisque tinnitum facere, vtque Lemures fabis redempti, domo abirent, nouies orare: idque mense Maio tribus noctibus fieri, donec solutis religione animis, Manes expiatos ducerent. Parentalibus assumere fabas vsus obtinuit, sicut in peruigiliis cicer. Ac ferales cœnas lentesque & offas ad sepulchra illorum ferre, quibus parentare ius erat: quę etiam Feralia à ferendis epulis dicta sunt, quas in defunctorum sepulchris super nudam silicem apponebant. Sic ergo Lemures putati sunt esse spectra noctu apparentia, maximè circa sepulchra, eos terrefacientes, quibus apparuissent, eisque quidam Diuinitatem inesse dixerunt.

Sed

Sed alij credide-runt Lemures esse animas defunctorum, sed prauas: nam illi Manium, qui vitã honestã duxissẽt, fato functi, Vrbiũ euadebant, aut domorum custodes, seu tutelares, Larium nomine honestati; qui vero vitijs inquinatam duxissent, vt tyranni, vel sacrilegi, nec vita functi hominibus omittebant obesse, facti Lemures, larue, vel spectra, obuios terrefacientia. Et quamuis aliqui talium apparitionibus non terrerentur, id non procedebat ex fortitudinis, & constantię virtute, sed ex eo, quod, Deo permittente, diabolus vanam hanc nutriebat persuasionem, alioquin semper diabolus peccatorib⁹ terribilis est, vt eis quos superauerit & seruos, ac vinctos reddiderit. Iusti vero eum merito derident, quia eũm deuicerunt, quod aduertit Gregorius in illud Iob.cap.4. Tigris perijt eo, quod non habuerit prædam: dicens lib.5.cap.16. Translatione septuaginta interpretum, nequaquam Tigris dicitur, sed mirmicoleon perijt eo, quod non haberet prædam: Myrmicoleon quippe paruũ valdè est animal, formicis aduersum, quod se sub puluere abscondit, & formicas frumenta gestantes interficit, interfectasq; cõsumit. Myrmicoleon autem Latinè dicitur, vel formicarũ leo, vel certè expressius formica pariter, & leo Rectè autem formica, & leo nominatur, quia sicut volatilibus, seu quibuslibet alijs minutis animalibus formica est, ita ipsis formicis leo, has enim quasi leo deuorat, sed ab illis quasi leo deuoratur. Rectè diabolus myrmicoleon, idest leo, & formica dicitur, formicis enim leo est, volatilibus formica, quia nimirũ anti-

antiquus hostis, sicut contra consentientes fortis est, ita contra resistentes debilis, si enim eius suggestionibus assensus præbeatur, quasi leo tolerari nequaquã potest: si autẽ resistatur, quasi formica atteritur. Alijs ergo leo est, alijs formica: quia crudelitatẽ illius carnales mẽtes vix tolerãt, spirituales vero, infirmitatẽ illius pede virtutis calcãt. Hęc Gregorius. Itaq; non, nisi conniuentes, permittunt quosdam infidelium securè coram eos agere, vt sic vanè glorientur, & superbiant, vt ille de quo Horat. epistolarum lib. 2. epist. 2.

*Somnia, terrores magicos, miracula, sagas*
*Nocturnos Lemures, portentaq; Thessala rides.*

Alij dixerunt Lemures esse animas illas, quæ oblitæ suæ originis, adeo diligunt corpora, quibus fuerãt vnitæ, vt etiam quum, per mortem, diuortium ab illis fecerunt, a loco saltem sepulchri nequeunt auelli, indeque hominibus apparentes, eos terrefaciunt; idque innuit Apuleius in sua Apologia dicens At tibi duat Deus iste, semper obuias species mortuorum, quidquid vmbrarum est vsquam, quidquid Lemurum, quidquid Manium, quidquid Laruarum oculis tuis eggerat; omnia noctium occursacula, omnia bustorum formidamina, omnia sepulchrorum terriculamenta. Iidem Lemures dicebãtur etiam Manes, & ex eis fiebant Lares, vt voluit idem Apuleius de Deo Socratis, & nos retulimus supra ad versum 51. ex quo nata est differentia inter Lemures, & Lares, quod hi crederentur boni, fauentes domibus, siue personis, illi noxij & infausti. Falsa est tamen opinio credentium defunctorum animas regulariter vagari circa

ſepulchra; quinimmo exutæ corporibus, ſummo præſentantur Iudici, recepturæ, iuxta id, quod per corpus geſſerunt, requiem, vel ærumnam, & vt meritæ fuerunt, vel in cœlum deferentur, vel in inferna detrudentur, ibi permanſuræ abſque corporibus, vſque ad Vniuerſalis Iudicij diem, quando, Dei iuſſu, reaſſumptis corporibus, eiuſdem Diuini Iudicis definitiua ſententia, ad eadem, ſiue gloriæ, ſiue pœnarum loca deducentur. Nec ex nunc dictis, inferas, me nō admittere tertium, nempe Purgatorij locum. Nam dico: Electorum animas tandem, poſtquam terrenæ leuitatis labes eluerint, ad beatitudinis locum transferri. Aſſero igitur dari Purgatorium, quo vel noxæ leuiores, vel grauiorum peccatorum reliquiæ, ſeu maculæ detergũtur, vt ſic depuratæ, ingredi poſſint Regnum illud, in quod nihil admittitur inquinatum. Sic Gregorius Nyſſenus lib. de Anima, & Reſurrectione ait: Nec enim odio, ac vindicandæ prauæ vitæ cauſa (mea quidem opinione) Deus ijs, qui peccauerint, dolorem facientes adfert afflictiones, qui & apprehendit, & vindicat, & ad ſe trahit, quidquid ipſius gratia prouenit in rerum natura: ſed ille quidem meliore animo, atque conſilio ad ſeſe, qui omnis beatitudinis fons eſt, animam attrahit; ex neceſſitate autem, ei, quod attrahitur, accidit illa afflictio acerba: ac quemadmodum illi, qui auro materiam immixtam per ignem expurgant, non ſolum id, quod adulterinum eſt, igne liquefaciunt, ſed omninò neceſſarium eſt, vt purum quoque vna cum adulterino, improbo, atque cor-

corrupto liquefiat, atque hoc consumpto, illud manet. Eodem modo planè necesse est, vt dum vitiositas purgatorio igni absumitur, anima quoque, quæ cum vitiositate vnita est, in igne sit, donec id quod inspersum est, adulterinum, materiale, atque foetum & corruptum, totum aboleatur, igni cõsumptum. Item quemadmodũ si cui funiculo lutum tenacius altè penitus circumlinatur; deinde per quoddam angustum foramen, initium funis traijciatur, ac violenter aliquis introrsus ab summitate funem attrahat, omnino necesse est, vt funis quidem sequatur attrahentem, lutum vero circumlitum, ex violenta tractione, extra foramen maneat, à fune detersum, & abrasum, eique causa exstat, vt cum eo in transitu non commodè agatur, sed violentã sufferat ab attrahente extensionem. Tale quiddam mihi videtur circa animam quoque cogitari, atque intelligi oportere, eam videlicet materialibus, atq; terrenis affectibus inuolutam laborare, atque distendi, dum Deus quidem, quod suum est ad sese trahit, quod autem alienum est, propterea quod cum anima quodammodo coaluerit, violenter abraditur, & abstergitur, acresque ei, & intolerabiles adfert dolores. Sic Nazianzenus Oratione in Sancta Lumine inquit: Ne quis vestrum, quamlibet virtute sua fretus, eo audaciæ prorumpat, vt dicat: Noli me tangere, purus enim sum. & quis mihi par? Facite vt nos quoquè in splendoris vestri partem veniamus. At non flectimus? Lacrymas pro vobis fundemus. Atque hi quidem nostra, si velint, atque adeo

Christi via: ſin minus, ſua, inſiſtant. In altero æuo igni fortaſſe baptizabuntur, qui poſtremus eſt baptiſmus, nec ſolum acerbior, ſed & diuturnior, quia craſſam materiam inſtar fœni depaſcitur, vitijque omnis leuitatem abſumit.] Verum animas habitare circa ſepulchra, niſi ex ſpeciali Dei diſpenſatione, tamquam in particulari purgatorio, omnino falſum eſt, à dœmonibus tamen perſuaſum eſt Ethnicis: qui propterea eiſdem Lemuribus nimirum animabus defunctorum, vt cecinit Ouid. 5. Faſtorum:

*Mox etiam Lemures animas dixere ſilentum*; tres ſacrauere dies à Kalẽdis Maij, iuxta eumdem Ouid. ibidem dicentem;

*Ritus erit veteris nocturna Lemuria ſacri*
*Inferias tacitis Manibus illa dabunt.*

Eoſque dies nefaſtos, & ominoſos credebant, vt nullum tunc fieret negocium, nec ſacrum ſuperis, nec nuptiarum celebritas. Sic Ouid. ibidem:

*Fana tamen veteres illis clauſere diebus,*
*Vt nunc ferali tempore operta vides,*
*Nec viduę tædis eadem, nec virginis apta*
*Tempora, quę nupſit non diuturna fuit*
*Hac quoque de cauſa (ſi te prouerbia tangunt)*
*Menſe malum Maio nubere vulgus ait.*

Denominati autem Lemures nigri, tam quia erant ſpectra, & vmbræ nocturnæ, à noctis tenebris, quam quia erant infauſti, noxij, & ominoſi. Et putabantur videri à ſomniantibus, ſiue ebrijs, ſiue inedia confectis.

*OVOQVE pericula rupto*, ſupple; veniunt, vel fiunt. Exiſtimantes poetam nunc loqui de

seruitute superstitionis afferunt pericula ouo rupto hic nominata, esse omina, seu infausta prænuncia malorum imminentium ijs, qui recens ouum ex calidis cineribus comedere dispofuerant, si in eis ruptum, luteum, vel etiam si albumen tantum fudisset. Et revera nedum periculum, sed damnum etiam præsens patitur ille, qui frustratus spe recens ouum comedendi, quo sibi de cibo prouideat, aliam erogare debet pecuniæ quantitatem. Est vero ridiculus Franciscus Stellutus ad hanc rem adferens Ouid. 2. de Arte dicentem:

*Et veniat, quæ lustret anus, lectumq; locumq;*
*Præferat, & tremula sulphur, & oua manu.*

Nam vt ipsi imposuerit mendosus codex, qui vbi dare debuerat *sulphura viua*, dedit *sulphur & oua*, nihilne interesse putauit inter expiationem, seu lustrationem, & prænunciationes? & tamen in sententia nedũ Casauboni, Bond, Cornuti, & aliorum, sed & ipsius Stelluti, de ea superstitione loquitur, qua oui ruptio malorum est prænuncia, vnde apud Ouidium sulphura viua, seu, sulphur & oua, ad malum inducuntur auerruncandum. Ineptè etiam idem Stellutus adducit Iuuenalem dicentem satyra 6. vers. 117.

*Grande sonat, metuique iubet Septembris, & Austri,*
*Aduentum, nisi se centum lustrauerit ouis.*

Hæc autem lustratio ad expiationem, & mali depulsionem pertinet; quæ nihil ad pericula de ouo rupto. Fateor inter cæteras futurorũ malorum prænuncias Gentilium superstitiones, fuisse hanc, si ouum, dum sub cineribus

coquitur, rumperetur, ita ut illius vitellus, vel albumen effunderetur, sed Persius non intelligit de ea, quum ipse tempore Stoicus, nullam de talibus haberi voluerit rationem. Ad quid etiam designatio temporis, Tunc, si erat obseruatio superstitiosa, nullā habens connexionem cum cibis Iudæorum? Inde conformiter ad dicta à nobis, cēseo, pericula ouo rupto esse graues, & pessimè olentes excretiones, aut vomitiones etiam violentas, consequentes nimiam humidorum ciborum ingurgitationem, factam ab insfueto, post longam inediam. Qui enim talibus se impleuerit, quæ stomachus insfuetus concoquere non potuit, cogitur ea amandare per vomitum; & cum eis humores biliosos, aut pituitosos, vel excreare crassas, crudas, & glutinosas materias, quandoque luteas, sæpius albumini oui similes, vt videatur per os excreari ouum in stomacho ruptum. De his ita Seneca epist. 95. *Quæ desiderantibus alimenta erant, onera sunt plenis; inde pallor, & neruorum, vino madentium tremor, & miserabilior ex cruditatibus, quam ex fame, macies: inde incerti labantium pedes, & semper, qualis in ebrietate, titubatio: inde in totam cutem humor admissus, distentusque venter, dum malè assuescit plus capere, quam poterat. inde suffusio luridæ bilis, & decolor vultus, tabesque in se putrescentium, & retorti digiti, articulis obrigescentibus, neruorum sine sensu iacentium torpor, aut palpitatio, siue intermissione vibrantiū. Quid capitis vertigines dicam? quid oculorum auriumque tormenta? & cerebri æstuantis verminationes? & omnia per quę exoneramur, internis*

*ternis vlceribus affecta?* Nec tantum escis, aut potibus grauati, tales eggerunt excretiones, sed etiam famelici, si natura, vel ex accidenti, humidioris fuerint complexionis. Immo isti, quia ob virium debilitationem, ita difficilè excreant, vt strangulari videantur, in eis merito fieri dicuntur pericula ouo rupto, pericula inquam mortis, aut strangulationis, aut rupturæ venæ pectoralis.

*TVNC grandes Galli*. Non intelliguntur hic gallinacei, nec ex Gallia Europæ Regno; sed quum in Phrygia sit fluuius, Gallus appellatus, cuius aquam quicumq; biberit, mente mouetur, & insanit, ab eo denominati sunt, qui hic Galli dicuntur. Grandes enim Galli sunt sacerdotes Cybeles, seu Berecynthiæ, Opis, Magnæ Deorum matris, vel Bonæ Deæ: cuius cultus in Phrygia cœpit, indeque Romam translatus, magnis superstitionibus (diabolo mentes hominum illudente) agebatur: de quo diximus ad satyræ 1. vers. 105. Huius ergo *Deæ* sacrificuli, Galli dicebantur, non ideo tantum, quia ad instar gallinaceorum, exsecabantur, sed etiam quia, vt si ex Gallo fluuio bibissent, more insanientium, & mentis emotæ, capita rotabant, aliaque agebant, quibus credebantur, non esse sanę, & integræ mentis. Sic Ouid. 4 Fastor.

*Quur igitur Gallos, qui se exeidere vocamus,*
*Quum tantū à Phrygia Gallica distet humus?*
*Inter, ait, viridem Cybelen, altasq; Celenas*
*Amnis it, insana, nomine Gallus, aqua,*
*Qui bibit inde, furit, procul hinc discedite, quis est*

*Cura bonæ mentis, qui bibit inde furit.*

Et de more horum sacrificulorum imitandi insanientes, & alijs, præter dicta loc.cit.Oui. 4. Fastor.

*Hic furit, & credens thalami procũbere tectũ*
*Effugit, & cursu Dindyma summa petit,*
*Et modo, Tolle faces, Remoue, modo, verbera clamat*
*Sæpe Palestinas iurat adesse Deas*
*Ille etiam saxo corpus laniauit acuto,*
*Longaq; in immũdo puluere tracta coma est,*
*Voxq; fuit, Merui, meritas do, sanguine pœnas*
*Ah pereant partes, quæ nocuere mihi.*
*Ah pereant, dicebat adhuc, onus inguinis aufert,*
*Nullaque sunt subito signa relicta viri*
*Venit in exemplũ furor hic, mollesq; ministri*
*Cædunt, iactatis vilia membra, comis.*

De eisdem similiter ait Iuuen.sat.6. v.511.

*Ecce furentis*
*Bellonæ, matrisq; Deum chorus intrat, et ingẽs*
*Semiuir obscœno facies reuerenda minori*
*Mollia qui rupta secuit genitalia testa*
*Iam pridem cui rauca cohors, cui tympana cedunt*
*Plebeia, & Phrygia vestitur bucca tiara.*

De ijsdem simul, & Isiacis sic Alexander ab Alexandro lib.2.cap.8. *Isiaci linea stola amicti sunt, capite raso, calceis papyraceis, sistrum tenentes, aut ramum absynthij marini, vel nuces pineas, et Anubin supra caput ferentes, sicut Indi vates tamquam religiosum corallium ferebãt, & Cybeles Sacerdotes, flagrum, & Matrem Deum colentes, iuxta Suenos, formas aprum, quo insi-*

*insigni ab hostibus tuti sunt. Fuitque animadversum Bellonæ, Cybeles, & Isidis sacerdotes, eadem sacra obire, iisdem pro ceremonijs teneri: sed Cybeles sacerdos uariis coloribus fucatus, & faciem pigmento dilutus, oculoque cbunctus, cum mitello & croceto, lineo calceamento ante simulacrum Deæ incedebat, cui erat proprium cum tinnitu cymbalorum, & sonitu tympanorum sacrum facere.* Et idem l.3.cap.12.inquit:[Deorum Matri nullum sacrum nisi de porca fieri permissum. In sacris Deę Phrygiæ, quæ Matuta, & Mater Deum dicta est, cui Galli exsecti membra secabant, cymbala pulsantes, porcam, tamquam impuram hostiam Romani non admisere: apud cuius ædem supplicantes, filijs bona exoptare vetantur matres, nepotibus non vtique. Bellonæ sacerdotes, non animali hostia, nec victima, sed suo cruore sacrificant, gladios enim districtos, vtraque manu tenentes, humeros sibi, & lacertos, tamquam phanatici dissecant, hoc sanguine litari, & crimina expiari putantes, itaut pro vulneribus stipes recipiant. Rationem quare hi sacerdotes cymbala, & tympana pulsarent, à Lactantio irrisam lib.1. cap. 22. reddit Ouid. 4 Fastor. asserens id fieri in memoriam infantiæ Iouis, ne à Saturno deuoraretur, si eius vagitus ab illo exaudiretur: ideo ab Ope, siue Berecynthia, aut Cybele, aut Rhea Matre, custodiendus commendatus fuit Curetis, & Corybantibus, iussis vt talia instrumenta pulsando, impedirent ne infantis voces à patre Saturno audirētur. Verba Ouidij loco citato hæc sunt;

*Ardua iamdudum resonat tinnitibus Ida*
*Tutus ut infanti uagiat ore puer.*
*Pars manibus clypeos,galeas pars tundit inanes*
*Hoc Curetes habent,hoc Corybantes opus*
*Res latuit patrem,priscique imitamina facti*
*Æra Deæ comites, raucaque terga mouent.*
*Cymbala pro galeis, pro scutis tympana pulsant*
*Tibia dat Phrygios,ut dedit ante, modos.*

Ratio vero quare hic denominentur grandes Galli,vt à Iuuenale,ingens semiuir,multiplex est. Vel quod forent stulti,vt supra ad versum 91.altum calonem,stultū interpretati fuimus. Et infra in eadem significatione,versu penultimo appellabitur *Vulphernius ingens*. Vel quia, vt exsecti,carnosiores,pinguiores,& ita, mole corporis grandiores cęteris erant. Vel quia,vt sacerdotes magnę matris,in Numinis, cui ferulebāt,obsequiū,à reliquis honorabantur,& ab eiusdem Numinis magnitudine, ipsi grādes dicti.Sed hic Gallorum nomine intelliguntur soni illi, qui in ventre, & visceribus, aut capite audiuntur ab inanibus, seu famelicis,vnde Plautus Menechmis Actu 5.sc.5.

M. *Dic mihi,an umquam tibi intestina crepant, quod sentias?*
M. *Vbi satur sum, nulla crepitant,quando esurio, tunc crepant.*

Vt etiam ab ijs, qui supra modum oleribus, leguminibus,& al js noxijs cibis,post longam inediam,se repleuerunt:Tales enim,oculorum suffusiones,capitis ve tigines,& rotationes ad Corybantum, seu Gallorum incurrunt modum

dum, adeout omnia circumposita, duplicia, & circumagi, seu rotari videantur. Et ex concursu vaporum, è stomacho in cerebrum, ab ijsdem audiuntur fistularum sibili, & tympanorum, cymbalorumque soni, quasi Berecynthiæ sacerdotes, cum vniuerso eorumdem apparatu, sint ibi translati.

*ET cum sistro lusca sacerdos*. Ni sistrum apposuisset, non facilè intellexissem, quænam foret hęc lusca sacerdos: sed quum sciam sistrũ esse insigne proprium Isidis, non minus quam tympanum Berecynthiæ, & Pauo Iunonis, securè dico sistratam istam, esse Isidis sacrificulam. De Iside hæc inter alia habet Alexander ab Alexandro lib. 6. cap. 8. Nonnulli Opem dixere Bonã Deam, quæ & Maia dicta est, quam nominibus varijs, Faunam, & Fatuam, & Matrẽ Deum, & Idæã Pessinunciam, Cybelem, Rheã, & Phrygiam nuncupant, quia hominibus fauet, opem liberis præstat: Fatuamque dictam, quod infantes in lucem editos, fandi modos, & verba edoceat. Cui qui vota concipiunt, manu terram tangentes, velut parenti, & genitrici supplicant: quumque in omnibus sacris, qui rem diuinam facit, velare caput soleat, huic aperto capite, & inuelato sacrificat. Quam Deam Ægyptijs celebre Numen fuisse asseuerant, cuius simulachrum, sinistra scyphum tenet, dextra sistrum, hoc est æneum crepitaculum, quod non spiritu, sed motu concussum personat, ab illisque Isis dicta, cui peruigilia excubięque nocturnæ à puellis peraguntur: cuius sacerdotes, linea amicti stola, per vrbem lugentes vagabantur,

mox læti sacra perficiunt : in cuius festo, qui ex collego sunt sacerdotes, diuersas facies induunt, ornatu vario, nam alius incinctus baltheo, militem agit : alius venabulo venator incedit, alius longa stola fœminam mentitur, nōnulli cum fascibus procedunt, velut magistratus, postque mulieres, candidis amiculis, serta ferentes cum sportulis, & pectine ante simulachrum Deę famulantur, ipsamque comentes cum lucernis, & lampade, sequuntur. Quæ faciebant in memoriam amissi filij Isidis : de quo Minucius in suo Octauio ait : Isis perditum filium cum Cynocephalo suo, & alijs sacerdotibus, luget, plangit, inquirit, & Isiaci miseri cædunt pectora, & dolorem infelicissimæ matris imitantur. Mox inuento puerulo gaudet Isis, exultant sacerdotes, Cynocephalus inuentor gloriatur. Nec desunt annis omnibus, vel perdere quod inueniant, vel inuenire quod perdant. Sic Apuleius lib. 11. metamorph. Cœlum nubilosa caligine disiecta, nudo, sudoque luminis proprij splendore candebat. Ecce pompæ magnæ paulatim præcedunt ante ludia, vocibus cuiusque studijs exornata pulcherrimè. Hic incinctus baltheo militem gerebat. Illum succinctum chlamydæ, crepidas & venabula venatorem fecerant. Alius soccis obauratis, indutus serica veste, mundoque pretioso, & adtextis capite crinibus, incessu perfluo, fœminam mentiebatur. Porro alium ocreis, scuto, galea, ferroque insignem, e ludo putares gladiatorio procedere. Nec ille decrat, qui Magistratum fascibus, purpuraquè luderet. Nec qui pallio,

ba-

baculoque & baxeis, & hircino barbitio philosophum fingeret. Nec qui diuersis arundinibus, alter aucupem cum visco, alter piscatorem cum hamo induceret. Vidi, & vrsam mansuem, cultu matronali, sella vehebatur: & Simiam piléo textili crococijsque Phrygijs catamiti pastoris specie, aureum gestantem poculum, & asinum pinnis adglutinatis, adambulantem cuidam seni debili, vt illum quidem Bellorophontem, hunc autem diceres Pegasū, tamen rideres vtrumque. Inter has obligationes ludicras popularium, quæ passim vagabantur, iam sospitatricis Deæ peculiaris pōpa moliebatur. Mulieres candido splendentes amicimine; vario lętantes gestamine, verno florentes coronamine, quę de gremio per viā, qua sacer incedebat comitatus, solum sternebant flosculis. Alię, quę nitentibus speculis pone tergum reuersis, venienti Deæ obuium commonstrabant obsequium. Et quæ pectines eburneos ferentes, gestu brachiorum, flexuq; digitorum, ornatum, atque obpexum crinium relegalium fingerent: illæ etiam, quę cæteris vnguētis, & geniali balsamo guttatim excusso, conspergebant platęas. Magnus pręterea sexus vtriusque numerus, lucernis, tædis, cereis & alio genere ficti luminis, siderum cœlestium stirpem propitiantes. Simphonæ dehinc, suaues fistulæ, tibiæque modulis dulcissimis personabant: eas amœnus lectissimæ iuuentutis veste niuea, & cataclista prænitens, sequebatur chorus, carmen venustum iterantes, quod camœnarum fauore, sollers poeta modulatus edixerat, quod argumētum refe-

referebat. Interim maiorum antecantamēta tis votorum. Ibant & dicati magno Serapi tibi cines, qui per obliquum calamum ad aurem porrectum, familiarem templi Deique modulum frequentabant, & pleriq; ue qui facilem sacris viam dari prædicarent. Tunc influunt turbæ sacris Diuinis initiatę, viri fœmineq; omnis dignitatis, & omnis ætatis, linteæ vestis cādore puro luminosi. Illæ limpido tegmine crines madidos obuolutę: hi capillum derasi funditus vertice prænitentes, magnę religionis terrena sidera, æreis, & argenteis, immò vero aureis etiam sistris argutum tinnitum constrepentes: & antistites sacrorum proceres illi, qui candido linteamine cinctum pectoralem ad vsque vestigia strictim iniecti, potentissimorum Deum proferebant in signis exuuias: quorum primus lucernam promicantem porrigebat, lumen non adeo nostris consimilem, quæ vespertinas illuminant epulas, sed aureum cymbium, in medio sui patore, flammulam suscitans largiorem. Secundus vestitu quidem similis, sed manibus ambabus gerebat altaria, idest auxilia, quibus nomen dedit proprium Deæ summatis auxiliaris prouidētia. Ibat tertius attollens palmam, auro subtiliter foliatam, necnon mercurialem etiam caducęum. Quartus æquitatis ostendebat indiciū, deformatam manum sinistram, porrecta palmula, quæ genuina pigritia, nulla calliditate, nulla solertia predita, videbatur æquitati magis aptior, quam dextera. Idem gerebat eaaureum vasculum, in modū papillæ rotundatum, de quo lacte libabat. Quintus auream

van-

vannum aureis congestam ramulis, & alius ferebat amphoram. Nec mora, quũ Dei dignati pedibus humanis incedere prodeunt. Hinc horrendum ille superum commentor, & inferam, nunc atra, nunc aurea facie sublimis, attollens canis ceruices arduas, Anubis, læua caduceum gerens, dextra palmam virentem quatiens: cuius vestigium continuo sequebatur bos, in erectũ leuata statum, bos omnium parentis Deæ simulachrum, quod referens humeris suis proferebat vnus è ministerio beato, gressu gestuoso. Ferebatur ab alio cista secretorum capax, penitus celans operta magnificæ religionis. Gerebat alius felici suo gremio, summi sui numinis venerandam effigiem. Ac ne hominis quidem, non pecoris, nõ auis, non ferę ipsum consimile, sed solertè repertum etiam ipsa nouitate reuerendum altioris, vtcumque & magno silentio tegendæ religionis argumentum ineffabile, sed ad istum planè modum fulgente auro figuratum Vrnula faberrimè canata, fundo quam rotundo, miris extrinsecus simulachris Ægyptiorum effigiata. Eius orificium non altiusculè leuatum in canalẽ porrectũ, lõgo riuulo prominebat. Ex alia parte verò multũ recedẽs spaciosa dilatione adhęrebat ansa, quã cõtorto nodulo supersedebat aspis squameæ ceruicis, stricto tumore sublimis. Et ecce præsentissimi Numinis promissa nobis accedunt beneficia, & fata, salutemque ipsam meam gerens sacerdos appropinquat ad ipsum pręscriptum diuinæ promissionis ornatum, dextra proferens sistrũ Deæ coronam, mihi, etiam, Hercules, coronam con-

consequenter, quod tot, ac tantis exantlatis laboribus, tot emensis periculis, Deæ maximè prouidentia, adluctantem mihi sęuissimam fortunam superarem. Nec tamen gaudio subitario commotus, inclementi me cursu prorIpui, verens scilicet, ne repentino quadrupedis impetu, religionis quietus turbaretur ordo: sed placido, ac prorsus humano gradu, contabundus, paulatim obliquato corpore, sanè diuinitus decedente populo, sensim inrepo. At sacerdos, vt re ab se cognoscere potui, nocturni commonefactus oraculi, miratusque conuenientiam mandati muneris, confestim restitit, & vltro porrecta dextera, ob os ipsum meum coronam exhibuit. Tunc ego trepidans assiduo pulsu, micanti corde, coronam quæ rosis amenis intexta fulgurabat, auido ore susceptã, cupidus cupidissimus deuoraui.]
De sistro Ouid. 2. Amor. eleg. 13.

*Per tua sistra precor, per Anubis ora uerendi*
*Sic tua sacra pius semper Osiris amet.*

Et lib. 3. Amor. eleg. 9.

*Quid nos sacra iuuant? quid nunc Ægyptia profunt*
*Sistra? quid in uacuo secubuiße toro?*

Et Martial. lib. 12. epig. 54.

*Linigeri fugiunt calui, sistrataque turba*
*Inter adorantes, quum stetit Hermogenes.*

Et idem lib. 14. epigr. 54.

*Si quis plorator collo tibi uernula pendet*
*Hæc quatiat tenera garrula sistra manu.*

Et Licas sic Encolpum adiurat apud Petronium in Satyr: *Tu Encolpe succurre periclitantibus, et ueste illã Diuinã, sistrumq; redde nauigio.* Sistri autem tam formam, quam materiam de-

describit Apuleius, sic ij metamorphoseos. Dextra quidem ferebat æreum crepitaculū, cuius per angustam laminam in modum balthei recuruatam, traiectæ mediæ paucæ virgulæ, crispāte brachio tergeminos iactus, reddebant acutum sonum. Et ibidem: Magnæ religionis terrena sidera, æreis, & argenteis, immo vero aureis etiam sistris, argutum tinnitū constrepentes. Sacerdotes ergo Isidis sistris vtebantur, lineisque amiciebantur, vnde linigeri dicti. Sic Ouid. 2 Amor. eleg. 2.

*Nec tu linigeram quid fieri possit ad Isin.*
*Quæsieris,*

Et idem de Ponto l. 1. eleg. 1.

*Vidi ego linigeræ Numen uiolasse fatentem*
*Isidis, Isiacos ante sedere focos.*

Isis autem eadem est, ac Ius, siue Io puella Inachi amnis filia, à Ioue adamata, & imm[illegible]nura, &, ne à superueniente Zelotypa Iunone in crimine deprehenderetur, indeque iurgia forent, in vaccam conuersa, ac ipsi Iunoni petenti, concessa, à qua Argus centoculi custodiæ tradita, quum is à Ioue per Mercurium necatus fuisset; vt puellam sub vacca latētem rehabere posset, Ius misera, sub eadem vaccę forma, per œstrum à Iunone immissum, vexata, totum ferè orbem peragrauit, vt tandem à Nili ripam deuenit, vt Ouidius ait. 1. Metam.

*Procubuit genibus, resupinaque ardua colla,*
*Quos potuit, solos tollens ad sidera uultus,*
*Et gemitu, & lacrymis & luctisono mugitu,*
*Cum Ioue uisa queri, finemque orare malorū.*

Hinc Iuppiter blanditijs Iunonem aggressus, eius erga miseram puellam irę remissionem pro-

propritiationemque impetrauit, & ita prist-inam ei formam restituit, Quę deinde Osiridi nupta, & Ægypti Regina constituta, multa & magna Ægyptijs contulit beneficia: quorum contemplatione Diuinos illi honores Ægyptij contulere, aras, templa, & sacerdotes ei dedicantes. Et quum Ius, siue Io, Isis ab Ægyptijs dicta fuisset, eius sacerdotes Isiaci nuncupati, peculiares quasdam seruabant cęrimonias: de quibus sic Alexander ab Alexandro l.6.c.12. Ægyptijs diu seruatus inoleuit mos, vt Sacerdoti nec fabam serere, aut comesse, neque aspicere liceret, quibus erat constitutum lege apud Memphim lata, vt Isidis sacerdotes semper deraso sint capite, vtque tertia quaque die corpus eradant, & frigida abluant, ter die, noctu bis: piscium quoque etiam tactu abstineant, nedum esu, vestemque lineam, calceos papyraceos gestant: ouillis nec suillis carnibus vescuntur, sal cibis non adhibeant, vino abstineant, aut, si bibere libeat, perpauco vtantur: mare detestantur & nautas, à quibus institutum est Apidi potum dare ex peculiari puteo, non ex Nili aqua. Hæc Isidis sacra Romam etiam migrarunt. Et hinc Lucani querela 8 Pharsal æ:

*Nos in templa tuum Romana accepimus Isin*
*Semideosque canes, & sistra iubentia luctus,*
*Et quem tu plangens hominem testaris Osirim*
*Tu nostros Ægypte tenes in puluere Manes.*

Eamdem Isidis fabulam sic breuiter narrat Lactantius lib.1. cap. 12. *Iuppiter conuertisse in bouem traditur Io Inachi filiam, quæ, ut iram Iunonis effugeret, ut erat iam setis obsita, iam bos*

*bos, tranaße dicitur mare, in Ægyptumque uenisse, atque ibi, recepta pristina forma, Dea facta, quæ nunc Isis uocatur.* Sacerdos igitur sistrata est Isidis sacrificula. Sed vt diximus de sono cymbalorum, & tympanorum Magnæ Matris, sic & de strepitu sistrorum Isidis, nempe eo nomine intelligi sonum tam intestinorum & ventris, quam capitis, & aurium, causatum siue ex vaporibus ortis ex nimia repletione, siue ex inedia, & capitis debilitatione. Et hæc sacerdos dicta lusca, non quod foret straba, vt aliqui putant, dicentes luscum esse strabum, seu oblique tuentem, quum potius luscus sit cocles, idest vnoculus. Hinc Plautus Curculione Actu 3. scena 1.

*Vnocule salue.*

Curcul. *Quæso derideſne me?*

Lyco. *De coclitum prosapia, te esse Arbitror,*
*Nam ij sunt unoculi.*
*Ædepol lenones meo animo nouisti, lusce, lepide.*

Dicta lusca à luce, nam sicut antiqui dicebant dusmus, cæsna, casno, ita dicebant luscus pro lucus: sed ab illis abiecta est s, in hoc remansit, vt hoc vitium distingueretur à nemore. Vtrum autem lusci, siue lusciosi, aut luscitiosi dicantur, qui, vt ait Plinius lib. 11. c. 37. Nubilo die non cernunt, nec post solis occasū, an qui interdiu hebetiore, noctu acutius vident, adhuc sub iudice lis est, & vtraque pars ægregios habet patronos. Lusca erat Philenis de qua Martialis lib. 1. epig. 144.

*Oculo Philenis semper altero plorat,*
*Quo fiat istud quæritis modo? Lusca est.*

Vbi præter luscitiem, seu captum vnius oculi, notatur alterius lippitudo, & fluxus humoris. Sic luscus Annibal de quo Liuius l.22. cap.2. *Annibal æger oculis ex uerna primum intemperie, uariante calores frigoraque, elephanto, qui unus superfuerat, quod altius ab aquis extaret, uectus, uigiliis tandem, & nocturno humore, palustrique Cœlo grauante caput, & quia medendi nec locus, nec tempus erat, altero oculo capitur.* Sic Iuuen.sat.10.versu 157.

*O qualis facies, & quali digna tabella,*
*Quum Getula Ducem portaret bellua luscum.*

Sed hæc sacrificula ponitur lusca, vel quia illę templis dicātur, quæ ob oris deformitatē, aut capū alicuius mēbri, virū inuenire nequirēt. Vel quia stulta, & incōcinnis moribus, vt luscities foret non tā corporis, quā animi vitiū.

*INCVSSERE*, ab In, & quatio, dempta A, & mutata Q in C. Proprie incutere est impingere, vel ictum inferre. Sic Liuius l.5. c.41. *Galli haud secus, quam uenerabundi intuebantur in ædium uestibulis sedentes uiros, præter ornatum, habitumque humano augustiorem, maiestate etiam, quam uultus, grauitasque oris præseferebat, simillimos Diis. Ad eos, ueluti simulacra uersi, quum starent, M. Papirius, unus ex his, dicitur, Gallo barbam suam, ut tum omnibus promissa erat, permulcenti, scipione eburneo in caput incusso, iram mouisse, atque ab eo initium cędis ortum, cęteros in sedibus suis trucidatos.* Et Iuuen.sat.9.v.5.

*Nos colaphū incutimus lābenti crustula seruo.*

Sed aliquando est immittere ad partes interiores, & intra cutem. Sic Iuno Eolum precatur

ur apud Virgil. 1. Æneidos versu 73.

*Incute uim uentis, submersasq; obrue puppes,*
*Aut age diuersas, & dissice corpora ponto.*

Et Liuius lib. 27. cap. 42. *Nondum Annibal è castris exierat, quum pugnantium clamorem audiuit: itaque excitus tumultu, raptim ad hostem copias agit. Iam primos occupauerat equestris terror, peditum etiam prima legio, & dextra ala prælium inibant, incompositi hostes, ut quemque aut pediti, aut equiti casus obtulit, ita conserunt manus. Crescit pugna subsidiis, & procurrentium ad certamen numerus augetur, pugnantesque (quod nisi in ueteri exercitu, & Duce uetere, haud facilè est) inter tumultum, ac terrorem instruxisset Annibal, ni cohortium, ac manipulorum decurrentium per colles clamor ab tergo auditus, metum ne intercluderetur à castris iniecisset, inde pauor incussus, & fuga passim fieri cœpta est.* Sic Horat. l. 1. ep. 14.

*fornix tibi, & uncta popina*
*Incutiunt urbis desiderium.*

Et ita nunc sumitur, non quod Cybeles, & Isis, siue earum sacerdotes mala immittant, quorum hic fit mentio, nec vt Cybelis, & Isidis, aut earum sacrificulorum nomine intelligantur sonitus vaporum, siue flatuum intra viscera existentium, & isti immittant Deos inflantes corpora. Sed id dictum per metalepsin signi: sonitus enim illi signa sunt præsentiæ intra corpus, caput, vel viscera, Deorum inflantium corpora. Asserit autem hic Casaubonus incutere propriè valere idem, ac quatere, vt quatere arma ad terrorem: & ita sacrificuli illi (quos ipse vult esse homines)

suorum Deorum terrore, infirmos, & superstitiosos animos terrebant: sed vt non nego incutere multoties sumi pro quatere, adeout particula intentiua In, omnino vacet, textum tamen subtilius, & curiosius rimanti, constabit, intentum poetæ esse notare flatuum, siue vaporum intra viscera, vel caput agitationem à nobis expositam.

*DEOS inflantes*. Quinam sint Dij inflantes corpora, Cornutus vult esse eos, qui terrent homines futurum malum denunciantes. Fontius esse eos, qui immittant metum Deorum inflantium corpora varijs morbis. Farnabius esse dantes metum Dearum Cybeles, & Isidis, quarum illa furore, hæc Syrijs rumoribus, vlceribus, & morbis instat. Stellutus ex lib. 20. Aduersariorum Turnebi c. 1. vult esse Apin, siue Serapin, & Isidem, quibus ex aliorum opinione, addidit Cererem; sed eadem, immo fortiori ratione addere potuisset Bacchum & Neptunum, Venerem & Pomonam, & alios multos, intelligendo res quibus illi præsident, vinum, aquam, olera, poma. De Apide vero, & Iside videre nescio, quur numerentur inter Deos inflantes corpora. Brixiensis, & Plautius dicunt esse immittentes hidropisin, quæ interpretatio melior est, quam quæcumque ex iam positis, sed tamen non explicat, qui sint, qui hydropisin immittant. Sed mallem dicere Deos inflantes corpora esse ventos, siue flatus: quod enim isti inflent corpora, notissimum est in follibus, carbasis, & alijs vento distentis, & in animalibus, eorumque membris, & partibus turgescentibus, si forte flatum

con-

concepèrint, aut ventum. Quod autem ventis fuerit tributa diuinitas, apparet manifestū ex illo Eoli apud Virg. 1. Æn. verſ. 82.

*Tu mihi quodcumque hoc regni, tu ſceptra Iouemque*
*Concilias, tu das epulis accumbere Diuum,*
*Nimborumque facis, tempeſtatumq; potentem.*

Nam menſis accumbere Deorum, eſt eſſe Deū. De alijs ventis diuinitate præditis. Sic Flora apud Ouid. 5. Faſt.

*Quæ fuerit mihi forma, graue eſt narrare modeſtę,*
*Sed generum matri repperit illa Deum*
*Ver erat, errabam, Zephyrus conſpexit, abibā,*
*Inſequitur, fugio, fortior ille fuit.*
*Et dederat fratri Boreas ius omne rapinæ*
*Auſus Erichthea præmia ferre domo.*

Si autem Boreas Zephyruſque Dij ſunt, quur non Eurus, Notus, Circius, & alij omnes eorum fratres, de quibus Canace apud Ouidiū epiſtola 11. Et Alexander ab Alexandro l. 3. cap. 22. dicens: Eſt quoque memoriæ proditum, non Dijs tantum, ſed & ventis, velut ſancto Numini vota perſoluta: quippe Auguſtus, Circio, ne Galliam rapidè infeſtaret, votum exſoluit, & ſacrum fecit, cuius tanta plerumque vis erat, vt tecta auferret. Calabri, Iapygi, Appuli, vento Atabulo: Athenæ, Scironi: Pamphylij, Gagnæo, ne incolas tabe afficerent, neue arua depopulatentur. Præcipuè Thurij magno affecti beneficio, Boreæ, vti Deo vota perſoluerunt, quod Dyoniſij claſsē (quam ad eorum excidium parauerat) vehementior coortus, fundirus euertiſſet. Sicut

Xerxe

Xerxe in Græciam innumerabiles copias ducente; Delphicum respondisse Græcis oraculum ferunt, vt ventos precarentur sibi auxilio adesse: qui, ara ventis extructa, illos propitios habuerunt, tota ferè hostium classe demersa. In agro quoque Sycionio ventis extructam aram legimus, cui quotannis noctem vnam vota effundunt, vt lenita vis venti desineret, quum turbine ventorum arbusta, villæ fruges passim deuastarentur. Et de istis Dijs inflantibus corpora, nimirum de flatis, seu ventis, clausis in corpore serui ambitionis, natis vero ex ventris inanitate, vel ex nimia noxiorum repletione, nunc loquitur, & asserit, eos incussos ex sono sistrorum, & cymbalorum: in quo est metonymia signi, non enim sistra, & cymbala immittunt flatus, sed significant tales soni, ventos adesse.

*SI non prędictum ter mane caput gustaueris allij.* Prędictum ante dictum, prænunciatum prius, quam eueniret, aut fieri deberet. Sic Oracula, Vates, Aruspices, Diuinique cæteri futura prædicere, & prænunciare solent. Sic Astrologi, Nautæ, & Agricolæ multa suarum artium futura pręuident, & prædicunt. Sic etiam pręd citur pœna infligenda delinquenti à potente, & volente eam infligere, vnde Terent. Adelph. Actu 1. scena 2.

*sed dico tibi*
*Ne temere facias, neque tu haud dicas tibi non prędictum.*

*Caus.*

Sed quum in superioribus huius satyræ nihil prænunciatum, vel commonitum fuerit, prædictum

d ꝗum hoc loco intelligimus esse medicorum consilium. Medici namq; solent laborantibus hydropisi, aut flatibus, vel putri sanguine, eo quod incolant loca infecta, vel in aere graui, prædicere ideſt præſcribere, vt mane, nempè ieiuni, allij caput comedant, nam allium Rusticorum teriacha dicitur, & ad multa vtile asseritur à Plinio dicēte l. 20 c. 6. *Allio magna vis, magnę vtilitates contra aquarum, & locorū mutation es. Serpentes abigit, & Scorpiones odore, atque, vt aliqui tradidere, & bestiarum omnium ictibus medetur potu, vel cibo, vel illitu: priuatim contra hęmerroidas prodeſt in vino redditum vomitu. Ac ne contra araneorum murum venenatum morſum valere miremur, aconitum, quod alio nomine pardalianches vocatur, debellat. Item hyoſcyamum, canum morſus, in quę vulnera cum melle imponitur. Ad ſerpentium quidem ictus, potum, cum reſtibus ſuis efficaciſsimè ex oleo illinitur, attritiſque corporum partibus, vel ſi in veſicas intumuerint. Quin & ſuffitu eo ſecūdas partus euocari exiſtimauit Hippocrates. Cinere eorum cum oleo, capitis vlcera manantia ſanitati reſtituens. Suſpirioſis coctum, aliqui crudum id dedere. Diocles hydropicis cum centaurea, aut in fico duplici ad euacuādam aluum, quod efficacius præſtat viride cum coriandro in mero potum. Suſpirioſis aliqui, & tritum in lacte dederunt. Praxagoras, & contra morbum regium vino miſcuit, & contra ileum in oleo, & pulte, ſic illinens ſtrumis quoq;. Antiqui, & inſanientibus dabant crudum. Diocles phreneticis elixum: contra anginas tritum imponi, & gargarizare prodeſt. Dentium dolorem tribus capiti-*

*tibus in aceto tritis, imminuit, vel si decocti, aqua colluantur, addaturque ipsum in caua dentium. Auribus etiam instillatur succus cum adipe anserino: phthiriases, & prurigines, potum, tusum ite cum aceto, & nitro compescit, distillationes cũ lacte coctum, vel tritum permixtum ue caseo molli, quo genere & raucitate extenuat, vel phthisin in fabæ sorbitione. In totum autem coctum vtilius est crudo, elixumq; tosto, sic & voci confert. Tineas, & reliqua animalia interaneorum pellit in aceto mulso coctum: tenasmo impulte medetur. temporum doloribus illitum elixum, & pusulis coctũ cum melle, deinde tritum: tussi cum adipe ve usto decoctum, vel cum lacte, vel si sanguis etiam, excreetur, vel purulenta, sed pruna coctum, & cum mellis pari modo sumptum Conuulsis, & ruptis cum sale, & oleo, nam cum adipe tumores suspectos sanat, extrahit fistulis vitia cum sulphure, & resina etiam harundines cum pice. Lepras lichenas, lentigenes exulceras, anatque cum origano, vel cinis eius ex oleo, & garo illitus. Sic, & Sacros ignes. Sugillata, aut liuentia ad colorem reducit combustum ex melle. Credunt & comitialem morbum sanare, si quis eo in cibo utatur, ac potione. Quartanas quoque ex utere potum caput vnum cum laserpi ty ob lo in vino austero. Tussim, & alio modo, ac pectorum suppurationes, quantaslibet sanat fractæ incoctum fabæ, atque ita in cibo sumptum donec sanitate restituat: facit & somnos, atq; in totum rubicundiora corpora.* Ex quibus habes allium mederi tussi, & suppurationi pectoris, quę erant pericula ouo rupto, ideoq; merito iuxta Medicorum præscriptum, iubetur allio

vti

vti Nec moueatis quod dixerit, Ter, nō enim numerū determinare voluit, sed toties esse assumendum, quousq; sanitas sit rest tuta, nam ternarius numerus est omniū perfectissimus. sic allium tussi mederi docet Celsus l. 4. c. 4. dicens: *Si sicca tussis est, quū ea vehementissimè vrget, adiuuat vini austeri cyathus assūptus, dū ne amplius id, interposito tempore aliquo, quam ter, vel quater fiat: itē laseris quā optimi paullū deuorare opus est, porri, vel marrubij succum assumere, scillam delingere, acetum ex ea, vel certe acre sorbere, aut cum spica allij contritis duos vini cyathos. Vtilis etiā in omni tussi est peregrinatio, nauigatio longa, loca maritima, natationes Cibus interdum mollis vt malua, vt vrtica: interdum acer, vt lac cum allio coctum*. Quum ergo ambitiosus iste ad mendicitatem redactus, putrem in se sanguinem esse sentiret, & turgere tussi orta ex noxiorum humorum colluuie, recte ex medicorum prescripto, ad suppurationem pectoralium humorum, sanguinemq; purificandum, pauperum vti præcipitur medicina, licet eam ditiores aspernarētur, dicentes cum Horat. Epod. Od. 3.

*Parentis olim si quis impia manu*
*Senile guttur fregerit*
*Edit cicutis allium nocentius.*

Sed licet delicatiores allium, nec gustare, nec olfacere velint, rustici, illius tam gustu, quam olfactu oblectantur, ipsumque inter herbas suaueolentes numerat Virgil. Eclog. 2. v. 10.

*Thestylis, & rapido fessis messoribus æstu*
*Allia, serpyllumq; herbas contundit olentes.*

Vnde quum allium sit præditum speciali vir-

tute purgandi sanguinem, seu prohibendi ne talis generetur, & eijciendi humores noxios, flatusque inde genitos, meritò dicitur hic, quod si Cybeles, & Isis, seù earum Sacerdotes, incusserint, idest intra cutem miserint, in viscera, & caput, Deos inflantes corpora, idest sonos, designantes ibi esse ventos, & flatus, natos, ex ventris inanitate, aut noxiorum repletione, non nocebunt, si, ex medicorum præcepto ter, idest sępius mane, hoc est ieiunus comederis caput allij, sed ab omni noxa liberaberis, & si sumpseris ante, nullum incurres malum. Et hanc puto poetæ fuisse mentē. At Casaubonus hic ait: Constat, eos qui peccata sua fassi erant, pro expiatione illorum, in dies certos, aut abstentos aliquo genere ciborum, aut iussos, certo dierum numero, mane aliquid esitare, puta caput allij. Nos alibi de allio nihil legere meminimus, cæpas verò Isiacis fu ſſe exosas, & ijs abstinuisse, author Plutarchus de Iside, & Osiride, cui accedit Origenes contra Celsum. Hæc Casaubonus, nam Caluinista negans legi Euāgelicæ auricularem, & secretā peccatorum confessionem, asserensque esse nouum Papistarum inuentum, nunc vult vsu fuisse receptam apud Gentiles, etiam cum pœnitentiarum, seu satisfactionum taxatione. Sed non est hic locus disputandi materiam istam: Quod autē ex Plutarcho, & Origene refert Isiacos à cæpis abstinere, verum est: at id non in peccatorum fiebat expiationem, sed qùia Cæpas pro Numinibus habebant, vt cū alijs ait Iuuen. Sat. 15. v. 9.

*Porrū, & Cepe nefas violare, ac frangere morsu*

*O san-*

*O sanctæ Gentes, quibus hæc nascũtur in hortis Numina.* Sic Plinius l. 19 c. 6. *Allium, Cæpasq; inter Deos iureiurando habet Ægyptus.* Miror autem ipsum Casaubonum non inuenisse apud Ethnicos esum allij iniunctum fuisse pro delictorum pœna, & satisfactione, quum locus Horatij à nobis adductus ex Epod. 3. sit manifestissimus.

*DIXERIS hæc inter varicosos centuriones, cõtinuo crassum ridet Vulfernius ingens, & centũ Græcos curto centusse licetur.* Hic epilogatur disputatio iam instituta iuxtà Stoicorũ dogma, in qua suadetur, solum sapientem esse liberum, insipientes verò, & vitiosos miseram seruire seruitutem. Sed Poeta aduertens conclusionem, apud rudes, & idiotas (quales plerumque sunt viri militares) cẽseri paradoxon, ait: quod si velis ista disputare apud huius generis viros, illico irridebunt, & doctrinam, & eius professores. Ex quo Philosophorum contemptu, absque alia probatione, cognoscere poteris quales sint, qui contemnunt, vitiosi, rudes, nullaque liberali præditi disciplina. Varicosi autem sunt, qui varices habent: varices verò sunt venę intumescentes sanguine fęculento, cuiusmodi nasci solent in ventre, temporibus, inguine, testibus, & in cruribus cursorum, aut stantium diutius, vel onera grauia baiulantium. Sic Iuuen. Sat. 6. v. 395.

*Hæc de comœdis te consulit, illa tragœdum*
*Commendare uolet, varicosus fiet aruspex*

Vbi vetus interpres: Varicosus fiet, multum stando, dum Deos aut exta consulit. Idem

colligitur ex illo Varronis apud Nonium: Si tuam rhedam non habuisse, haberē varices. Et ex illo Macrobij 2. Saturnal. c. 3. dicentis: In Consulatu Vatinij, quem paucis diebus gessit, notabilis Ciceronis vrbanitas circumferebatur: Magnum ostentum, inquit, anno Vatinij factum est, quod, illo Consule, nec bruma, nec ver, nec ęstas, nec autumnus fuit. Quærenti deinde Vatinio, quod grauatus esset domum ad se infirmatum, venire, respondit: volui in Consulatu tuo venire, sed nox me comprehendit. Vlcisci autem se Cicero videbatur, vt qui respondisse sibi Vatinium meminerat, quum humeris se Reip. de exilio reportatum gloriaretur: Vnde ergo tibi varices? De eisdē Plinius lib. 11. c. 45. ait *Varices in cruribus, viro tantum, mulieri raro. C. Marium, qui septies Consul fuit, stantē sibi extrahi passum vnum hominē Oppius author est.* Et Celsus l. 7. c. 17. *Præter hæc euenit, ut in quorumdam ventribus varices sint* Et eodem l. 7. c. 31. *In cruribus orti varices, non difficili ratione tolluntur. Hac autem, & earum venularū, quæ in capite nocent, & eorum varicum, qui in ventre sunt, curationem distuli, quoniam ubique eadem est. Igitur vena omnis, quæ noxia est, aut adusta tabescit, aut manu excinditur. Si recta est, si quamuis transuersa, tamen simplex, si modica est, melius aduritur Si curua est, & velut in orbes quosdam implicatur, plureſque inter se inuoluuntur, vtilius eximere est. Adurendi ratio hac est: cutis super inciditur, tum patefacta vena, tenui, & retuso ferramento candente, modicè premitur, vitaturq; ne plagæ ipsius oræ adurantur, quas re-*

*ducę-*

*ducere hamulis facile est. Id interpositis fere quaternis digitis per totum varicem fit, & tum superponitur medicamentum, quo adusta sanantur. At exciditur hoc modo. Cute eadem ratione super venam incisa, hamulo oræ excipiuntur, scalpelloq; vndique à corpore vena diducitur, caueturq; ne inter hæc ipsa lædatur, eique retusus hamulus subycitur, impositoque eodem fere spatio, quod supr apositum est, in eadem uena idem fit, quæ quo tendat facile hamulo extento cognoscitur. Vbi iam idem quacumque varices sunt factum est, vno loco adducta per hamulum vena præciditur, deinde qua proximus hamus est attrahitur, & euellitur, ibi rursus abscinditur: Ac sic undique varicibus crure liberato, tũ plagarũ oræ cõmittũtur, & super emplastrum glutinans, inijcitur.* Varicum meminit, & Senec. epist. 78. dicens: *cogita quid honeste, quid fortiter feceris, bonas partes tecum ipse tracta: memoriã in ea, quæ maxime miratus es, sparge, tunc tibi fortissimus quisq; & victor doloris occurrat, ille qui dum varices exsecandos præberet, legere librum perseuerauit.* Ab his ergo varicibus varicosi denominantur habentes.

*CENTVRIONES* dicti, quia centum præsunt militibus, sed vt diximus ad Sat. 3. v. 77. per metonymiam subiecti ad se recipientis, ponuntur pro militibus. Milites autem denominantur varicosi, quia ex nimia, & frequenti statione in acie, & pro vallo, & ex immensis laboribus castrensibus, & itinerum, eos plerũq; contrahunt. Nam ait Vegetius l. 1. c. 19. *Tirones baiulare usque ad sexaginta libras, & iter facere gradu militari, frequentissimè cogendi*

 *sunt*

*sunt iuniores, quibus in arduis expeditionibus necessitas imminet annonam pariter ac arma portandi. Nec hoc credatur esse difficile, si usus accesserit, nihil enim est, quod non assidua meditatio facillimum reddat.* Et l. 2 c. 23. ait: *Hybernis diebus, si niues pluuiæq; cessarent, exerceri cogebantur in campo, ne intermissa consuetudine, animos militum debilitarent, & corpora: Syluã cadere, portare onera, transilire fossas, natare in mare, siue fluminibus, gradu pleno ambulare, uel currere etiam armatos cum sarcinis suis, frequẽtissimè conuenit, ut quotidiani laboris usus in pace, difficilis non uideatur in bello.* Verum quia plerumque Milites agrestes habentur, & imperiti, ac liberalium, humanarũq; litterarũ rudes, adeo vt Græcis prouerbium fuerit, Rationem non capis, vt Miles, rectè Centuriones, hoc est Milites, appellati sunt rustici, & obtusioris ingenij, qui disputatione habita moti non fuerant ad assensum, de quibus diceres, quod Iuliano Apostatę responsum fuit; Nam quum hic de Christianorum libello dixisset: Legi, intellexi, damnaui, repositum fuit: Legisti, sed non intellexisti, si enim intellexisses, non damnauisses.

*CRASSVM*, nomen pro aduerbio, crassè, sed propriè est pingue, densum, aut spissum sic Cicero 1. Tuscul.

*Adsum, atq; aduenio Acheronte vix via alta,*
*atque ardua.*
*Per speluncas saxis structas asperis pẽdẽtibus.*
*Maximis, vbi rigida constat crassa, caligo inferum.* Et idem Cicero ibid. *Animus si est horũ quatuor generum, ex quibus omnia constare dicun-*

*cuntur, ex inflammata anima confiat, vt potissimum uideri uideo Panetio, superiora capessat necesse est, nihil enim habent hæc duo genera proni, & supera semper petunt: ita siue dissipantur, procul à terra id euenit siue permanent, & conseruant habitum suum, hoc etiam magis necesse est ferātur ad Cælum, & ab his perrumpatur, & diuidatur crassus hic, & concretus aer, qui est terræ proximus: calidior est enim, uel potius ardentior animus, quam est hic aer, quem modo dixi crassum, atq; concretum: quod ex eo sciri potest, quia corpora nostra, terreno principiorum genere confecta, ardore animi concalescunt: Accedit ut eo facilius animus euadat ex hoc aere, quem sæpè iam appello crassum, eumq: perrumpat, quod nihil est anima uelocius.* In risu autem, cachinnus videtus spissus, siuè densus: vnde crassum, siue crasse ridere, est in cachinnos effūdi, quod est proprium indisciplinatorum, & stultorum, nam vbi sapientes, quum rident, vix labia diducunt, stulti leuissima de causa, scurrilitèr, ac dissolutè in cachinnos erūpunt. Meritò ergò Vulphernio, militi agresti, ad eius denotandam stultitiam, tributum est crassè ridere. Et hic risus ponitur pro derisu, & sub sannatione: philosophi namq: & alij sapientiæ professores, à stultis, & militibus deridentur, iuxta illud Prouerbiorum. 1. *Sapientiam, atque doctrinam stulti despiciūt.*

*VVLPHERNIVS*, vel Pulphennius, aut Vulpēnius, siue Vulphenius, vt in diuèrsis codicibus legitur, sed parū refert, quū sit nomen fictū, significās hominē rusticū, agrestē, rudē, & ineruditū, nulla liberali cultū disciplina, stolida ni-

hominimus, ac brutali præditum corporis fortitudine, qua in militia præcellebat, hostes aggrediendo, castrensesq; tolerando labores. Et ad idem designãdum denominatur ingens, corporali scilicet mole, vt etiam supra v. 95. & v. 186.

*ET centum Græcos*. Liberalium artium, sapiẽtiæ, & philosophiæ professores, Hæ namque artes in Græcia natæ, inde Romam migrarunt vt ex historijs liquet, ideoq: earum professores, cuiuscumque forent nationis, Græci, audiebant; Et quidem primis Reip. temporibus indignum videbatur virũ verè Romanum, qui videlicet facere, quam dicere, fortiter sapienterq; deberet, litteris, & sapientiæ operam dare, quasi hæc animum emollirent, & à virtute bellica, qua excellere volebant, reuocarent, & hinc factum, vt etiam postquam ipsi Quirites, sapientiam colere cæperunt, desieruntque fieri Senatuscõsulta, quibus Græci, nempè sapientiæ professores, Vrbe pellebãtur, adhuc retenta priori appellatione, liberalium artium professoresGræci dicerẽtur, vnde Sulpicia vidés Domitianum, reuocando vetera edicta, Græcos, idest sapientiæ professores pellere Vrbe, sic ait in sua Satyra.

*Quid facimus? Graios, hominũq; relinquimus Vrbes*
*Vt Romana foret magis his instructa Magistris.*
*Nunc Capitolino ueluti turbante Camillo,*
*Ensibus, & trutina Galli fugere relicta*
*Sic nostri palare senes dicuntur & ipsi*
*Vt ferale suos onus extirpare libellos,*
*Erga Numantinus, Libycusque erravit in isto Sci.*

*Scipio, qui Rudio creuit formante Magistro.*
*Cætera, & illa manus bello secunda secundo,*
*Quos inter, prisci sententia dia Catonis*
*Scire adeo magni fecisset, vtrumne secundis*
*An magis aduersis staret Romana propago*

*CVRTO centusse:* supra v. 76. dictum quid foret as, & quomodo componatur tressis, octussis, & centussis, valens tribus, octo, vel centum assibus, sic Horatius octusse nominat 2. serm. Sat. 3.

*Tu cessas: Age dum sume hoc ptisanarium oryzæ.*
*Quanti empt? Paruo. Quanti ergo? Octussibus. Eheu*
*Quid refert, morbo, an furtis pereamq; rapinis*

Itaq; centussis est nummus cẽtum valens assibus, vel plures nummi eundem repræsentantes valorem: & quum centum Græci, idest Philosophi, à Milite centusse, hoc est centum assibus æstimentur, adeòut singuli, singulis venirent assibus, maximus exprimitur illorũ contemptus, sic Horatius 1. serm. Sat. 6.

*Ante potestatem Tulli, atq; ignobile Regnum,*
*Multos sæpe viros, nullis maioribus ortos*
*Et vixisse probos, amplis, & honoribus auctos:*
*Contra Leuinum Valeri genus, vnde Superbus*
*Tarquinius regno pulsus fuit: vnius assis*
*Non vnquam pretio pluris licuisse; notante*
*Iudice quem nosti, populo, qui stultus honores*
*Sæpè dat indignis, & famæ seruit ineptus.*

Sed Persius, apud Militis æstimationem, auget Philosophorum contemptum, asserens centum philosophos, centum venire assibus; nam quum pretiosa vt gemmæ, signa, tabulæ, & simi-

similia veneant singulatim: viliora vero, vt olera pelles, ligna, aceruatim, & in fasciculos redacta, asserens philosophos hoc modo venire, summum eorum notat contemptum: quem auget addendo, Curto, nam centussis curtus est deficiens, mutilatus, non integer.

*LICETVR*, & eius apparens frequentatiuum licitor, eiusdem omnino significationis est, pro re venali pretium offerre, & est propriū ementis, offerentis pretium. Licere vero est neutrum, sed passiuę significationis, vt vapulo, nā dicitur de re venali, quum est ius eam distrahendi, sic Plautus Menechmis Actu 5. scen. 9.

*Auctio fiet, Menechmi mane sane septimi,*
*Venibunt serui, suppellex, fundi, ædes, omnia*
*Venibunt, quique licebunt, præsenti pecunia.*

Sic Cic. Atti. col. 12. epist 24. *De Drusi hortis quanti licuiße tu scribis, id ego quoque audierā, & ut opinor heri ad te scripseram. Sed quātiquāti, benè emitur, quod necesse est.* Deponenti vero liceri, vsus Plautus Sticho A. 1. Sce 5.

*Nunc auctionem facere decretum est mihi*
*Foras necessum est quicquid habeo uendere.*
*Adeste sultis, præda erit præsentium*
*Logos ridiculos uendo, agite, licemini.*

Et Cic. Offi. 3. *Tollendum est in rebus contrahendis omne mendacium: Non licitatorem uenditor, nec qui contra se licitetur emptor oppponet, uterq; si ad loquendum venerit, non plusquam semel loquetur.* Et ita Centurio, siue miles iste in tantum philosophos, sapientiæ, & bonarū artium professores contemnit, vt in auctione, seu venditione, centum illorum, quasi fascis, vel acerui, non maiorem offerat pecuniæ quan-

quantitatem, quã centum curtos viles, æreos, & mutilatos asses.

## PARAPHRASIS TEXTVS TERTII SATYRÆ QVINTÆ.

Piger mane altos edens rhonchos, excitatur ab auaritia, atq; impellitur ad opus: tandemq; ille post longam luctam, quærit quid facto sit opus: illa iubente, vt mercaturã exerceat, aduehatq: ad nos merces exoticas, & in hoc adeo vigilet, vt preueniat Camelorum ad emporia exonerationem, vtatur etiam in emendo, & vendendo perjurijs ad suum commodum: illoq; ad hanc exhortationem, exhorrescente, quod Iouis timêret iram, subdit auaritia, ipsum ad extremam venturũ mendicitatem, si Dei leges velit custodire. Sic piger animatus, nauigationi accingitur, conuasatisq; necessarijs, nauem ascendere cogitabat,; quum à domina luxuria, cui ante seruierat, reuocatur, suggerente non posse eum, qui sic delicatè educatus fuerat, tolerare incommoda nauigationis, & itinerum more mercatorum: nec ad vitam beatè degendam oportere tot laboribus diuitias cumulare, quũ sufficiat fœnus consuetum Itaq; recordetur cito eum esse moriturum, & post mortem nullam esse voluptatem, ideoq; nunc illa esse fruendũ. Auaritia, & Luxuria sic opposita suadentibus, interrogat Poeta Damam, cui ex illis parendũ censeat, & num, quasi hamulis in diuersa tendentibus, distrahatur? Monetque ne si semel, aut bis imperio vnius, aut ambarum reluctaue-

rauerit glorietur quasi liber euaserit, & vincula abrupisset : quemadmodum, nec canis libera dici potest, quæ, nitendo, catenam à nodo rupit, si dum fugit à collo longam catenæ partem trahat, nàm per illam iterum in vincula reducitur. Catena tua, vt cuiuslibet vitiorum mancipij, est longa consuetudo. Sic Chetestratus, indignatus quod à Chryside exclusus fuisset, meditásque ab illius seruitute, & tyrrannide se liberare, ne amplius dedecori foret suis honestis cognatis, nec totum apud illum prodigeret patrimonium : à Dauo prudēti seruo laudatus, hortaturq; vt Amori Lethęo, ac Veneri sacrificet pro plena libertate. Illoq; quærente, num illa propterea flere deberet Dauus illi minatur, eum à Chryside etiam sandalio vapulaturum: ideoque non debere ad illam reuerti, etiam si illa vltro mitteret accessitum, dūmodo nedū corpore, sed etiam animo ab illa recessisset. Tūc poeta exultat, inuēto eo quem quærebat, hominem vere liberū à vitijs, qualis non est quem tantum Lictor, aut Prætor liberauit: & interrogat num possit cēseri liber, quē ambitio impellit ad patrimonij effusionem in æditione ludorum, quorum meminerint senes ætatibus sequentibus, quando ipse ob hanc prodigalitatem, ambitioni seruiens, in tantam deuenire debuit mēdicitatē, vt cōcupiscat vilia Iudæorum obsonia, & ob vētris inanitatem, siue ob eiusdem ex noxijs repletionē, horrendas incurrit spectrorum, larnarumq; phantasias, crudas etiam violentasq; excretiones, similes albumini, vel luteo oui, vt videatur ouum in stomacho ruptum, & audiātur

tur, tam in capite, quam in ventre, sonitus veluti cymbalorum, & crepitaculorum, indicantes flatuum,& ventorum præsentiam, natorum, siue ex inedia, siue ex noxiorum ingurgitatione, cui remedium fuerit allij caput sæpius assumptum. Hęc autem nunc disputata, si audierit agrestis aliquis,& rudis miles, siue centurio, quamuis corpore, & viribus egregiùs, si ingenio, & eruditione stolidus fuerit,irridebit, subsannabitq;doctrinam: sapientięque professores adeo contemnet, vt eos aceruatim vænales habere velit,& nec singulos singulis integris venire assibus iudicet.


*Finis Paraphrasis, & totius Satyræ quintæ,*



IN

IN SATYRAM SEXTAM

# COMMENTARIVM



Res ex abrupto Satyras inchoauit Persius, primam, tertiam, & quartam: tribus reliquis procemium præposuit, easq. inscripsit amicis, à quorum laudibus per modũ familiaris epistolę, tractatis, excurrit ad aliorum oppositos mores satyricè carpendos. Secundam enim, vt vidimus, dicauit Macrino, quintã Cornuto, hanc vero sextam Cęlio Basso Sabino, in qua post Bassum laudatum, suum narrat secessum, & animi relaxationem, moderationemq; ac deinde disputat contra eorum auaritiam, qui hereditatibus ditescere volebant.

## SATYRÆ SEXTÆ

## Textus Primus.

*ADmouit iam bruma foco te Basse Sabino?*
*Iamne lyra & tetrico uiuunt tibi pectine chordæ?*
*Mire opifex, numeris ueterum primordia uocum*
*Atq; marem strepitum fidis intendisse Latinę.*
*Mox iuuenes agitare iocos, & pollice honesto*
*Egregios lusisse senes. Mihi nunc Ligus ora*

*In-*

*Intepet, hybernatq; meum mare, qua latus ing es*
*Dat scopuli, & multa littus se ualle receptat.*
*Lunai portum est opere cognoscere Ciues*
*Cor iubet hoc Enni, postquam destertuit esse*
*Meonides Quintus pauone ex Pythagoreo.*
*Hic ego securus uulgi, & quid preparet Auster*
*Infelix pecori securus, & angulus ille*
*Vicini, nostro quia pinguior: etsi adeo omnes*
*Ditescant orti peioribus, usque recusem.*
*Cursus ob hoc minui senio, aut cœnare sine uncto*
*Et signum in uapida naso tetigisse lagena.*

## COMMENTARIVS.

SAtyram hanc scribit Cæsio Basso Sabino Equiti Romano, Poetæ lyrico, sibi amicissimo, qua eum interrogat, num, vigente hyemali rigore, secessisset in Sabiniam, quidue ibi ageret, vel commentaretur. De se vero certiorem eum facit, diuertisse in Liguriam, siue Ethruriam, & Volaterras, aut Vrbem Lunæ. Mater enim Persij Fuluia Sisenna, post Flacci viri, & patris Persij obitum, iterum nupserat Fusio Volaterrano municipi, sed Equiti Romano, qui Persium educauerat, & propterea hic frequẽter ad eos veniebat. Refert autem, tunc mare illud tempestatibus agitari, & nihilominus se frui quiete, quia erat absq; sollicitudine opinionum vulgi, & expers cupiditatis diuitiarum, etiam quum videret has in indignorum sinus influere. Refert etiam se non commoueri, si agrorum, vel pecorum prouentus infeliciter cadant, vel omnino pereant, nec propterea quidquam mutare velle de consue-

ta

ta forma frugaliter viuendi.

*Admouit iam bruma foco te Basse Sabino? Iãne Lyra, & tetrico uiuunt tibi pectine chordæ? Mire opifex numeris ueterum primordia uocum, atque marem strepitum fidis intendisse Latinæ Mox iuuenes agitare iocos, & pollice honesto egregios lusisse senes.* Ordo est: Balse bruma admouit iam te foco Sabino, iam ne viuunt tibi Lyra, & chordę, pectine tetrico? Mire opifex intendisse numeris fidis Latinæ primordia veterum vocum, atq; strepitum marem, mox agitare iocos iuuenes, & lusisse egregios senes pollice honesto. Admouere est iuxta mouere, seu mouere ita, vt res mota alteri approximetur: cuius oppositum est amouere, seu remouere, quando res mota elongatur. Sic Cicero l. de Amicitia. *Ipsi intelligamus à natura gigni sensum diligendi, & beneuolentiæ charitatem, facta significatione probitatis, quam qui appetiuerunt applicant sese, & propius admouent, vt & vsu eius, quem diligere cęperunt, fruantur.* Sic Virgil Eclog. 3 v 43. & 47.

*Nec dum illis labra admoui, sed condita seruo.* In quibus verbis in Instit. Orat. l. 3. Tr. 2. c. 7. diximus interuenire Enallagen, seu casuum commutationem, non enim labra poculis, sed pocula labijs admouentur. At hic interuenit, tam metalepsis gradationis, quam metonymia causæ impellentis. Nam bruma est tempus hyemale, & algidum. Frigus autem, siue algor excitat appetitum quærendi modum se ab eo seruandi, quod commode fit per accessum, & approximationem ad focum, siue ignem, inde metonymicè bruma admouet igni, & ita dici-

tur

cur hic brumam admouere foco, ideſt igni, in foco exiſtenti.

*BRVMA* dies ſolſtitij hyemalis, quando Sol ad metam excurſus Auſtralium ſignorum incipit ad Borealia reuerti, ideſt XVIII. vel iuxta Plinium l.18. c. 25. VIII. Kalendas Ianuarij qui c.26. ſequenti ait: *Democritus talem futuram hyemem arbitratur, qualis fuerit brumæ dies, & circa eum terni, item ſolſtitia æſtatem.* Meminit Cicero 2. Diuinat. dicens. *Muſculorum iecuſ ula bruma dicuntur augeri, & pulegium aridum floreſcere brumali ipſo die, & inflatas rumpi veſiculas, & ſemina malorum, quæ in his medijs incluſa ſunt, in contrarias partes ſe vertere.* Dicta bruma, vt quidam volunt, à Bromio, Baccho, quia brumalibus diebus, id eſt menſe Decembri, incidant Bacchanalia, quando genio indulgetur, & potibus iuxta illud Ouid. 3. Faſt.

*Acceptas Genijs illa December habet.*

Vt vero alij à βυράcibo, nam brumæ tẽpore ſumus voraciores, vnde quibus faſtidio eſt cibus, imbrumati dicuntur. Et vt alij à breuitate, quaſi ſit βρακύῆμαρ breuis dies, vndè Macrobius 1. Saturn. c. 21. Eodem argumento ſignificatur, & tempus, quo anguſta eſt lux, quum velut abraſis incrementis, anguſtaque manente exſtantia ad minimum diei Sol peruenit ſpacium, quod veteres appellauere brumale ſolſtitium, brumam à breuitate dierum cognominãtes βραχυῆμαρ; ſed ſimplicius deriuabitur per ſyncopen à breuiſſima, vnde breuima, & bruma. Illa igitur dies qua Sol attingit vltimum puntum, vt ait Ouid. 1. Faſt.

Bru-

*Bruma noui prima est, veterisque nouissima Solis.*

Solstitialis dicitur, & propriè brumalis à breuitate, quia est breuissima inter omnes dies totius anni: sed tempus brumale sumitur pro diebus proximè antecedentibus, & sequentibus diem solstitialem, quia hi etiam proportionalitèr breues sunt. Et quia his diebus sol maximè elongatur à terra, eamq: respicit obliquè, ipsius radij non reflectuntur nec geminátur, ideo intenditur frigus, vnde bruma ad ignem compellit,

FOCO, à fouendo, an quod foueat ignem, an quod igne foueat, & calefaciat alia, discrepant autores. Varro, eo quod ignem foueat: Festus eo quod alia, nam ait focus, fomenta, focillationes, focile à fouendo, idest calefaciēdo dicta sunt, sic Ouid. 6. Fastorum.

*At focus à flāmis, & quod foueat omnia dictus;*

Verū alij putāt potius fouere esse à foco, quā è contra, non enim is tantum foci vsus, cibos coquere, sed etiam fouere corpora, & eorum naturalem conseruare calorem, ideoq; ab eo fouendi verbum potuit originari. Vnde alij focum deriuant à φώγω, vro: tanta est discrepantia in ethimologia. Sed propriè focus est locus: in quo ignis seruatur: sed sicut per synecdochen partis, ara, quæ est pars templi, sæpe ponitur pro toto templo, ita focus, seu locus, in quo seruatur ignis, quamuis sit pars domus, sæpe ponitur pro tota domo. Verum hic per metonymiam subiecti recipientis pro recepto, ponitur pro igne, qui foco asseruatur, & ita quærit num frigus, cum compulerit ad ignem accedere.

BAS-

BASSE plures nouimus Bassos. Fuit enim Gauius, siue Gabius Bassus, cuius librum de verborum, siue vocabulorum origine: Gellius non semel laudat. Alius Q. Lecanius Bassus, qui obijt carbunculo, vt Plinius refert proœmio libri 26. dicens: *L. Paulo Q. Martio Censoribus primum in Italiam Carbunculum uenisse, annalibus conscriptum est, peculiare Narbonensis Prouinciæ malum, quo duo Consulares obiere. Cõdentibus hæc nobis eodem anno, Iulius Rufus, & Q. Lecanius Bassus, ille medicorũ inscitia sectus, hic uero pollice leuæ manus euulso acu, ab semetipso, tam paruo uulnere, ut uix cerni posset.* Alius Pontius Bassus poeta lyricus, sed Ouidio antiquior, cuius ille meminit 4. Tristium Elog. 10. dicens:

*Ponticus Heroo Bassus quoque clarus iambo.*

Fuit, & Saleius Bassus temporibus Vespesiani, de quo Tacitus, vel Quintilianus, aut alius author Dialogi de Oratoribus cap. 2. ait: *Quis enim nescit neminem coniunctiorem esse, & vsu amicitiæ, & assiduitate contubernij, quam Saleium Baßum, quum optimum uirum, tũ absolutissimum Poetam.* Et infra c. 4. eumdem appellat egregium poetam, vel si hoc honorificentius est egregium vatem: & subdit. *Laudauimus nuper, vt miram, & eximiam Vespasiani liberalitatem, quod quingenta sestertia Basso donasset.* Fuit, & alius Bassus tragœdiarum scriptor, quem irridet Martialis dicens l. 5. epigr. 53.

*Colchida quid scribis? Quid scribis amice Thyesten?*
*Quo tibi, uel Nioben Basse, uel Andromachen*
*Materia est, mihi crede, tuis aptissima chartis*

Deu-

*Deucalion, uel si non placet hic, Phaeton..*
Verum Persius de nullo istorum intelligit, sed tantum de Cæsio Basso, qui Neronis floruit temporibus Pinderico, siue Horatiano, aut lyrico stilo, in quo tantũ profecit vt Quintilianus dixerit: Lyricorum, Horatius fere solus legi dignus, nam & insurgit aliquando, & plenus est iucunditatis, & gratiæ, & varijs verbis, & figuris felicissimè vtitur: si quem adijcere velis, is Cæsius Bassus erit, quem nuper vidimus. Vixit Bassus iste ad tempora Quintiliani, & Martialis, eiq; hic mittit suum librũ 7. Epig. 95.

*Nosti si bene Cæsium libelle*
*Montanæ decus Vmbriæ Sabinum*
*Auli municipem mei Pudentis,*
*Illi tu dabis hæc, uel occupato*
*Instent mille licet, premantq; curæ*
*Nostris carminibus tamen uacabit.*
*Nam me diligit ille, proximumq;*
*Turni nobilibus legit libellis.* Hunc Cæsiũ Bassum, nunc Persius alloquitur, erant enim inuicem amicissimi, adeout ei, & Cornuto, moriturus, delegauerit emendationem, editionemq: tam harum Satyrarum, quam cæterarũ suarum lucubrationum, quã tamen prouinciã, concedente Cornuto, solus Balsus asumpsit, & perfecit.

*SABINO*, è quarta regione, seu è parte quartæ regionis Italiæ, quæ est Latium, cuius fines sunt, Vmbria, à qua separatur Nare Fluuio: Etruria, à qua diuiditur Tiberi: & Picenum, interiacente Monte Appœnino. Regio Sabina fuit antiquissima, vnde Strabo l. 5. di-

dixit. Sabinorum Regio interiecta Latinis, & Vmbris ad eosdem, & ipsa montes vsq; extenditur, magis tamen accedit ad Apennini eas partes, quæ sunt vicinæ Vestinis, Pelignis, ac Marsis. Et infra eodem lib. 5. Sabini angustam incolunt regionem in longum ad mille stadia porrectam; à Tiberi, & Nomento oppido vsq; ad Vestinos. Vrbes habet paucas, easq; continentibus bellis attritas, Amiternum, Reatæ, cui vicinum est oppidum Interocrea, & Aquæ frigidæ ad Cotiscolias, quas bibunt, & iis insidentes morbis medentur. Sunt & Foruli Sabinorum saxa ad rebellionem, quam habitationem aptiora. Cures nunc viculus est, quõdam Vrbs illustris, ex qua orti sũt T. Tatius, & Numa Pompilius Romæ Regno potiri: vnde, qui Populum Romanũ assantur, Quirites appellant. Præterea Trebula, Eretum, & alia id genus domicilia, pagis potius quam vrbibus annumeranda. Tota Sabinorum regio egregiè ferax est olearum, ac vitium, multumq; fert glandis, ac pecori producendo opportuna est presertim vero Reatini muli laudãtur mirum in modum. Vt autem vno dicam verbo, tota Italia, & pecore alendo, & fructibus gignendo præstat: alia tamen alijs in locis primam merentur laudem. Antiquissima gens est Sabinorum, indigenarum nimirum. Ab his sunt Picentini, & Samnitæ: ab his Lucani, ab his Brutij. Vetustatem eorum licet sumere pro argumento fortitudinis, ac virtutis eorum, qua freti, ad hoc vsque tempus perdurarũt. Nomen iuxta quosdam habuere à Rege Sabo, vnde Silius l. 8 v. 343. ait.

*Ibant*

*Ibant læti, pars Sanctum voce canebant*
*Auctorem gentis, pars laudes ore ferebant*
*Sabe tuas, qui de patrio cognomine primus*
*Dixisti populos magna ditione Sabinos.*

At Plinius l. 3. c. 12. ait: *Sabini ut quidam existimauere à religione, & Deorũ cultu, Seuini appellati, Velinos accubant lacus, roscidis collibus, quasi ita dicerentur à σέβειν idest Sacrifico.* Magna huius gentis multitudo cum suo Rege Tatio Romam migrauit, post pugnam cum Romulo initam, diremptāq: interuentu Sabinarum, quæ, quia raptæ, eiusdem belli causa fuerant. Romani tam florente Rep. quam sub Principum Imperio, quandocumq, vacatio daretur, vt in Campania, ita & in Sabinis libenter otiabantur, quiescentes à strepitu fori vt Cato de se refert apud Ciceronem de Senectute. Et Persius idem fecisse Bassum, nunc ait, & de alijs passim legimus.

LYRA iuxta Eustachium dicta quasi λύτραν compensatio, seu pretium, nam quum Mercurius eam inuenisset, Apollini dedit pro bubus quos hic subripuerat. Mercurium lyræ inuentoré, seu parenté vocat Horatius l. 1. Carminũ ode 10. Sed Isidorus l. 11. c. 21. vult appellatam quasi ἀπὸ λύω soluo, quia diuersas efficit voces, constat enim chordis viginti quatuor, quarũ quęlibet proprium, & ab alia diuersũ edit sonum, & ita vnitatem soni soluit. Appellatur etiam Chelys, vnde Ausonius Idilio 9 v. 395. ait:

*Conde Musa Chelyn pulsis extremo carmine neruis.*

11 Statius l. 1. Syluarum in balneo Etrusci.

Non

*Non Helicona graui pulsat Chelys Enthea plectro.*

Dicitur etiam fides, vt hic, fidis Latinæ, quamuis iuxta AmbrosiũOrat. de Obitu Theodosij, fides sint chordæ lyræ: Arbitror inquit, quod fila chordarum citharæ, ideo fides dicuntur, quoniam & mortuæ sonum reddant: Sed sumitur fides etiam pro lyra, vnde Festus, Fides genus citharæ sic dicta, quod inter se chordæ eius quantum inter homines fides, concordẽt. Est ergo musicum instrumentum, harmoniam ex chordarum pulsu reddens, eiusq; figura est ad instar Deltæ Græcorum: constat nunc chordis vigintiquatuor, quantumuis à principio septem tantum cõstaret, teste Macrobio dicente 1. Saturn. c. 19. Lyra Apollinis Chordarum septem, tot Cælestium sphærarum motus præstat intelligi, quibus solem moderatorẽ natura constituit, earumq; chordarum quælibet ab alia diuersum ædit sonũ.

*TETRICO* Ineptas quorumdam interpretationes refert hic Stelutus, nam quidam tetricum pectinem intelligunt grauem Bassi stilum, & dicendi auctoritatem. Alij Bassi animũ tristem, atq; seuerum, quam seueritatem, siue morositatem incurrerat ob senectutem; senex enim iuxta Horatium ad Pisones est

*Difficilis querulus, censor, castigatorq; minorũ*

In quo sensu ait Colum l. 8. c. 11. *Pauonum educatio magis vrbani patris familias, quam tetrici rustici curam poscit*. Et Ouidius similiter 1. de Arte ait

*Hoc aditu vidi tetricæ data verba puellæ.*

Sed falsum est Bassum, tempore quo Persius

ſcripſit, fuiſſe ſenem, quum ſuperuixerit vſq; ad tempora Martialis, nempe ad Domitianum, per annos triginta, & vltra. Alij, propius à vero aberrantes, dicunt, Tetricum eſſe montem Sabinæ arduũ, aſperumq; cuius meminit Virg. 7. Æn. v.713.

*Qui Tetricę horrentes rupes, montemq; ſeuerũ Caſperiamq; colunt.* Ad quẽ locum ſic Seruius: Tetricus mons eſt in Sabina aſperrimus, vnde triſtes homines, tetricos dicimus, vt mons tetricus, ſiue aſper ſit dictus ab hominum, ſiue accolarum ſeuitia, & aſperitate. Sed non eſt nunc ſermo de monte: verum quia, ſiue ab hominum aſperitate adheſerit huic mõti cognomen tetrici, ſiue quia è contra, ab huius montis difficultate, homines leui, & inexorabiles, tetrici fuerint dicti, quidquid aſperum, arduũ, & moroſum eſt, tetricum dicitur: Vnde quia pecten Chordis cenſetur aſper, quum eas ſtridere, ſonare, & quaſi lamentari cogat, tetricus dici potuit.

*VIVVNT*: viuere propriè eſt ducere vitã, quę in operatione conſiſtit, adeout, qui in totali degit otio, nihil, mente, vel ſenſibus agens, omnino viuere deſijſſe cenſeatur, vt paſſim docent philoſophi ad 2. de Anima. Hinc quæ operationem aliquam habent, quamuis inanimata, viuere videtur. Et quia chordæ pulſatę pectine, ſonum, & quaſi vocem emittunt, quod eſt proprium viuentium, & animatorũ, viuere hic dicuntur. Et de hoc Perſius Baſſum interrogat, num chordæ citharæ illius pulſatæ pectine, viuerẽt, ideſt harmonicũ redderẽt ſonũ. Vbi obſerua a!te animata vocẽ, ſiue ſonũ emit-

te-

tere, quia ab anima, quæ est principium intrinsecum operationum: aliter inanimata, vt cithara, & similia instrumenta, quia à principio extrinseco, & quandoq; medio instrumẽto, vt pectine, &c.

*PECTINE* Pecten est instrumentum textorum, quo illi stamini subtegmen immittunt. Sic Virg. 1. Georg. v. 293.

*Interea longum cantu solata laborem,*
*Arguto coniux percurrit pectine telas.*

Est etiam instrumentum, quo crines, siue capilli explicantur. Sic Ouid. 4. Metam.

*Sæpe Cytoriaco deducit pectine crines.*

Et omissis alijs significationibus, quæ non faciunt ad rem, pecten est arcus, quo percutiũtur chordæ lyræ, siue citharæ, sic Martial. l. 14. epigr. 166.

*Feruida ne trito tibi pollice pustula surgat,*
*Exornent docilem garrula plectra lyram.*

Et Virg. 6. Æn. v. 645.

*Nec non Threicius longa cum veste Sacerdos*
*Obloquitur numeris septem discrimina vocum*
*Iamq; eadẽ, digitis, iam pectine pulsat eburno.*

Et ita nunc sumitur, nam pecten est idem, ac plectrũ πλῆκτρον instrumẽtum citharœdorum, ita dictum à πλήττειν percutio, quia eo lyræ chordæ percutiuntur, & pulsantur.

*CHORDÆ* iuxta Cassiodorum deberet scribi absq; aspiratione, nam vult deriuari à corde. Sic enim ait Cass. lib. 2. var. cap. 40. Hinc appellatam existimamus cordam, quod facile corda moueat. Vbi tanta vocum collecta est sub diuersitate concordia, vt vicina corda pulsata, alteram faciat sponte contremiscere

miſcere, quam nullus contigit attigiſſe, tanta enim vis eſt conuenientiæ, vt rem inſenſualé ſponte ſe mouere faciat, quia eius ſociam cóſtat agitatam. Hāc originationem amplectitur Iſidorus l.3. c.21. dicens: ſicut pulſus eſt cordis in pectore, ita pulſus cordæ in cithara. Nihilominus cū aſpiratione ſcribendum puto, nā verè eſt à χορδῇ inteſtino, ex quo, nempe graciliori, & tenuiori fiunt chordę. Vnde Cælius Aurelianus acutorū morborum l.3. c.17. ait: Hanc paſſionem chordaſmū vocauerunt, quod non aliter quam chordæ, inteſtina tendantur, nam veteres Græci, inteſtina χορδίας vocauerunt.

*MIRE OPIFEX* Nō aſſentior Ioanni Bond cōſtruenti: Mire opifex intendiſſe numeris primordia veterum vocum, atq; marem ſtrepitū fidis Latinę, & agitare mox iuuenes iocos, & Iuſiſſe ſenes egregios pollice honeſto, iam ne lyra, & chordę tibi viuunt pectine tetrico. Siquidem diligentius rimanti poetæ mentem, & inſpicienti verba, apparet, ipſum, appellato Baſſo, ab eo quæſiſſe num diuertiſſet ad ſuam villam in Sabinis, & num ibi, brumali tempore ad ignem cithara ſe oblectaret. Tunc eum laudat, quod non ſit ſimilis magiſter concordandi citharæ voces, chordaſque primas, & acutas, cum vltimis grauioribus, ſeu plenioribus, & demum eam pulſandi, & ad eam cantandi tam iocos, & iuueniles amores, quam antiquorum heroum prudentiam, fortitudinem, ac rerum geſtarum laudes. Ait ergo: Mire opifex. Mirum eſt admiratione dignum, ſiue ſit mōſtrū, ſiue nouū, & inſolitū, cuius rationé igno-

ignorant homines: sic & quum sit aliquid supra consuetum ordinem. Sic Virg. 4. Æn. ver. 457.

*Præterea fuit in tectis de marmore templum*
*Coniugis antiqui, miro quod honore colebat.*

Et sic nunc sumitur quum Bassus dicitur mirus opifex, artifex, & magister singularis, atq; admirabilis in modulanda cithara, eamq; pulsanda.

*OPIFEX*, ab ópere faciendo, siue sit opus transiens in externam materiam: Cicero 1. Officiorum. *Improbantur ij quæstus, qui in odia hominum incurrunt, vt portitorum, & fæneratorum: illiberales autem, & sordidi quæstus mercenariorum omnium, quorum operæ, non quorum artes emuntur, est enim in illis ipsa merces auctoramentum seruitutis. Sordidi etiam putandi, qui mercantur à mercatoribus, quod statim vendant, nihil enim proficiunt nisi admodum mentiantur. Nec vero quidquam est turpius vanitate. Opificesq; omnes, qui in sordida arte versantur: nec vero quidquam ingenuum potest habere officina, minimèq; artes eæ probandæ, quæ ministræ sunt voluptatis, cetarij, lanij, coqui, fartores, piscatores.* Siue opus versetur circa sonos, & voces, aut verba, vt 5. Tusculanorũ Zenonem Citiẽũ appellat aduenam, & ignobilem verborum opificem. Et ita laudatur, quod fuerit egregius, & supra communem modum doctus opifex sonorum, carminum, & odarum, quod nũc dicit citharam modulandi.

*NVMERIS* Apud Philosophos, & Oratores, numerus est collectio vnitatum, seu multitudo mensurata per vnum. Verum apud Mu-

ſicos, Poetas, & Oratores, eſt ratio harmonica, quam Græci ῥυθμὸν dixere, de qua in inſtit. Orat. l. 2. Tract. 2. c. 2. Et Virgil. Ecl. 9. v. 44.

*Quid quæ te pura ſolum ſub nocte canentem*
*Audiram? numeros memini ſi verba tenerem.*

Ita hic numerus eſt ratio harmonica, quæ eſt in ſonis.

*VETERVM primordia vocum.* Sic omnes, vno excepto Caſaubono, qui diſsimulando lectionē cōmunē, nobis obtrudere tētat, Veterū primordia rerū: ſic. n. textus videbatur cōmodior expoſitioni, quā adferre volebat, nimirū, Baſsū lyra ceciniſſe primordia rerū: ſubditq; Baſsū non potuiſſe aliter in eo argumēto verſari, quam proſequēdo hiſtoriā totius mythici tēporis, vt fecit Ouid. in Metam. quia laudes Deorum, & mūdi in ſuo initio affines valde ſunt. Sed prætequamquod, vt ipſemet Caſaubonus fatetur, neſcimus Baſsū ſcripſiſse Deorū, & Mundi laudes, fraude introducta eſt vox, rerū, pro, vocū, quum nullibi legatur, nec Caſaubonus referat vndè eam acceperit, vt facere conſueuit in aliis, quas mutat: ideoq; valeat cum primordiis rerum ſuarum. Cornutus ſic interpretatur: O mirande opifex varietate numerorū, qui de numeris Græcis excerpis, & maſculos ſonos Latinis aptas carminibus, ideſt metris, marem ſtrepitū, ideſt maſculum, & fortē ſonum, & nō quo ſolēt quędā muliebria molle cātare Plautius cōcordans cum Brixienſi, inquit: Primordia veterum vocum, ideſt verſus, & carmina: conſtat. n. citius poeticę, quam ſolutę orationis fuiſse originē: nam Deus ipſe ſtatim pene à condito mundo, ſua myſteria per Poetas cele-

bra-

brari voluit, ficut in inuictiſſimo illo Duce Mo ſe, & Idumæo Iob, in Dauide patre, filioq; Salomone, in Eſaia, & pleriſq; alijs Hebræis manifeſto deprehendimus, quorum opera, in patria lingua verſibus cõſtãt. Teſtatur, & hoc Strabo lib. 1. Primum inquit ante omnia apparatio ipſa poetica proceſsit in mediũ, & approbata complacuit. Dein illã imitati, quum metrum ſoluiſsent, reliquis poeticę partibus ſeruatis, rem ſcriptis commendarunt, Cadmus videlicet Pherecides, & Hecatæus, vnde Tacitus, ſiue Quintil. Dialogo de Orator. c. 6. Cæterum inquit, felix illud, &, vt more noſtro loquar, aureũ ſeculũ, & oratorũ, & criminum inops, poetis, & vatibus abundat, qui bene facta canerent, non qui malè admiſsa defenderent. Intendiſse: neruos, intentione inſeruiſse. Virgilius, cui carmina ſemper, & citharæ cordi, numeroſq; intendere neruis. Marem ſtrepitum, fortẽ, & virilem ſonum, nõ mollem, laſciuũ, eneruẽ, & effœminatũ, vt multi, quos in prima Satyra ſale ſatyrico perfricuit. Expreſsit autẽ materiam lyricorũ, qui, & pugiles, & equorum certamina cantare conſueuerunt: Virgilius.

*Semper equos atq, arma virum pugnaſq; canebat*

Horat.

*Muſa dedit fidibus Diuos, pueroſq; Deorum*
*Et pugilem victorem, & equum certamine primum*
*Et iuuenum curas, & libera vina referre.*

Hinc dicit: Mox iuuenes agitare iocos, id eſt iuuenum amores deſcribere. Stellutus exiſtimat Perſiũ per primordia veterum vocum intelle-

xisse librum Bassi de Origine Vocabulorum: qui tamen nihil ad lyram, quum prosa foret oratione conscriptus, & non ab hoc Cæsio, sed à Caio Basso, vt ex Aulo Gellio retulimus. Farnabius interpretatur: Mire, & perite artifex ad aptanda Citharæ numeris, argumēta seria, & grauia. Bond primordia veterum vocum vult esse antiquas, priscis Italiæ gentibus vsurpatas, puta Græcas, Oscas, atq; Sabinas, quæ fuerunt primordia vocum Latinarum: sed quam meruisset Bassus laudem, si sua farsisset carmina Oscis, Sabinisq; vocibus, quas non nisi raro inserendas orationibus, monent eruditi, & nos diximus Inst. orat. l. 3 tr. 1. c. 1. Inepta, vtiq; fuisset Bassi locutio, explodi digna, & amandāda ad Euandrū, matréq; Carmētam, quum tamen, Quintiliano teste, solus ex lyricis post Horatium, fuerit legi dignus. His ergo interpretationibus omissis, dicimus: Primordia esse vocem tractam à textoribus, qui antequam telam texere incipiant, eam ordiūtur, vnde primordia sunt inchoationes, & prima principia. Sic Ouid. 5. Metam.

*At Nileus, qui se genitum septemplice Nilo*
*Ementitus erat, clypeo quoq; flumina septem*
*Argento partim, partim celauerat auro,*
*Aspice, ait, Perseu, nostræ primordia gentis.*

Inde primordia vocum, erunt voces primæ, seu vocum inchoationes, cuiusmodi sunt infantiles, seu pueriles, quæ plerumq; sunt tenues, acutæ, graciles, & exiles, easq; etiam nunc musici in cithara, & similibus instrumētis, primas appellant chordas. Sed quære dicęç primordia veterum vocum? Quare inquies,

pri-

primordia veterũ? An quia chordæ, ut acutum reddant sonũ, aruisse, & ita senuisse, & veterasse debent, recentes namq; vel etiam madentes, aut humefactæ, non acutè, & altè, sed obtusè, & obscurè sonant: aridę autem senuisse, & quasi inueterasse censentur. An quia chordæ redddentes acutum, & argutum sonum, fiunt ex intestiniis agnorum anniculorum, & citra, alioquin si ex agnis fierent prouectioris ætatis, non acutum, sed grauem redderent sonum. Factæ ergo ex agnis tenerrimis, dicuntur primordia veterum vocum, illa namq; ætas erat inchoatio maturioris, ad quam si agnus peruenisset, ex eius intestinis fierent chordæ, quę non primordia, sed ipsæ veteres voces, idest graues, dicerentur: nunc vero non veteres, sed primordia, & inchoationes earum dicuntur, quia gracilem, & acutum reddunt sonum. Et de his vocibus poeta nunc intelligit.

*ATQVE Marem strepitum* Casaubonus bifariam interpretatur strepitũ Marem: primo pro genere Poeseos, seuero potius, quam molli à Basso sectato. Secundo pro materia ab eodem tractata; asserit enim eũ scripsisse laudes Deorum, & virorum fortium. Lyricorum namq; hypotheses sunt laudes Deorum, heroum, & aliorum clarorum hominum, iuuenum etiam amores, & senum conuiuia. Sic Horatius ad Pisones.

*Musa dedit fidibus Diuos, puerosq; Deorum*
*Et pugilem victorem, & equum certamine primum*
*Et iuuenum curas, & libera vina referre.*

Quæ omnia non aliter probat fuisse à Basso

tractata, quam ex hoc Persij loco. Nam de laudibus inquit Deorum tractasse, ostendit quum ait, Veterũ primordia rerũ: de viris fortibus dixisse, quum subdit: Atq; marem strepitum: de amoribus iuuenum, quum refert Mox iuuenes agitare iocos. Et tandem de senum conuiuijs, dum concludit, & pollice honesto egregios lusisse senes. Sed Casaubonus petit principium, illud enim supponit, quod erat probandum, Persium voluisse primordia veterum vocum (non rerum,) esse mundi laudes a Basso cantatas, & idem de alijs. Admitto vtiq; lyricum de illis omnibus tractare posse, sed nec habemus aliunde, Bassum de illis tractasse, nec Persium id voluisse, vt ex nostra interpretatione liquebit. Bond, & Stellatus strepitum marem, volunt esse carmen heroicum à Basso frequentatum. Sed quũ omnes, etiam ipsi Bond, & Stellatus dicant Bassum non heroicum, sed lyricum fuisse poetam, nequit illius strepitus mas esse carmen heroicum, à lyrico longe diuersum. Vnde etiã si Casaubono daremus, Bassum cecinisse iuuenum amores, senum conuiuia, & Deorum, atq; heroum (de quibus nihil Persius) laudes, non propterea sequeretur illum heroicum carmen frequẽtasse, quum etiam lyrici ea omnia canant, vt Horatius cecinit. Igitur strepitus mas eodem proportionali modo sumi debet, sicut primordia veterum vocum, nempe pro graui, plenoq; Chordarum sono, quem nũc bassum musici appellant: & hic sonus merito mas nominatur, nẽpe fortis, vt qui alios regulare, ac regere possit. Non est enim nouũ

mas,

mas, siue masculum dici, quod est vehemens, siue validum, & forte, vt virum decere possit, vt dicebamus Saty æ 5. vers. 144. de bile mascula, idest forti. Strepitus autem proprie est susurrus, & leuis sonus. Vnde Cicero ait Verrin. 2. n. *Pompeius quum primum concionem Consul designatus habuit, ubi (id quod maximè expectari videbatur) ostendit se Tribuniciam potestatem restituturũ, factus est in eo strepitus, & grata concionis admurmuratio. Idem in eadem concione, quum dixisset, populatas, vexatasq; esse Prouincias, iudicia autem turpia, & flagitiosa fieri, ei rei se prouidere, & consulere velle: tum vero non strepitu, sed maximo clamore suam Populus Ro. significauit voluntatem*. Et idem Cicero 1. de legg. inquit: *Propter hunc concentum auium, strepitumq; fluminis, non vereor condiscipulorum, ne quis exaudiat.* Et hæc vox mire consonat nostræ interpretationi, nam qui musica modulari vult instrumenta, singulas prius chordas leuiter tangit, quamlibet ad singulas alias accomodans, vt concordem efficiat harmoniam. Vnde dum leuiter tanguntur, strepũt, & specialiter grauiores, quæ sunt fundamentum cæterorum sonorum.

*FIDIS* tertiæ coniugationis raro inuenitur singularis numeri, sed tamen nedum Persius hic, sed Ouidius epist. 5. dicit.

*Me fide conspicuus Troiæ munitor amauit.*

Quamuis autẽ Priscianus velit, rectum huius nominis esse Fidis, & non Fides, quia diminutiuum est fidicula, non fidecula, falli tamen constat ex alijs eiusdem analogiæ, nam dicimus ædicula, sedicula, cædicula, & tamen

rectum est ædes, sedes, cædes, non ædis, sedis, cædis: & ita fidicula erit à fides, nō à fidis. Est autē fides citharę genus, dicta iuxta Festū, quod tantum inter se concordent illius fila, seu chordæ, quantum fides inter homines, vel iuxta Ambrosium supra citatum, quia chordæ etiam mortuæ sonum reddunt. Fidium meminit Cic. dicens 2. de legg. *Circo constitutis, cantica cantu, voce, ac fidibus, & tibijs, dummodo ea moderata sint, ut lege præscribitur: assentior enim Platoni, nihil tam facile in animos teneros, atque molles influere, quam varios canendi sonos, quorum dici vix potest, quanta sit vis in vtranque partem, namq; & incitat languentes, & languefacit excitatos, & tum remittit animos, tū contrahit.* Sic Alexander ab Alexandro l. 2. c. 25. Cantus, & saltatio Homero teste conuiuij appendices sunt, modesta tamen non impudens, qualis fuit Hippoclidis, qui apud Clisthenem futurum socerum, dum intempestiuè saltat, & gesticulatur, illum desaltasse matrimonium Clisthenes dixit. Appius, quoq; Claudius vir triumphalis, & Gabinius, M. Cecilius, & Licinius Crassus: optime saltare gloriæ duxerunt, sicut fidibus canere; Discebant enim fidibus antiqui apud magistros, & artifices: nā Decius Sylla optimè cantasse dicitur, & Cato Censorinus simpliciter cātare nō seruile duxit opus, in tantumq; honoris culmen apud veteres musica processit, vt illam sacris, & publicis ceremonijs adhiberent, quum in Deorum puluinaribus, & epulis magistratuum fides præcinerent. & apud Græcos ijdem musici vates, & sapientes erant, apud quos post cœnam

circumferebatur lyra, quam quum recusasset Themistocles, est indoctior habitus Cimone, & Epaminonda, quod Fidibus scirent. Fides autem Græca mollis erat, & effœminata, Latina verò grauior, & seuerior, Bassus autẽ Latinam tangebat, & hoc ad eius laudem facit.

*INTENDISSE*, valde, & vehementer tendisse, seu extendisse, aut traxisse, vt intendere arcum, restim, aut velum, sic Donatus ad illud Andriæ Terentij A. 4. Scena 4. *Repudio consilium, quod primum intenderam*, ait Intendere, verbum à venatoribus translatum, qui retia intendunt ad feras captandas, vel à sagittis, atq; arcu. Sic Cicero 7. Verr. *Quum æstas summa esset, quando concursant cæteri Prætores, iste nouo quodam ex genere Imperator, pulcherrimo Syracusarum loco, statiua sibi Castra faciebat, nam in ipso aditu, atq; ore portus, vbi primum ex alto sinus ad Vrbem, ab littore inflectitur, tabernacula, carbaseis intenta velis collocabat.* Et eodem modo nunc sumitur, nam chordæ in instrumentis musicis, quum ad harmonicum temperantur concentum, quibusdã quasi trochleis extenduntur, & sic intenduntur. Cuius artificij asserit Bassum egregium esse magistrũ: Ex quo constat, quam nostra interpretatio sit consona textui, nam vox, intendisse, nulli aliarum adaptari potest.

*MOX iuuenes agitare iocos.* Quasi diceret: Tu Basse es ãdmirandus artifex temperandi citharam, seu lyram Latinam, idq; præstas intendendo, seu trahendo, & extendendo fila, vel chordas illius, ac proportione attemperando sonos primarum, idest acutarum, cum robu-

ſto, ac virili ſtrepitu grauium. Et poſtquam ita citharam temperaueris, es etiam egregius artifex eam pulſandi, & ad illius ſonum canẽdi iocos, & amores iuuenum, ſiue adoleſcentũ laſciuias, & laudes antiquorum virorum fortium. Agitare plerumq; idem eſt, ac frequenter agere, & tractare, quũ ſit frequentatiuũ ab ago. Sed ſepè ſumitur pro ſimpliciter exercere. Sic Salluſtius initio Catalinarij. *Reges diuerſi, pars ingenium, alij corpus exercebant, etiã tum vita hominum ſine cupiditate agitabatur: ſua cuiq; ſatis placebant.* Sic Terentius Phormione A. 2. ſcena 2. *Iam ego hunc agitabo.* Aliquando agitare eſt ferri cupiditate. Sic de Catilina loquens, ait idem Salluſtius Catilinario. *Hunc poſt dominationem L. Syllæ libido maxima inuaſerat Reip. capiundæ, neq; id, quibus modis aſſequeretur, dum ſibi regnum pararet, quidquam penſi habebat Agitabatur magis magiſq; in dies animus ferox, inopia rei familiaris, & conſcientia ſcelerum, quæ vtraq; his artibus auxerat, quas ſupra memoraui.* Sed ſæpius agitare eſt frequenter de re quapiam cogitare, ſic Terent. Phormione A. 4. ſcena 3. *Nam hercle ego quoq; id agitãs mecum ſedulo Inueni, opinor, remedium huic rei.* Et ita hic agitare iocos, eſt vel ſimpliciter, vel frequenter tractare.

IOCOS, ab eo quod iuuat, à quo, vel ab eius ſupino eſt iucundum, vt à fœtu fœcundum, à fato ſecundum. Sic Cicero 2. de Finibus. *Huic verbo, Voluptas, omnes qui vbiq ſunt, qui Latinè ſciunt, duas res ſubijciunt, lætitiã in animo, commotionem ſuauem iucunditatis in cor-*

*corpore : nam & ille apud Trabeam voluptatem animi, nimiam lætitiam dicit, eandem quam ille Cecilianus , qui omnibus lætitijs lætum esse se narrat. Sed hoc interest, quod voluptas dicitur etiam in animo vitiosa res, vt Stoici putant , qui eam sic definiunt , sublationem animi sine ratione opinantis se magno bono frui. Non dicitur lętitia, nec gaudium in corpore. In eo autem voluptas , omnium latinè loquentium more ponitur, quũ percipitur ea, quæ sensum aliquem moueat, iucunditas hanc quoq; iucunditatem si vis, trãsfer in animum, iuuare enim in vtroq; dicitur, ex eoq; iucundum.* Est autem iocus, dictum non serium , sed leue. Hæc res, ait Macrobius l. 2. c. 1. & cura, & studio digna veteribus visa est. Et iã primo animaduerto, duos quos eloquẽtissimos antiqua ętas tulit, Comicũ Plautum, & Oratorem Tullium, eos ambos etiam ad iocorum venustatem cæteris præstitisse . Plautus quidem ea re clarus fuit, vt post mortem eius, Comediæ, quæ incertæ ferebantur, Plautinæ tamen esse, de iocorum copia noscerentur. Cicero autem quantum in ea re valuerit , quis ignorat, qui vel liberti eius libros , quos is de patroni iocis composuit ( quos quidam ipsius putant esse) legere curauit? Quis item nescit Consularem eum scurram ab inimicis appellari solitum, quod in oratione etiam sua Vatinius posuit. Atqui ego, ni longum esset, referrem, in quibus causis, quum nocẽtissimos reos tueretur, victoriam iocis adeptus sit, vt ecce pro L. Flacco quem repetũdarũ reum ioci opportunitate de manifestissimis criminibus eruit : is iocus in oratione non extat ; mihi ex

libro

libro Furij Bibacul. notus est, & inter alia cius dicteria celebratur. Sed in hoc verbo non casu incidi, volens feci; iocus enim hoc genus veteres nostri dicteria dicebant, testis idem Cicero, qui in lib. Epist. ad Cornelium Nepotem 2. sic ait: Itaq; nostri quum omnia, quæ dixissemus dicta essent, quæ facetè, & breuiter, & acutè locuti essemus, ea proprio nomine appellari dicteria voluerunt. Hæc Cicero. Nonius vero Pomponiusq; iocos non raro dicteria nominant. Marcus etiam Cato ille Cēsorius argutè iocari solitus est. Et quamuis etiam in factis vsurpatum legamus ioci nomē, in his tamen lusus magis propriè est, quam iocus. Hinc propriè iocos dixit Martial. lib. 1, epig. 5.

*Consueuere iocos vestri quoq; ferre triumphi*
*Materiam dictis nec pudet esse Ducem.*

Qui deinde promiscuè iocos, & lusus in factis posuit eodem l. 1. epigr. 15.

*Delicias Cæsar, lususq; iocosq; ferarum,*
*Vidimus, hoc etiam præstat arena tibi;*

Ioci igitur iuuenes sunt iuuenibus conueniētes, vt nugæ actiones ludicræ, ac leues, lasciuæ, & amatoriæ: Nec est apud antiquos verbum tam frequens, quam vt actus amatorij, lusus, aut ioci nominentur. Sic Ouid. 2. de Arte.

*Accedant questus, accedat amabile murmur*
*Et dulces gemitus, aptaque verba ioco.*

Vt etiam in eodem sensu inuenitur apud eundem Ouidium, Catullum, Tibullum, Propertium, & alios passim. Et eodem modo nunc accipi debet.

*ET pollice honesto*, nescio vnde Casaubonus habeat, his verbis laudes exprimi vitæ senilis ocio, & quieti redditę. Bond pollicem honestã putat positum pro quouis digito, eoq; depingi egregia facta senum: qua vero id ratione fiat, nullatenus loquitur. Stellutus cum Fontio, & Plautio intelligit, lepidum, & ornatum Bassi stylum. Farnabius vult his verbis significari (non tamen exprimit quomodo) senes benè de Rep. meritos, honesto carmine celebrari. Sõniant omnes: nos simplicius interpretamur dicendo: Bassũ post temperatã lyram, illã pulsasse pulsabat autem tam plectro, siue pectine, quam digitis, nam plectrum, vt ex Martiale l. 14 Epig. 166. retulimus, introductum est ne chordæ digitos læderent: quod etiam Cornutus docet hic, vbi ait: Pollice honesto egregios lusisse senes, quia citharizantes non solum plectro, verum etiam digito sonos edunt: pollex autem per senecdochen positus est pro quouis digito. Vult etiam, Bassum, dũ lyram pulsat, ad illius sonum canere, nedum iuuenum iocos, & amores, de quibus immediatè ante dixerat, sed etiam laudabilia facta senum, siue in foro, & curia, siue in Castris, & militia. Et quia in sonis, & cantibus est quædam delectatio, ideo dictum, Bassum lusisse egregios senes: Sed quare pollex denominatus honestus? An quia oppositus medio, qui ad versum 33. satyræ 2. dictus infamis, & impudicus: contrariorum autem contraria debent esse epitheta? An quia optimum, laudabile, honestumq; est viribus pollere: pollex autem in tantum viribus pollet, vt dicantur *αντίχειρ*

alte-

altera, & opposita manus! vnde Macrobius l. 7. c. 13. Factum est, inquit, vt vsus annulorum exemptus dexteræ, quæ multum negociorum gerit, in locum relegaretur, qui ociosior est, ne crebro motu, & officio manus dexteræ preciosi lapides frangerentur: electus autē in ipsa leua manu digitus minimo proximus, quasi aptior cæteris, cui commendaretur annuli preciositas, nam pollex, qui nomen ab eo quod pollet, accipit, nec in sinistra cessat, nec minus quā tota manus semper in officio est, vnde & apud Græcos ἀντίχειρ vocatur quasi manus altera. Pollici vero vicinus, nudus, & sine tuitione alterius oppositi videbatur, nam pollex ità inferior est, vt vix radicem eius excedat; Medium, & minimum vitauerunt, vt ineptos, alterum magnitudine, breuitate alterum & electus est, qui ab vtroque clauditur, & minus officij gerit, & ideo seruando annulo magis accommodatus. An, tandem quia pollex pressus fauorem promittit, vt refert Alexander ab Alex. lib. 4. cap. 26. & l. 5. cap. 15. Et quum laude dignum, honestūq; sit posse alteri fauere, pollex fauorem promittens, dictus honestus.

*MIHI nunc Ligus ora intepet hibernatq; meū mare, qua latus ingens dant scopuli, & multa littus se valle receptat.* Locum suæ habitationis describit, asseritque se versari in finibus Liguriæ: Ligus iuxta Probū omnis generis est, qui, & Ligur, & Ligusticus, Liguriæ significās incolā. Liguria autem iuxta Plinium l. 3. c. 5. *Patet inter amnes Varum, & Macram bis centū, & vndecim millibus passuū. Adnectitur septimæ,*

*in qua Hætruria est ab amne Macra. Primum Hetruriæ oppidum, Luna, portu nobile*. Fuerunt autem Ligures tam Cisalpini, quam Transalpini olim capillati, deinde tonsi, quod innuit Lucan. l. 1. v. 442.

*Et nunc tonse Ligur, quondã per colla decora*
*Crinibus effusis toti prælate Comatę.*

Et bellicosissimi ferè omnium Italiæ populorum, vt colligitur ex Liuio dicente l. 39. c. 1. *Consules ambo in Liguribus gerebant bellum: Is hostis velut natus ad continendam inter magnorum interualla bellorum Romanis militarem disciplinam erat, nec alia Prouincia militem magis ad virtutem exercebat*. Dicta Liguria, vt ferunt à Gigante Lige, qui Herculem, Massil.ã vsq; insecutus, profligauit, eiusq; armentorum à Gerione aduectorum, partem eripuit. Sed quum Eusebius scribat, Persium fuisse Volaterranũ, Volaterræ autem à portu Lunẽsi septincentis fere distent stadijs, nequiuit Mare Ligusticum suum dicere, quum Volaterræ in Etruria sint, non in Liguria. Ideo Fontius fatetur Eusebium hic errasse, vt errauit asserendo Ennium fuisse Tarentinum, quem omnes Rudijs natum volunt, sed potuit, esto Volaterranus, dicere mare Ligusticum, suum, quia vicinum.

*ORA* cuiusq; rei extremitas. Seruius ad illud Virg. 9. Æn. v. 528.

*Et mecum ingentis oras euoluite belli,*

ait ingentis belli narrate non tantum initia, sed etiam extrema, nam orę sunt extremitates. Est enim ora ex ὅρος idest terminus, siue extremitas, & propriè sumitur pro littorum extre-

mitatibus, vnde naues orariæ, quæ circa littora tantum versantur, sic Plinius l.10. epist.25. *Destino partim orarijs nauibus, partim vehiculis Prouinciam petere:* sumitur etiam pro extremitatibus regionum, sic Virg.1.Æneid.

*Arma, uirumq; cano, Troiæ, qui primus ab oris*
Et 4.Georg. v. 37. *Neq; ille*
*Nequicquam in tectis certatim tenuia cera.*
*Spiramenta linunt, fucoq; & floribus oras,*
*Explent.* De vulnerū oris ait Celsus l.3.c.26.

*Quomodo uulnus ligari conueniat. Fasciæ ad vulnus deligandum, linea aptissima est, eaq; lata esse debet, ut semel iniecta, non uulnus tantum, sed paullum utrinq;* Etiam *oras comprehendat: si ab altera parte caro, magis recessit, ab ea melius attrahitur; si æquè, ab utraq; transuersè comprehendere oras debet.* Mitto vestium oras, & alias huius nominis appropriationes. Nunc Ligus ora sumitur propriè pro extrema parte regionis Liguriæ, seu Liguriæ littore, non quod Lunæ oppidum ad Liguriam pertineret, sed quia erat in illa Etruriæ extremitate, quæ Liguriam tangebat, & quia in medio, vtriusq; regionis dici potuit, nam medium vt extremorum sapit naturam, ita nomen sortitur.

*INTEPET*, vt intepescit, sæpe est calesco, seu calefieri incipio, vt si præpositio, in, aliquid operetur, illud erit, vt significetur motus ad calorē esse à principio intrinseco, quod est natura: sed non semper id innuit, vnde Prop. l. 4. Eleg.1.

*Et lacus æstiuis intepet Vmber aquis.*
Sic Ouid. 5. Fastorum.

Ros-

*Roscida quum primum folijs excussa pruina est*
*Et variæ radijs intepuere comæ.*

Et iuxta hanc acceptionem expositores huius loci interpretantur Lunensem Persij habitationem, etiam diebus brumalibus, amabili fuisse tepore temperatam, quando Bassi Sabina algebat. Verum quum sciamus Liguriam, illiq; conterminam Etruriam, supra omnes Italiæ regiones hyemalibus infestari frigoribus, credere nequiui, Persium per intepet intelligere voluisse illius regionis teporem: quin potius existimo, ꝑpositionē, in, hic esse priuatiuā, aut negatiuā, vt est in vocibus imbecillis, imbellis, ineptus inutilis, & alijs, vt tātūdē sit, Mihi nunc Ligus ora intepet, quantū si dixisset: Si tibi alget Sabina, compellitq; ad ignē accedere, mihi non tepet, immo vehemēter friget ora ligustica Nam quāuis ora maritima sit (cæteris paribus) tepidior mediterranea, vnde Cic. 3. de natura Deorum ait: *Maria agitata uentis, ita tepescunt, ut intelligi facile posſit, in tantis illis humoribus inclusum esse calorem, nec enim ille externus, & aduentitius habendus est tepor, sed ex intimis maris partibus agitatione excitatus, quod nostris quoque corporibus contingit, quum motu, atq; agitatione calescunt.* Secus nihilominus est quando cætera non sunt paria. Vnde quum toti Liguriæ, Etruriæque immineant Alpes, perpetuis ferè, & hybernis algentes niuibus, quidquid teporis posset regio illa habere ex maris aura, vicinitate alpini frigoris discutitur, remanetq; algens etiam supra Sabinam, & quamcumq; Italiæ, exceptis ijs, quæ Appenino sunt proximiores.

HY-

HYBERNATQVE Hyemē agit, pluuijs vētis, tempestatibus fœdatur. Aliquando hybernare est stationē hyberno tempore habere, quod idem importatur per verbum hyemare. Vnde Cicero pro lege Manilia *Iā uero quēadmodum milites hybernent, quotidiè sermones, aut litteræ perferuntur, non modo ut sumptum faciat in militem, nemini uis adfertur, sed ne cupienti quidem cuiquam permittitur: hyemis enim non auaritiæ perfugium maiores nostri in sociorum, atq; amicorum tectis esse voluerunt.* inde hyberna, vel hybernacula dictę stationes militum, passim apud Autores Sic Liuius l. 5. c. 2. *Quum spes maior Imperatoribus Romanis in obsidione, quam in oppugnatione esset, hybernacula etiam, res noua militi Romano, ædificari cœpta, consiliumque erat, hyemando continuare bellum.* Et idem l. 38. c. 27: *Manlius tam enim medium Autumni erat, locis gelidis propinquitateTauri montis, excedere properās, uictorem exercitū in hyberna oræ maritimæ reduxit.* Nec tantum copiarum terrestrium, etiam classium hiberna nominauerunt, significantes tutam a tempestatibus nauium stationem. De hyemare idem, ac hibernare significāte, ait Seneca epist. 114. *Dixit Sallustius: Aquis hyemantibus, Arruntius in l. 5. Belli Punici ait: Repente hyemauit tempestas, & alio loco, quum dicere uellet frigidum annum fuisset, ait, Totus hyemauit annus. Et alio loco: Inde sexaginta onerarias leues, præter milites, & necessarios nautarum, hyemante Aquilone misit.* Ex quo vides perperam Calandonum, hibernat, ex ponere tepescis, quum hybernare, & hyemare

re.

fere idem sint. Vult ergo Persius se eo tempore, quo Bassus in Sabinis cithara se oblectabat ad ignem, stationem in Vrbe Lunæ habere, vbi mater Fuluia, post patris obitum ad secundas transierat nuptias, ibique frigore vexari, quum ea regio nequaquam tepeat, sed in ea ipsum etiam mare algeat, quod significatur per hibernare. Et hæc fuit etiam mens Cornuti dicentis: Liguriæ ora hybernat, seuit vel à nauigijs vacat: sicut & nauis hybernare dicitur, quum non nauigat, sic & mare hybernare dicimus, quum non nauigatur. Lugusticũ autem mare suum appellauit, esto ipse Etruscus foret, natus Lunæ, vel Volaterris, quia in extremitate Hetruriæ, & Liguriæ proximitate, Ligur videri poterat. Hybernare etiam est tẽpestatibus quassari, hinc Plautius hic ait: mare hybernat, quum à procellis exagitatur tempore hyemali, vt nauigari, & remis sulcari nequeat. Hybernat autem nedum in alto, sed etiã in ea parte, qua scopuli dant ingens latus, & littus receptat se multa valle. Quibus verbis vim tempestatis exaggerat, quæ tanta erat vt sentiretur in alto, & aperto mari, & etiam in portu, quo mare se receptabat. Et hic describit portũ Lunensẽ, dictũ etiã Lericis, Veneris, & Spediæ, de quo ait Bartholomæus Fõtius: Lunæ quondã, Spediæ nũc, portus natura loci munitissimus, insulam, vel scopulum portus è regione, paruo ad modum interuallo disiunctum habet, ambitus stadiorum quadraginta, qua parte latus ingens scopulos dare scribit, nam Veneris propinquo oppidulo per hunc angustum latus in portum Spediæ naui-
ga-

gatur. Et littus multa se valle receptat. Lunæ portus ab vtroq; latere altis montibus cingitur, & in arcus intensi formam curuatus, multa se valle insinuat. Et ne quis ductus similitudine nominum, eodem in loco portum, & vrbem esse putet, nam Lunæ alto monte seiungitur Vrbs in Etruria ad Macræ Fluminis Ostia sita est, Portus in Liguria, ab ea distat circiter stadia octuaginta. Plautius etia ait: Portus Lunensis maximus, & pulcherrimus, multos intra se portus complectens, magnæ profunditatis vniuersos, vsque adeo, vt omniũ qui maris tenent imperium, facile fieret receptaculum. Circumclauditur portus iste celsis montibus, qui longè prospectum pelagi præbent, nam & Sardinia, & magna vtriusq; littoris pars inde cernitur. Portus iste angustum habet ingressum, ex ea parte, qua Libonotum ventum respicit, sed deinde ad dexteram curuatur, ad latus respiciens Etruriam, & Oriētem, quæ curuatura capax est cuiuscumq; ingentis nauium multitudinis. Et quia vndiq; scopulis cingitur, montibusq; vnde cęduntur nobilissima marmora, dicta Lunensia, tidissimã aduersus quemcumq; ventum præbet nauibus stationem. Et hoc intendit quum nunc ait: Qua latus ingens dat scopuli, nã latus Etruriã respiciens, vastissimum est. Mare ergo Ligusticum, nedum in alto, sed in portu Hybernabat, & agitabatur tempestatibus, vel falsè hybernabat, idest frigore algebat.

SCOPVLI, saxa eminentiora, à σκόπειν speculor, nam ex eis patet prospectus in mare, vel quamcumq; planitiem; Frequentius ita ap-

appellãtur saxa magna, & immobilia, quæ nec ventis, nec fluctibus agitari, aut moueri possunt, etiam si indesinenter ab eis feriantur. Et quidem tales propriè sunt, quum è mari surgunt: nihilominus siue per senecdochen, siue per metaphoram, ad quam molliendam ponitur adiectiuum, cœci, scopuli dicti inueniuntur, etiam si non emergant, sed aquis tegantur, ad quos si naues impingant, naufragium patiuntur. Hic autem scopuli dicti saxa littoralia quæ certè in portu Lunensi, siue Speciæ, multa sunt, ipsumq; circumcirca muniunt.

*MVLTA*, propriè dicitur de quantitate discreta, sicut & plurima de continua vero, magnum: nihilominus tam plurima, quam multa, dictum inuenitur de qualitate, aut quantitate continua. Sic Virg. 3. Georg. v. 51.

*Optima torua:*

*Forma bouis, cui turpe caput, cui plurima cer.*

Et infra v. 216. *(uix*

*Multa gemens ignominiam, plagasq; superbi.*

*Victoris*, & hic nunc, quum dicitur multa valle, non discretam, sed continuam, nempè ampliam, & spaciosam designat quantitaté. Multa enim a mole dictum censetur, vnde antiqui Latini, multa dicebant, significantes tã multitudinem, quam plenitudinem, vnde Cato apud Festum, pro magnifacere, multifacere dixit: Neq; fidem, atq; iusiurandum, neq; pudicitiam multifacit.

*VALLE.* Vallis seu Valles fœminei generis, hoc distat à vallo generis masculini, vel neutri, quod hic sit palus, aut statumen, quo vites fulciuntur: Sic Virgil. Georg. v. 264.

*Exacuunt alij uallos, furcasque bicornes*
*Atq; Amarina parant lentę retinacula vitis.*

Vel sudes quibus castra muniuntur: Sic Virg. 2. Georg. v. 25.

*Quadrifidasq; sudes, & acuto robore vallos,*

In qua significatione frequentius est generis masculini, nam in neutro plerumq; importat ipsa castrorum munimenta, quæ vallis, idest palis, seu sudibus constabant. Quamuis ipsæ etiā castrorū munitiones in genere masculino, velli dictæ inueniantur, vt apud Tibullum describentem ætatem auream sub Rege Saturno & dicentem l. 1. elegia 3.

*Non acies, non vallus erat, non bella, nec enses*
*Immiti sæuus duxerat arte faber.*

Formam autem tam Macedonici, quam Romani valli, & etiam materiam, si quis videre velit, adeat Liuium l. 33. c. 5. Vallis vero generis fæminini, planicies est demissa, duobus saltem montibus clausa, sic dicta, quod hinc, atq; illinc montibus sit vallata, & defensa: sic Virgilius 1. Æneid. v. 522.

*Est curuo amphractu vallis accomoda fraudi*
*Armorumq; dolis, quam densis frondibus atrū*
*Vrget vtrimq; latus, tenuis qua semita ducit*
*Angustęq; ferunt fauces, aditusq; maligni.*

Sic Ouid. 8. Metamorph.

*Silua frequens trabibus, quam nulla ceciderat (ætas*
*Incipit à plano, deuexaq; prospicit arua*
*Quo postquam venere uiri, pars retia tendunt,*
*Vincula pars ademūt canib⁹, pars pssa sequūtur*
*Signa pedum, cupiūtq; suum reperire periclū,*
*Concaua valles erat, qua se demittere riuis,*
*Assuerant pluuialis aquæ: tenet ima lacunę,*

*Lenta salix, vlnæq; leues, iunciq; palustres*
*Viminaq; & longæ parua sub arũdine, cannæ,*
*Hinc aper excitus* Et ab hac vallis fœminei generis significatione, ducta metaphora, vallis dicta est planities clausa scopulis, in quã mare receptum, portum Lunæ facit.

*LITTVS* si Donatum audiamus, à litãdo est: solebant enim aras in littoribus erigere, ad quas, soluentes, mactatis hostijs, à Dijs marinis prosperam flagitabant nauigationem, & appellentes similiter, in gratiarum actionem, putabantq; nefas soluere, prius, quam rite litatum fuisset. Sed si à litando, simplici, non geminato T. scribi deberet, quod contra fieri ab omnibus videmus. Alij deriuant à lædo, vel lido, nempe frango, vnde sunt elido, collido, & allido, quia ibi fluctus franguntur. Alij à luo, vel ludo. Aliorum de hac re esto iudiciũ. Certe Isidorus l. 14. c. 8. ait: Littus est terra, aquæ, & mari vicina, & dictum litus, quia fluctu eliditur, siue eluditur, vel quod aqua alluitur, Cicero in Topica ait: *Solebat Aquilius collega, & familiaris meus, quum de littoribus ageretur, quæ omnia publica esse vultis, quærentibus ijs, ad quos id pertinebat, quid esset littus, ita definire, qua fluctus alludit siue allidit, vel eludit.* Igitur littus est terra adiacens mari, vt huius fluctibus alluatur, & extenditur quousq; maximus fluctus pertingere potest. Differtq; à ripa, quod hæc sit fluuiorum, illud vero maris. Sic Ouid 5. metamorph.

*Tum freta diffudit, rapidisq; tumescere ventis*
*Iussit, & ambitæ circundare littora terræ*
*Addidit & fontes, immensaq; stagna, lacusq;*

*Fluminaq; obliquis cinxit decliuia, ripis:*
*Quæ diuersa locis, partim sorbentur ab ipsa,*
*In mare perueniunt partim, campoq; receptæ*
*Liberioris aquæ, pro ripis littora pulsant.*

Quod autem ait: Littus se multa valle receptat, factum est per enallagen, seu casuum commutationem, non enim littus receptat se in valle, seu planitie, vbi est mare, quum potius sit locus, quam locatum, vnde est oppositum, quod scilicet mare, seu planicies continetur, seu ambitur littoribus.

*RECEPTAT*, frequentatiuum à verbo recipio, est, frequenter recipit, sic Terentius Hecira A. 5. Scena 1. *Meum receptas filium ad se Pamphilum*. Et idem Terentius Heautontimorumeno Actu 5. Scena 2.

*Abij ad proximos tibi qui erant, eis commisi, & credidi* (pho
*Ibi tuæ stultitiæ semper præsidium erit Clito*
*Victus, vestitus, quo in tectum te receptes.*

Et hoc verbo significatur æstus maris, excurrentis ad littus, indeq; refluentis: vbi, supposita enallage, idest casuum commutatione, quam diximus hic interuenire, vallis nomine, per metonymiam continentis pro contento, intelligitur mare, quod frequenter æstu, vel in pulsu ventorum, ingreditur, alluitq; littus, & illinc rursus in altum reæstuans, littus nudat.

*LVNAI Portum est opere cognoscere ciues cor iubet hoc Enni, postquam destertuit esse Mæonides Quintus pauone ex Pythagoreo*. Lunai dictũ per resolutionem diphtongi, quæ apud antiquos frequens est in fœmininis secundæ decli-

clinationis, vt animai, aulai, aquai, musai, terrai, & alijs. Versus iste desumptus est ex Annalibus Ennij, vbi portus Lunensis describit opportunitates. De quo etiam Silius 8. bell. Punic. v. 403.

*Tunc quos à niueis exegit Luna metallis*
*Insignis portu, quo non spaciosior alter*
*Innumeras cepisse rates, & claudere portum.*

Et Liuius lib. 34. cap. 8. *M. Portius Consul, postea quā abrogata est Oppia lex, extemplo viginti-quinque nauibus longis, quarum quinque sociorum erant, ad Lunæ portum profectus, eodem exercitus conuenire iusso, & edicto per oram maritimam misso, nauibus omnis generis contractis, ab Luna proficiscens, edixit, vt ad portum Pyrenæi sequerentur.* Hunc ergo portum, ex Ennij sententia, dicit esse cognoscendum, est enim admiratione dignus, vtpotè vastus, à tempestatibus securus, commodus mercatoribus, ex Hispania, Gallia, Africa, vel aliunde, diuitias parare cupientibus.

COR inter omnia animalis membra principatum tenet, estq; sanguinis, spirituum vitalium, & vitæ principium. Vnde Cicero ait 2. de Nat. Deorum. *A corde sanguis in totum corpus distribuitur, per venas admodum multas, in omnes partes corporis pertinentes.* Et Plin. l. 11. c. 37. *Cor animalibus cæteris in medio pectore est, homini tantum infra lęuam papillam, turbinato mucrone in priora eminens. Hoc primum nascentibus formari in vtero tradunt, deinde cerebrum, sicut tardissimè oculos; sed os primum emori, cor nouissime, huic pręcipuus calor: palpitat certè, & quasi alterum mouetur animal, in-*

*ita præmolli firmoq; opertum membranæ inuolucro, munitum costarum, & pectoris muro, vt pariat præcipuam vitæ causam, & originem. Prima domicilia intra se animo, & sanguini præbet, sinuoso specu, & in magnis animalibus triplici, in nullo non gemino, ibi mens habitat.* Verum cor esse mentis, siue intellectus sedem, falsum est, quum intellectus nullius corporis sit actus, nec vis intelligendi corporeo sit organo affixa, vt potentiæ sensitiuæ. Ex illa tamen falsa persuasione factum est, vt qui vnius voluntatis, mentis, & opinionis sunt, vnanimes, & cōcordes dicantur: contra vero, discordes, quum aliter sentiunt. Et qui mente, intelligentia, vel acumine intellectus pollent, cordati dicūtur, ijs vero destituti, excordes, aut vecordes. Inde quoq; factum vt cor per metonymiam subiecti pro adiuncto, ponatur pro sapientia, & sic Plautus Persa A.4. Scena 4.

*Dij istam perdant, ita cata est, & callida*
*Habet cor, quam dicit, quod opu'est.*

Vnde hic cor Enni, est Ennij sapientia, vel ipse Ennius per metonymiam adiuncti pro subiecto.

Ennius ex antiquioribus poetis Latinis, vt qui florere incæperit tēpore secundi belli Punici, natus, iuxta Eusebium, Tarenti, Q. Valerio, & C. Manlio Coss. iuxta alios vero passim, Rudijs in Salentinis. Sed quum duæ fuerint Rudiæ in eadem Salentina Prouincia, vna prope vrbē Lupiam, siue Lycium, quadraginta fere stadijs ab ea discreta, in qua ipsum natum voluit Antonius Galatheus, seu de Galatona libro de situ Iapigiæ, vbi sic loquitur. [Hoc tā-

tum

tum habeto à me, quod coniectura, & lapidū inscriptionibus compertum habeo, has esse Rudias, quę Lupijs contermine sunt. & in quibus natus fuerit Q. Ennius poeta.] Al a prope Tarentum, tribus parasangis, seu stadijs prope nonaginta ab ea Vrbe distans: Et ex his Rudijs, concors scriptorum opinio fect, Ennium emersisse. Sic in primis Silius Italicus lib. 12. belli Punici versu 392.

*Ennius antiqua Mesappi ab origine Regis*
*Miscebat primas acies: Latiaq; superbum*
*Vitis adornabat dextra decus: hispida tellus*
*Miserunt Calabri, Rudię genuere vetustæ:*
*Nunc Rudiæ solo memorabile nomen alunno.*

Secundo idem habet Eusebius in Chronico l. 2. & eum sequutus D. Hieronymus ibidem his verbis: [Q. Ennius poeta Tarenti nascitur, & septuagenario maior Romæ, morbo articulari, perijt. Quidam ossa eius Rudiam ex Ianiculo trāslata affirmant.] Nec mireris dix ise eū natum Tarenti: non enim (vt Hieronymi Columnæ in vita Ennij verbis vtar) Eusebium latuit, (quamuis Tarentinum fuisse dixerit,) eum Rudijs esse ortum: nam quum eodem volumine testatum reliquerit, quosdam asserere illius ossa ex Ianiculo Rudias esse translata, videtur innuere, eum cum gentilibus suis in patria sepeliri voluisse. Nec absq; ratione Tarentinum fuisse prodit, nam illius Ciuitatis fama, ob bellicam virtutem, amplissimasq; fortunas, adeo increbuerat, vt sui nominis celebritate, propinquarum Vrbium nomina obscuraret. Tertio Strabo l. 6. de Situ orbis, ait: [Ad Brundusinos appellunt portus,

vnde Tarẽtũ versus cõpẽdioso itinere per Rodias proficiscuntur, Vrbẽ Græcã, Ennij patriã poetæ.] Si autem è Gręcia Brundusium appellentes, per eas Rudias transire vellent, quæ sunt prope Lycium, nõ compendioso, sed prolixiori via iter facerent, nam flecterent ad sinistram, spatio ferè stadiorum biscentum; at transeundo per eas, quæ sunt prope Tarentũ, iter est verè compendiosum. Antonius etiam Columna in vita Ennij, licet à principio visus fuerit Galatei sequi sententiam, tandem nihilominus sic concludit.

Contra verò Tarentini Ennium sibi ciuem vendicant, tum Eusebij authoritate, tum etiã re quasi per manus tradita. Non longè enim à Tarento duodecim millia passuum, lateritias moles, aggeres, rudera, busta, fictilibus vasculis, ac ossibus plena ostendunt, vbi quondam Rudias fuisse affirmant, quæ hodie, quasi antiquum nomen seruantes, Ruscę appellantur] Nolo præterea vti testimonio Alexandri ab Alexandro lib. 1. cap. 30 & vltimo, dicentis: Quia Tarenti mentio facta est, admoneo, etiam Rudiarum, in Appulis sitæ Vrbis, quæ multi nominis, & famę habitę sunt non minoris; Ex his enim Ennius poeta oriundus fuit, tametsi in Tarento ortum nonnulli credant; Ea enim Vrbs à Tarento haud multum distas citra Brundusium in mediterraneo sita est, vbi Lupia, & Salapia oppida fuere. Loquitur enim confusè ex ignorantia regionis. Nam quamuis rectè asserat Rudias, in quibus natus fuit Ennius, esse in mediterraneo citra Brundusiũ, & prope Tarentũ, fallitur tamẽ asserendo eas fuis-

fuisse vbi Lupia, & Salapia fuere. Nam Salapia extitit in Apulia Daunia, prope Garganum montem, quæ nihil ad Rudias, vt nec ad Calabriam, & Salentinos: Lupia vero extitit, vbi nunc est Lycium, quæ ex illius creuit ruinis, vnde etiam nunc Lycium Lupia nominatur, vt constat inter alia, ex inscriptione Templi Theatinorũ ibidem existentis, & appellati D. Irenæ, quæ sic habet. D. Irena Lupiensium patrona. Et ita non potuerunt esse hæ Rudiæ prope Tarentum, vt nec citra Brundusium. Melius scripsit Philippus Cluuerius lib. 4. cap. 13. suæ antiquæ Italiæ, dicens: [In eodem Isthmo, eodemq; Brundusino Tarentum versus itinere, fuit oppidum, quod Plinio, ac Ptolomęo singulari numero dicitur Rudia, reliquis vero authoribus plurali numero.] Et sub di [Rodię itaq; siue Rudię oppidum inter Tarentum Vriamq fuit situm.] Idem Italicè sensit Cœcus Foroliuiensis in sua descriptione nonę regionis Italię, dum asserit: Procedendo Tarentum versus octo passuum millibus ab Vria, cernitur in colle quodam nobile castrum Rudiale, nunc Cryptaliæ appellatum, conditum ex reliquijs Ciuitatis Rudiæ, & est sub ditione Ecclesiæ S. Cataldi, vbi natus fuit Ennius poeta, amicus Scipionis Africani. Similiter Leander Albertus in sua descriptione Italiæ Italicè emanata, sic in sensu loquitur. Ex Francauillæ castro ad octo milliaria est castrũ Cyptaliarum in quodam colle versus Tarentum. Et in hoc agro adest Ruce à Ptolomæo Rudiæ appellatæ, cuius nunc pauca supersũt vestigia, in quibus ortum habuit Ennius poeta

ta Natus ergo Rudijs, & antiqua Calabria, iuxta illud Ouidij 3. de Arte.

*Ennius emeruit Calabris in montibus ortus*
*Contiguus poni Scipio magne tibi,*

quæ nunc est Terra Hydruntina, inter Messapiam, seu Viiam, & Tarentum: à Portio Catone Quæstura in Græcia functo, Romam perductus, & inter prioris Scipionis Africani amicos cooptatus, præter Tragœdias multas, quas vel ipse de suo edidit, vel è Græco in Latinum transtulit, & Comœdias etiam non paucas, bellum Punicum secundum, heroicis cecinit carminibus, quorum ipse author extitit, nam nullus priorum heroicum pãxerat carmen. Alia quoq; multa edidit, quę admirationi posteritati fuere ob maximam sententiarum grauitatem, & quia ipse, nedum ingenio florebar, verum & linguas callebat, nedum Latinam, & Græcam, sed etiam Oscam, atq; Sabinã. Qua propter ferè omnes posterioris ęui scriptores multa sententiarũ lumina ex eo mutuati fuere, ad quem finem eum frequentes lectitauerunt, adeout de Virgilio legamus, interrogatũ quid ageret, dum Ennium tam attentè perlegeret, respondisse: Se aurum collig ere de stercore. Operum ipsius nunc non supersunt, nisi pauca fragmenta, ex antiquorum relationibus collecta. Ipse verò iam senex, nempè septuagenario maior, Romæ viuere desijt, correptus morbo articulari, quem cõtraxerat ex immodico vini vsu. Vino enim supra modum addictus erat, vt innuit Horatius lib. 1. Epist. 19. dicens:

*Ennius ipse pater, numquam nisi potus ad arma*

Pro

*Profiluit dicenda*, conditusq; fuit in Scipionum sepulchro, vnde tamen, quidam aiunt translatum fuisse Rudias, vt modo dicebamus ex Ouidio, & Eusebio. Hic ergo Ennius inter alia ait, se somniasse Homeri animam in se venisse, & ita se factum poetam, &c.

*POSTQVAM destertuit*: ex de, negatiuo, & verbo sterto, quod quid sit, dictum ad Satyr. 3. versum 3. est enim grauiter, profundeque dormire, vt ronchi, edātur, quod ebrij, vel turgidi faciunt. Sic Terent. Eunucho A. 5. sc. 9. *Fatuus est insulsus, tardus, stertit noctesq; & dies.* Sic Iuuenal. sat. 1. v 56. *Doctus spectare lacunar Doctus, & ad calicem vigilanti stertere naso.* Inde destertere est expergisci, & à sonno excitari, nam De, in compositione plerumq; negat, sensumq; inducit contrarium, vt videmus in dedisco, deduco, desuesco, & alijs. Et quia epulis grauati, quum dormiunt, insōnijs terrentur, & phantasmata cernunt, inde destertere est desinere somniari, seu cessare à visione phātasmatum, quæ per somnium represētabātur. Quod dicit, quia Ennius, vino forte grauatus, viderat per somnium Homeri animam in se migrasse. Ea vero, quæ dicit de laudibus portus Lunæ, non dormiens dixit, sed postquam euigilauerat, & somniare desierat.

*MEONIDES* patronimicum, incertum num à patre, vel à patria. Quidam putant à patria Meonia, quæ & Lydia, regio Asiæ minoris. Sed quum omnes asserant Homerum Græcum fuisse, non Lydum, vel Asiaticum, patronimicum non erit hinc dictum: Alij volunt eum fuisse filium Meonis, qui, authore Ephoro Cu-

neo l. de patrijs rebus, Griteida Apellis fratris filiam grauidam facit, ex qua natus est Homerus. Alij eius genus referunt in Calliopen Musam. Aristot. 3 de arte poetica vult illius patrem dæmonem fuisse. Brixiensis de hac quęstione sic loquitur: Meonides, idest Homerus, patronimicum est à Meone patre, non autem, vt multi putauere, à Meonia regione, nam Aristot. in 3. de poetica dicit: In Io insula, quo tempore Helęus Crodi filius Coloniam in Ioniam deduxit, puellam quamdam indigenam, sed quæ Musarum consuetudine vtebatur, compressit: quæ quum grauida facta fuisset, infamiam verita, in locum abijt, qui Ægina dicebatur; ibi à latronibus capta, ac Smyrnam, (quæ tunc Lydorum tenebatur imperio) abducta, Meoni Lydorum Regi, latronum illorum amico, dono data est. Ille verò puellæ venustate captus, eam duxit vxorem. Sed quũ hæc postea, iuxta Meletẽ Fluuiũ spaciaretur, occupata subito partus doloribus, Homerũ apud flumẽ enixa est, quem suscipiẽs Meon, pro suo educauit, mater enim statim post partũ mortua est. Sed Herod. Halicarn. lib. de genere, vitaq; Homeri, ait: *Quum vetusta illa Æolicorũ Ciuitas Cuma, primum conderetur, eodem, quum aliæ permultæ, omnisque generis conuenę confluxerunt, tum e Magnesia illuc, plerique commigrarunt, inter quos fuerat Menalopus Ithagenę Crithonis filio genitus, homo fortunæ non perinde amplæ, attamen expeditæ. Hic Homyretis Cumani filiã duxit vxorẽ, procreatq; è legitimo thoro fœmineam prolem, cui nomen induit Critheidi, inoxq; Menalopus vna cum vxo-*

*res*

re vita functus est, cōmissa interim filia Cleonactis Argiui tutelæ, quo familiarissimè vti consueuerat. Porro tempore interiecto, accidit forte, vt puella ista è furtiuo concubitu prægnans deprehenderetur, id quod paulisper suppressum, dū Cleonax, rescriuisset, vehementer rei indignitate commotus, Critheida seorsum ad se accersitam acerbè obiurgauit, commemorans commissi apud populares suos infamiam. Postremo huiusmodi quidpiam quo illam excuteret, cōminiscitur: Cumani iam tum in Hermei sinus recessu ędificantes, vbi Smyrnam Ciuitatem extruxissent; Theseus enim volens vxoris suæ memoriam relinquere, ab vxoris nomine Smyrnam appellauit, quippè id vxori nomen erat. Theseus autem è primarijs Thessalorum fuit, qui Cumam ędificabāt, ab Eumelo Admeti filio ortus, vitæ facultatibus apprimè instructus. Hoc loco Cleonax, per occasionem Critheida obtrusit, Ismenię Bœotio, ex his, qui Coloniam illuc duxerant in primis fibi amico. Progressu deinde temporis, Critheis, cum alijs mulierculis ad festum quoddam egressa, iuxta fluuium Meletem, ut quæ partus iam vicina esset, Homerum peperit, non cæcum, sed videntem, nominatq; eum Melesigenem, à fluuio videlicet ad quem editus esset. Etiam num apud Ismeniam se Critheis continebat, à quo postea digressa, manuaria industria se filiumq; alebat, aliunde alia sumens opera, vnde filium quoq; quantum potuit, honestis disciplinis erudiuit. Erat autem eo tempore Smyrnę quidam nomine Plemius, qui iuuentuti illic litteras, musicamque tradebat: hic quum citra vxorem viueret, Critheidem conduxit, quæ lanam illi exerceret, quam à discipulis mercedē

*acceperat: illa verò industria multa, atq; elegantia freta, Phemio cæpit impensè placere, adeout tandem Phemius eam verbis ad coniugium sollicitaret, referens, quum alia, quibus ei fidem facere confidebat, tum præcipue quod Melesigenẽ in filium esset adoptaturus, liberaliterq; simul & aliturus, instituturusq; siquidem hunc cernebat iam miram quandam, & ingenij, & indolis spem de se polliceri. Persuasa igitur Critheis, Phemio assentitur. Melesigenes quum naturæ bonitate præstans, tum cura accedente, institutioneq; continua, omnes sui ordinis adolescentes facile præuertit: atq; non ita multo post, eruditionis auctibus crescens, nihilo ipso Phemio in disciplinis factus inferior. Et quum Phemius vita functus, vniuersa ei legasset, paulo post Critheis quoque fato concedit. Melesigenes itaq; ludo præfectus, suiq; iam iuris effectus, in magna fuit hominum admiratione, non apud suos modo, verũ apud externos etiam, qui peregrè frequẽtes illuc, mercatus gratia conuenerant. Erat enim Smyrna emporium celebre, vnde frumenta, quæ eodem è vicinis agris abunde conuecta, à peregrinis coemebantur: externi autem quum ab opere cessarent, Melesigeni libenter vacabant.* Fuit autem Homerus celeberrimus omnium Græcorum poetarum, qui heroicis carminibus scripsit, nedum Iliadem, & Odysseam, sed & alia, quorũ multa adhuc extant: Floruitque sexaginta prope annis ante Romam conditam, & vt loco citato ait Herodotus: *Ætatem Homeri, si quis diligenter, recteq; ratiocinetur, ex hisce facile deprehendas, nempè ab expeditione Græcorum, quam Agamemnon, & Menelaus in Ilium habuerunt,*

*runt. annis centum post atq; triginta Lesbus oppidatim habitari cœpit, quum antea nullam prorsus haberet Ciuitatem. Post Lesbum habitatam annis viginti, Cuma Æolica, & Phricotis appellata habitabatur. Porro à Cuma annis duodeuiginti in Smyrnam Cumani Colonias transtulerunt, quo tempore natus est Homerus;* Et ita annis centum sexaginta octo à Troiæ excidio. Quod si verum est, non potuit eius natiuitas sexaginta tantum annis Romam præcedere, si verum est, hanc cepisse annis 430 vel 437. à Troiæ vastatione. Porro Homeri nomen ei adhęsit, propterea quod quum in cęcitatem incidisset, à Cumanis postulauit, vt se alerent, & vice versa ipse eorum Ciuitatem celeberrimam redderet: cui petitioni vnus Cumanorũ se opposuit, dicens, vt ait l.c. Herodotus *Si semel ὁμήρος hoc est cæcos alendos suscipiant, futurum vt continuo turbam habeant, & multam, & inutilem. Atque hic primum Homeri nomen Melesigeni inditum, à cæcitatis videlicet calamitate, nam Cumani cæcos ὁμήρὑς appellant.* In mortem tandem desperatione venisse dicitur, ob non solutum piscatorum ęnigma: nam quũ ab eis ex insula venięt bus, quæsisset, an quos cępissent, & deferrent? de piscibus intelligens, atque illi intelligentes de vermibus, & pediculis, respondissent: Quotquot cępimus, iam non habemus; habemus autem quos nunquam cœpimus. Ille diu excogitans solutionem huius ęnigmatis, eamq; inuenire non valens, in mare se præcipitem dedit, & obijt. Cui morti similis est illa, quam obijsse Aristotelem quidam volunt: is enim inuenire non valens ratio-

tio-

tionem septiformis æstuationis Euripi, desperans, in illud se deiecit dicendo. Aristoteles nō habet Euripum, Euripus habeat Aristotelē. Sed de Homero aliter loco cit. Herodotus, ait enim. *Ineunte verè moliebatur Homerus è Samo Athenas proficisci: subuectusque vna cum popularibus quibusdam, ad Ium appulit, vbi stationem non ad Vrbem, sed in littore habebant. Hic contigit Homerum grauiter ęgrotare. Egressus igitur è naui, in crepidine littoris iacebat ęgrotus. Atq; vbi diutius illic ob nauigādi difficultatem, in portu remorarentur, subinde pleriq; ex Vrbe Homero vacabant, eumq; audientes reuerenter obseruabant. Iam vero nautis, cęterisque aliquot qui è ciuitate conuenerunt, illic apud Homerum considentibus, forte piscatorum ministri eodem appulerant: qui è nauicula egressi, hęc verba habuerunt: Agite uero peregrini, audite nos, num quid eorum, quę proponemus explicabitis? Ibi è pręsentibus, quidam iubebat eos proloqui. Illi, Nos, inquiunt, quęcumq; cępimus, reliquimus: quæ uero non cępimus, nobiscum portamus. Et cum nemo id ęnigmatis interpretari posset, piscatores explicabant, significantes nimirum se, cum piscium nihil capere possent, desidentes in sicco, pediculos uenatos. Et horum quotquot cępissent, abiecisse, quos non inuenissent, domum retulisse. Atqui ex ægritudine hac, extremū diem clausit Homerus in Io, non autem (ut arbitrantur aliqui) ęnigmatis perplexitate enectus, sed morbo.* Sed Homerus, qui viuens, nec qui hospitio reciperent habuerat, mortuus clarissimas habuit Vrbes digladiantes, vt dicerentur eius patria. De qua re Distichon est apud Gellium lib. 3. cap. 11.

Ἕπτα πόλεις διερίζουσι περὶ ῥιζανομένου
Σμύρνα, ῥόδος, κολοφὼν, Σαλαμὶν, Χίος,
Ἄργος, Ἀθῆναι

quod Latinè sic verti potest: Septẽ Vrbes certant de patria Homeri, Smyrna, Rhodos Colophon, Salamin, Chios, Argos, Athenæ.

*QVINTVS*, Controuersia est, num Quintus sit nomen numerale, an substantiuum, & pronomen Ennij, qui certè Quintus Ennius dicebatur. Numerale asserunt Cornutus, Brixiensis, & alij. Nam Cornutus ait: Ennius in annalium suorum principio, se dicit vidisse Homerum dicentem, fuisse quondam pauonem, ex eo translatam esse animam in se, secundum Pythagoræ philosophi definitionem, qui dicit animas humanas per polingenesin, idest iteratam generationem, exeuntes de corporibus, in alia posse corpora intrare: ideò quintus dictus propter eam opinionẽ, quę dicit animã Pythagoræ in pauonem translatam, de pauone verò in Euphorbum, de Euphorbo in Homerum, de Homero in Ennium. Brixiensis verò sic loquitur. Varias opiniones sequũtur poetæ; alij enim scribunt, Pythagoram dixisse se pauonem fuisse, deindè ex pauone animam suam in Euphorbum trãsisse, tum in Homerum, tandemq; ab Homero fertur in ipsum translatam, tum dixit in Ennium peruenisse, vt sic accipias Ennium quintum fuisse à pauone, in cuius corpore habitauit anima Pythagoræ. Hereclides Ponticus, vt refert Plutarchus, docet, Pythagoram de se dicere solitum, quod fuerit aliquando Ethalides, & putatus Mercurij filius, Mercuriumq; eum monuerit, vt, præter immortalitatem, peteret quidquid

vellet; illum petijsse, Quo viuens,& vita functus recordaretur omnium, quæ sibi contingerent. Itaq; in vita omnium memoriam habebat; eandemq; memoriam per mortem seruauit, longoq; post tempore in Euphorbum veniſſe, qui,à Menelao vulneratus,extinctus eſt,vt Ouidius cecinit. *(quondam*

*Panthoides Euphorbus eram, cui pectore*
*Hæſit in aduerſo grauis haſta minoris Atridæ.*

Et hic Euphorbus dicebat ſe Ethalidem fuiſſe,atque à Mercurio pro munere habuiſſe, vt anima illius, iugi circuitione vagaretur, & in quas vellet arbores, vel animantes commigraret. Poſt vero quam Euphorbus diem clauſit, impreſſam in Hermotimum ipſius animam,qui & ipſe quum fidem vellet facere, Branchidas petijt, ingreſſusq; Apollinis phanum, oſtendit clypeum, quem illic Menelaus affixerat,dicens illum quum ex Troia remeaſſet, Apollini ſacraſſe ſcutum iam putrefactum, ſolamq; perdurare eburneam faciem. Vbi autem, & Hermotimus vita functus eſt, rurſus in Pyrrhum Delium piſcatorem migraſſe, illumq;omnia memoraſſe, vt ſcilicet primum Ethalides fuerit, poſtea Euphorbus, deinde Hermotimus, ac poſtmodũ Pyrrhus effectus ſit; ac deinceps poſt Pyrrhum factum eſſe Pythagoram, omniumque meminiſſe, quę prædiximus. Sed quum Heraclides iſte nihil habeat de Homero,vel Ennio, quamuis probaret Pythagoram fuiſſe quintum ab Ethalide, non tamen haberemus Ennium fuiſſe quintum Meonidem, vt hic dicitur. Vndę Plautius refert Lactantium interpretem Papiniani, dicentem;animam Pytha-

tha-

thagoræ fuisse primum in Euphorbo, secundo migrasse in Pythagoram, tertio in pauonem, quarto in Homerum, quinto in Ennium. sed hæc polingenesis aduersatur chronologiæ & rationi temporum, dum inducit animam immediatè migrasse ab Euphorbo, interfecto tẽpore belli Troiani, in Pythagoram, qui floruit sub Seruio Tullio: quum tamen à bello Troiano quindecim Reges Albę regnauerint, alij quinque Romæ vsq;ad Seruium Tullium. Maximè quum dicat animã à Pythagora tertio loco migrasse in pauonem, & quarto ex pauone in Homerum, qui tamen sexaginta & amplius annis fuit ante Romam conditam, nedum ante ortum Pythagoræ. Reijciendæ ergo fabellæ istæ, & dicendum, Quintũ esse nomen substãtiuum, & prænomen Ennij. Difficultatem tamen facit verborum constructio, quum Quintus hic ponatur in casu recto, Ennius vero in patrio; vt non videatur posse illi coniungi, sed dicimus posse verba sic construi Cor Ennij iubet hoc, postquam Quintus destertuit esse Meonides ex pauone Pythagoreo, vt Quintus sit ipse Ennius, iam nominatus in casu patrio.

*PAVONE*, aue notissima, vario pennarum fulgore conspicua, quam teste Æliano l.3. historiæ animalium, quum primum in India vidisset Alexander, ne quis occideret, graui vetuit edicto. Hæc ex India in Græciam translata, in insula Samo multiplicata fuit, nam teste Columella l.3. cap. 11. in insulis optimè educatur, & vt refert Athenęus Samij monetam pauonę signauerunt, & quia Iunonem

præ-

præcipuè colebant, quam apud se educatam, nuptamq; dicebant, eique celeberrimum dicauerant templum, in eo pauones alebantur. Ex quo factum est, vt aurea hæc auis, illi opulentiæ Deæ fuerit dicata: vnde in antiquis Iunonis numismatibus, pauo videtur cum lancea, & patera. Natura, pauoni nedum dedit inter cęteras aues formæ præstantiam, sed vt eam quasi cognoscens, de eadem glorietur, quapropter ab aspicientibus laudatus, pennas explicat aduerso maximè sole, vt clarius fulgeant, vt cecinit Ouid. lib. 1. de Arte.

*Laudatas ostendit auis Iunonia pennas*
*Si tacitus spectes, illa recondet opes.*

Et Plinius l 10. c. 19. & 20. *Itaque pręcedent, & ordine, omnesq; reliquas in his pauonum genus, quum forma, tum intellectu eius, & gloria. Gemmantes laudatus expandit colores, aduerso maxime sole, quia sic fulgentius radiant: simul vmbræ quosdam repercussus cæteris, qui in opaco clarius micant, conchata quærit cauda, omnesq; in aceruum contrahit pennarum, quos spectari gaudet oculos. Idem cauda, annuis vicibus amissa cum folijs arborum, donec renascatur iterum cum flore, pudibundus, ac mœrens quęrit latebras. Viuit annis vigintiquinque, colores incipit fundere in trimatu. Ab authoribus non gloriosum tantum animal hoc traditur, sed, & maleuolum.* Pauonem autem Pythagoreum hic nominat, tam ad insinuãdam paliugenesin, & commigrationem animæ pauonis in ipsum, vel ipsius in pauonem, vt retulimus, quam ad denotandam Pythagoræ vanitatem, siquidem is supra modum gloriæ cupiditate flagrauit, qua incitatus,

tus contra veritatem à se clarè cognitam, multa mentitur, tum asserens se Cęlorum audire harmonicum concentum, quem cæteri hominum, corporibus immersi, percipere non valent: tum dicens se reminisci quæcumq; in alio fecisset corpore, vt dum Ethalides, vel Euphorbus erat, quod alij non recordabãtur: Tũ denique, quia maiorem suis dictis assensum adhiberi volebat, quam cuicumque demonstrationi, vnde erat illud. Ipse dixit: quod fidei tantum Diuinæ debetur. Quum ergo in his, & alijs pauonem imitaretur, dici potuit pauonis animam in ipsum transisse, & pauo Pythagoreus per casuum commutationem, quum dici debuisset Pythagora pauonius.

*PYTHAGOREO.* Samos insula, ad quam primum ex India pauones delati fuere, & vnde in Italiam, & alias Europæ Regiones asportati, patria fuit Pythagoræ, qui Mnesarchi ãnulorũ fictoris, vel Marmaci filius, Italicæ philosophiæ princeps, singulata humilitate, seu modestia, primus se philosophum appellauit, quum cæteri scientiarum indagatores se sophos, idest sapientes dicerent, dedit sapientiæ operam, nedum apud Græcos, audiens Pherecydem Syrum, & Hermodamanta, sed commendatitijs Polycratis ad Amasim Ægyptiorũ Regem, in Ægyptum venit, ibiq; Sacerdotes audiuit, vt etiã Magos, Astrologosq;, Chaldęos, siue Babylonios: tum pręclaras Lycurgi, atque Minois, nempe Lacedęmonias, & Cretenses leges, omnibus tam Græcis, quam Barbaricis sacris est initiatus. Quibus cum scíẽtiarum thesauris in patriam reuersus, quũ

cũ n inueniſſet à Polycrate oppreſſam, tyrannidis odio, ſpontaneo exilio in eã Italiæ partem, quæ nunc vlterior Calabria, antiquis Magna Grecia dicta fuit, nauigauit, vbi Crotoniatis, & Metapontinis, eorum rogatu, leges ſcripſit, quæ diu apud eos valuerunt. Vixitq; apud Crotoniatas, apud quos vſq; modo oſtẽduntur reliquię ſcholæ ipſius: eosque luxuria diffluentes, exemplo, authoritate, & doctrina, ad tantam reduxit frugalitatem, vt mulieres aurum, gemmas, veſtem pretioſam, cum cæteris irritamentis luxurię, & totum mundum muliebrem, Iunoni, eiuſq; templo dicauerint. Ibi philoſophiam profeſſus, plures vtriuſque ſexus diſcipulos habuit. Concordans autem cum melioribus in aſſerenda animæ immortalitatę, & neganda poſſibilitate multitudinis actu infinitæ, quum ex alia parte aſſereret mundum cum ſuis generationibus nõ habuiſſe initium, ſed fuiſſe ab æterno, incidit in difficultatem illam de infinita animarum multitudine, quæ actu nunc eſſet, ſi in quilibet generatione anima immortalis de nouo fieret. A quo laqueo, vt ſe ſolueret, palingeneſin excogitauit, dicendo non ſequi infinitatem, quia non fieb[a]t noua anima, ſed quæ fuerat in vno, per generationem in nouum corpus trãſibat. Quę ſolutio an euacuet vim argumenti de infinitate, ſaltem generationum, poſita mundi ęternitate, diſputatur a[d] 8. phyſico ũ. De Pythagora Ouidius 15. metamorph. ait.

*Vir fuit hic ortu Samius, ſed fugerat vna*
*Et Samon, & dominos, odioq; tyrannidis exul*
*Sponte erat: iſque licet cœli regione remotus*

*Mente*

*Mente Deos adijt, & quæ natura negabat*
*Visibus humanis, oculis ea pectoris hausit.*

De eodem Laert. l. 8. *De Pytagora tradit Hermippus, illum quum in Italiam uenisset, Ædiculam sibi subterraneam ædificauisse, matremq; ea quæ fierent notatis quoq; temporibus in tabulas referre, deinde secum, donec supra terram exire uellet, descendere iussisse; hoc igitur matrē fecisse. Phytagoram uero post aliquot tempus gracilitate corporis, uehementerq; exiccatum supra terram exisse, quumque in concionem ascendisset ex inferis se uenisse, dixisse. quin etiam ea quæ acciderāt ipsis recitabat: illi uero his, quæ dicebātur, deliniti, & illacrymabantur, & ingemiscebant, Pythagoramq; ipsum diuinum quemdam hominē adeo esse credebant, vt ei mulieres traderent, quasi aliquid ex eius doctrina percepturas, quas etiam Pythagoricas uocatas fuisse tradit.* Tertullianus etiam ait l. de anima c. 28. *Ex uno homine tota hæc animarum redundantia agitur, obseruāte scilicet natura, Dei edictum; Crescite & in multitudinē proficite. Nā & in ipsa præfatione operis unius; Faciamus hominem, uniuersa posteritas pluraliter prædicata est. Et præsint piscibus maris, nihil mirum repromissio segetis in semine. Quis ille nunc uetus sermo apud memoriā Platonis de animarū reciproco discursu, quod hinc abeuntes, eant illuc, & rursus huc ueniant, & fiant, & dehinc è uita abeant, rursus ex mortuis effici uiuos. Pythagoricus, ut uolunt quidā diuinus, ut Albinus, ut existimo, aut Mercury forsitan Ægypty, sed nullus sermo diuinus, nisi Dei unius quo Prophetæ, quo Apostoli, quo ipse Christus intonuit. multo antiquior Moyses etiam*

Satur-

Sat urno nongentis circiter annis, nedum pronepotibus eius, certè diuinior multo, qui decursus generis humani, ab exordio mundi quoq; per singulas natiuitates nominatim, temporatimque digessit, satis probans diuinitatem operis ex diuinatione uocis. Si uero Samius Sophista Platoni author est de recidiuatu reuolubili semper ex alterna mortuorum, atque uiuentium successione, certè ille Pythagoras. etsi bonus cetera, tamen ut hanc sententiam extrueret, non turpi modo, uerumtamen temerario o īdacio incubuit. Cognosce qui nescis, & crede nobiscum. Mortem simulat, subterraneo latitat. sèptem.i se illic patientia damnat, interea quæ de posteris defunctis ad fidem rerum esset relaturus, ab uni a conscia, & ministra matre cognoscit. Vt satis sibi usus est co pallentiam interpolasse, ad omnem non sui ueteris horrorem, de adytis fallaciæ emergit, ut ab i[illegible] is redditus, quis non crederet reuixisse, quem redderat obysse? Audiēs præsertim ab eo, quę de posteris mortuis, nisi apud inferos, non uideretur cognoscere potuisse? Sic ex mortuis [illegible] effici, senior sermo est, quid enim si & nunc [illegible] Neque ueritas desiderat uetustatem, neque mēdacium aeuitat nou[illegible] llitatem. Teneo planè falsum antiquitate generosum, quidni falsum, cuius testimonium quoq; ex falso est. Quomodo credam non mentiri Pythagoram, qui mentitur, ut credam. Quomodo mihi persuadebit Æthalidem, Euphorbum, & Pyrrhū piscatorē, & Hermotimum se retro ante Pythagoram fuisse, ut persuadeat [illegible] nos ex mortuis effici, qui iterum se Pythagoram peierauit. Quanto enim credibilius ipse ex semel ipso rediisset in uitam, quam toties alius, atque alius,

*alius, tanto enim durioribus fefellit, qui mollio-ra mentitus est. Sed clypeum Euphorbi olim Delphis consecratum, recognouit, & suum dixit, & de signis vulgo ignotis, probauit. Respice ad Hypogeum eius, et. si capit, crede. Nam qui talem commetus est stropham, cum iniuria bonæ valetudinis, cum fraude vitæ septennio excruciate infra terram, inedia, ignauia, vmbra, cui tanti fuit fastidium cæli, quam non accesserit temeritatem, quam non tentauerit curiositatem, vt ad notam clypei illius perueniret? Quid autem si in historijs aliquibus occultioribus reperit? Quid si defunctæ iam traditionis superstites aliquas famę aurulas hausit? Quid si ab æditiuo redempta clā. inspectione cognouit? Scimus etiam Magos elicere explorandis occultis per catabolicos, & paredros, & Pythonicos spiritus. Non enim & Pherecydes Pythagoræ magister, his forsan artibus diuinabat, ne dicam somniabat? Quid si idem dæmon in illo fuit, qui & in Euphorbo res sāguinis gessit? Denique, qui se Euphorbum ex argumento clypei probarat, quur neminem Troianorū commilitonum ęque recognouit? Nam, & illi iā reuixissent, si viui ex mortuis fierent.* Vixit autem Pythagora, iuxta Laertium annis octoginta, vel nonaginta. Mortuus est autem hoc modo. Sedente illo vna cum familiaribus in Milonis domo, contigit, vt à quodam eorum, qui ab eo recepti nō fuerant, ob inuidiam domus incenderetur. Quidam Crotoniatas ipsos hoc fecisse tradunt, metuentes ne opprimerētur tyrannide. Pythagoram igitur currentem comprehensum esse, quumque ad locum quēdam fabis plenum venisset, ibi constitisse, atq;

ita dixisse: capi præstat, quam conculcare, interfici vero melius est quam loqui. Atque ita à persequentibus esse occisum, eodemque modo plurimos quoque ex eius discipulis, qui circiter quadraginta erant, interijsse: paucissimos aufugisse, è quorũ numero Archytas fuit Tarentinus, & Lysis. Dicearchus, mortuum esse Pythagoram ait: quum in Musarum templum Metapõti confugisset, quadraginta dierum inedia. Heraclides in Epitome Satyri vitarum, eum tradit: posteaquam Pherecydem Deli sepultura affecisset, in Italiam reuertisse, quumq; apud Cylonem Crotoniatam omniũ genere ciborum extructam mẽsam inuenisset, Metapontum concessisse, ibiq; quum viuere amplius nollet, per inediam è vita discessisse. Hermippus: Agragantinis, Syracusanisque bellum inter se gerentibus, Pythagoram ait, vna cum familiaribus discessisse, & Agragantinis præfuisse, quibus fugatis, ipsum, agrum fabis consitum flectentem, à Syracusanis esse occisum, reliquos, qui erant ad 35 Tarenti combustos esse, quod his, qui Remp. regebant in ea administranda aduersari vellent. Et ab hoc Pythagora nunc denominatur pauo pythagoreus, modo à nobis enucleato.

*HIC ego securus vulgi, & quid præparet. Auster infelix pecori, securus, & angulus ille vicini nostro, quia pinguior, etsi adeo omnes ditescant orti peioribus, vsque recusem Curuus ob id minui senio, aut cænare sine vncto, & signũ in vapida naso tetigisse lagena.* Ordo est. Hic ego securus vulgi, & quid auster infelix præparet pecori, & securus, quia angulus ille vicini

cini pinguior nostre, etsi adeo omnes orti peioribus, ditescant, vsque recusem ob id curuus minui senio, aut cœnare sine vncto, & tetigisse naso signum in lagena vapida. Si Persius talis fuit, qualem se his verbis describit, inter egregiè moratos numerandus est; non enim exiguæ est virtutis, longe esse ab ambitione, auaritia, luxuria, inuidia, & alijs, à quibus se prædicat immunem. Vtinã Christianorum nullus, pauci saltem, his forent vitijs obnoxij, vt possent verba ista dicere, de quibus Ethnicus gloriatur. Persius itaq; quum narrasset quo loco moraretur, consequenter exponit quid ibi operaretur, quibusue foret studijs occupatus, asseritq; se viuere securum vulgi, idest absque cura, sollicitudine, & anxietate de sermonibus vulgi, quomodo securum exposuimus ad Satyræ 3. vers. 52. Itaque dum iste erat securus vulgi, non pendebat ex vulgi opinione, sed ex sua conscientia, nec ambiebat vulgi fauores, vt ambitiosus, & cupidus gloriæ vanæ: & in hoc consistit esse securũ vulgi.

*Et quid præparet Auster infelix pecori*, quasi dicat; nedum nihil curo vulgi sermones, hominumque de me opiniones, sed nec sollicitor pro malis, quæ Auster pecori minatur. Auster ventus est meridionalis, natura calidus, & humidus, vehemens, turbulentus, tempestates in mari, terra, agris, montibusq; ciens, quo flante, laxantur corpora, fiuntq; tarda, & tabida, ac ad omnem quasi vitalem operationem inepta. Immo Plinius l. 18. c. 33. refert hunc ventum in Africa incendia cum serenitate adferre: cæterum in Italia, etsi æstuosus, humidus

eſt,ideoque dictus Auſter ab humore , quaſi hauſter, ab aquis hauriendis , vnde ab Horatio vdus, ab Ouidio aquaticus , à Claudiano madidus , & ab Auguſtino pluuiarum dictus pincerna : ſicut è contra ab eodem Auguſtino Borea dictus eſt terrę ſcopa,immo,& cœli ſcopa ab Alberto in Methęoris.Hinc Gellius l. 2. c.22 ait:*Meridies, quoniam certo , atque fixo limite eſt, vnum meridionalem ventum habet , is Latinè auſter, Græcè νότος nominatur , quoniam eſt nebuloſus , atq humectus, νότος enim Græcè humor nominatur.* Virg 2. Georg.v.35?.

*Arboribuſq; ſatiſque Notus, pecoriq ſiniſter.*

In quo vides Perſium Virgilio congruentem, nam vt Virgilius dixit : Notum eſse pecori ſiniſtrum , ità Perſius,Auſtrum pecori infelicé. Eſt autem infelix ſiue ſiniſter , quia animantia reddit morbida, vt quandoq; eis peſtilentiam, & infectionem adducat . Nam quamuis calor naturalis proprio humido coniunctus, vitam foueat, calor nihilominus, & humidum innaturale, corruptionem, vel morbum inducit,& talis eſt calor , & humiditas Auſtri . Et hæc dicta ſunt accipiendo auſtrū propriè pro vento meridionali. Cæterum quia tempus hic deſcriptum eſt brumale, quando hic ventus non ſolet adeo pecoribus nocere, ſicut venti aquilonares, puto Auſtrum nominatum per ſenecdochen vnius ſpeciei pro alia, pro Borea, aut alio vento aquilonari, qui certè,hyemali tempore,pecoribus sūt infeliciſſimi,quū illis mortem, ſuo intenſo frigore,adducant: nec id mirum ,quando & inſenſibilibus ſunt noxij, vnde Virg. 2 Georg. v. 315.

Nec

*Nec tibi tam prudens quisquam persuadeat author*
*Tellurem, Borea rigidam spirante, mouere.*
*Rura, gelu tũ claudit hyems, nec semina iacta*
*Concretam patitur radicem affigere terræ.*

Et Plinius l. 18. c. 34. *Borea flante, ne arato, frugem ne serito, semen ne iacito, perstringit enim, atq; percellit hic radices arborum, quas post futurus adferes.* Quod si talis est, vt insensibilibus hic ventus noceat, quando, eodem spirante, durare poterunt animalia sensibus prædita? est enim animalium vitæ contrarius, quum sit frigidus, & siccus: & etiam quia, quum plerumque inducat niues, quibus herbæ, & alia pecorum pabula absconduntur, ideo merito illis infelix, seu sinister dici potuit, tum est etiam lethalis. Quod autem Persius hic ait se huius rei esse securum, idest sine cura, sollicitudine, & angore animi, significat se longe esse ab auaritia, & acquirendi, vel possidendi cupiditate, nam propterea non tristabatur videndo sua omnia pessum ire.

*SECVRVS, & angulus ille vicini, nostro quia pinguior.* His verbis à se amolitur inuidiam, quæ auaritiam, & diuitiarum cupiditatem comitari solet, queque apparere facit magnifica proximorum bona, etiã si sint exigua, sua vero ingentia, videri mediocria, sic Ouid. 1. de Arte.

*Fertilior seges est alienis semper in agris,*
*Vicinumq; pecus grandius vber habet.*

Ex quo inuidus, miser cruciatur, & tabescit, nam iuxtà Horat. lib. 1. epist. 2.

*Inuidus alterius macrescit rebus opimis.*
*Inuidia Siculi non inuenere Tyranni*

*Maius tormentum.*

Ait ergo: sum hic sine cura, nec sollicitor animo ob pecorũ pestilẽtiam, & mortem: nec etiã quum video angulum vicini esse nostro rure pinguiorem, & vberiorem. Nam tò, &, hic idẽ valet ac etiam. Angulus autem iuxta Varronem ab ago dicitur, nam ait: primum, quod dicitur ago, actio ab agitasse facta: hinc dicimus: Agit gestum Tragœdus, & agitantur quadrigæ: hinc agitatur pecus ad pastum, qua via agi potest: hinc angiportum, quia nihil in eo agi potest: hinc angulus, quod in eo locus angustissimus. Sed Festus putat angulum dici, vel ab ἀγκύλος, incuruus, quia omnis angulus incuruatur, siue aduncatur, vel ab ἐγγύς prope, nã duo latera approximando, siue concurrendo, angulum efficiunt. Alij putant dici ab ango, omnis enim angulus angustior est loco, cuius est angulus, & ita angitur, siuè arctatur. Et iuxta diuersas facultates diuersimodè accipitur. Apud Geometras angulus resultat ex duabus lineis in idem punctum desinentibus. Apud Architectos est, in quo duo parietes coeunt: apud agrimẽsores est in quo conueniũt duo agrorum, in acutum desinentium, latera: sic Horat. 2. serm. sat. 6.

*O si angulus ille*
*Proximus accedat, qui nunc deformat agellum*

Et ita nunc sumitur propriè: nisi mauis accipere per senecdochen pro toto agro proximi, qui per inuidiam fertilior videbatur.

*PINGVIOR* dicitur propriè dẽ animalibus quæ sagina redduntur obesa, vt de suibus, turdis, ficedulis, & alijs. Est enim pinguedo

inter

inter carnem, & cutem: differtq; ab adipe, quod adeps adhæreat membranis, & extremitatibus musculorum, & expositum frigori, durescat, facileq; frangatur: pinguedo vero, ista non habeat. Sed metaphoricè etiam incorporalia pinguia dicuntur, vnde pingui Minerua factum dicitur, quod sine diligentia, & ingenij solertia. Oratio etiam pinguis, vel adipata dicitur, vel succosa, quando constat argumentis probantibus, & patheticis, & est culta coloribus, atque figuris. Terra quoque pinguis dicitur à Virgilio Eclog. 3. v. 100.

*Eheu quam pingui macer est mihi taurus in aruo*

Et 2. Georg. versu 203.

*Nigra fere, & presso pingui sub vomere terra*
*Et cui putre solū (namq; hoc imitamur arando)*
*Optuma frumentis.* Et ibidem ver. 248.
*Pinguis item, quæ sit tellus, hoc deniq; apecto*
*Discimus, haud vnquā manibus iactata fatiscit.*

Sic Palladius de R. R. l. 1. tit. 5.

*In terris quærenda fœcunditas, ne alba, & nuda sit gleba, ne macer sabulo sine admixtione terreni, ne creta sola, ne arenæ squalentes, ne ieiuna glarea, ne aurosi pulueris lapidosa macies, nè salsa, vel amara, ne uliginosa terra, ne tofus arenosus, atque ieiunus, ne vallis nimis opaca, & sol da: sed gleba putris, & fere nigra, & ad tegendum se graminis sui crate sufficiens, aut misti coloris, quæ etsi rara sit, tamen pinguis soli adiunctione glutinetur. Quæ protulerit, nec scabra sint, nec retorrida, nec succi naturalis egentia ferat. Quod frumentis dandis vtile signum est, ebulum, iuncum, calamum, gramen, trifolium non macrum, rubos pingues, pruna siluestria:*

*color namq; non magnopere querendus est, sed pinguedo, atque dulcedo. Pinguem sic agnosces: glebam paruulam dulci aqua conspergis, & subigis si glutinosa est, & adhæret, constat illi inesse pinguedinem. Item scrobe effossa, & repleta, si superauerit terra, pinguis est, si defuerit, exilis: si conuenerit æquata, mediocris.* Sic Columella l.2.c.1. *Neque enim idcirco rudis, & modo ex siluestri habitu in aruum transducta, fæcundior haberi terra debet, quod sit requietior, & iunior, sed quod multorum annorum frondibus, & herbis, quas suapte natura progenerabat, velut saginata largioribus pabulis, facilius edendis, educandisque frugibus sufficit. At quum perruptæ rastris, & aratris radices herbarum, ferroq; succisa nemora, frondibus suis desierunt alere matrem, quæq; temporibus autumni frutetis, & arboribus delapsa folia superiaciebantur, mox conuersa vomeribus, & inferiori solo, quod plerumque est exilius, permixta, atque absumpta sunt, sequitur, vt destituta pristinis alimentis, macrescat humus.* Et ita intelligit nunc angulum pinguiorem aptiorem ferendis frugibus, & fœcundiorem.

*ETSI adeo omnes ditescant orti pectoribus* His verbis aliud à se remouet vitium, nemesin, scilicet seu indignationem, quæ est dolor ob felicitatem immeritis contingentem. Nam quamuis, vt diximus Instit. Orat. l.1. Tract. 7 cap. 10. iuxta mentem Aristotelis, dolor iste sit bonorum, quibus displicet talis inordinatio, vt iniusti iustorum præmia obtineāt, quod etiam deplorat Boetius, dicens, de Consol. l. 1. metro. 5.

*Nam quur tantas lubrica versat*

*For-*

*Fortuna vices? premit insontes*
*Debita sceleri noxia pœna:*
*At peruersi resident celso*
*Mores solio. sanctaq; calcant*
*Iniusta vice colla nocentes.*
*Latet obscuris condita virtus*
*Clara tenebris, iustusq; tulit Crimen iniqui*

Nihilominus tam indignatio, quam quęcumq; alia passio, contemplationis impedit quietem, ideoq; Persius, vt Stoicus, eam à se amolitam gloriabatur: & multo magis fugere illam debent Christiani, quibus bonorum operum præmium, in futura vita promittitur. Dicit ergo se nō indignari, quod orti peioribus, fortunæ bonis abundent. Orti autem peioribus reputantur, qui ex nequioribus, aut vilioribus descenderūt. Peiores enim vulgo existimātur libertini, aut plebei respectu equitum, Senatorum, aut Patriciorum; quamuis è vili, & seruili genere natus, possit proprijs virtutibus euadere quolibet Rege clarior, vt de Iustino, & Arsace legimus, & de Dauide notissimū est. Peiores etiam creduntur turpe exercentes ministerium, vt lixæ, calones, lanij, lenones, venefici, caupones, & similes: sed illi apud sapientes sunt peiores, qui vitijs sunt inquinati, vt ganeones, aleatores, fures sicarij, patriæ proditores, adulatores. Et videtur Persium hic respexisse ad filios adulatorum, aut mimorum, qui suo tempore, sub Nerone Principe maximis abundabant diuitijs, donatis, vel ab ipso Nerone, vel a præcedentibus Caligula, vel Claudio, quando Senatorum, & Patriciorum filij, bonis fere omnibus exuti, pauperta-

tis illuuie, & pædore sordebant. Id quod ante notauerat Horatius dicens l. 1 epist. 6.

*Gaude, quod spectãt oculi te mille loquentem:*
*Gnauus mane forum, & vespertinus pete tectũ*
*Ne plus frumenti dotalibus emetat agris*
*Mutius, indignum quod sit peioribus ortus*
*Hic sit tibi potius, quam tu mirabilis illi.*

Deus namque, iustos, sapientes, & secundum virtutem viuentes, tamquam proprios filios malis, & cruciatibus in præsenti atterit vita, scelestos vero, & vitijs omnibus fœdatos, vtpote à se alienos, in delitijs sinit esse in hoc seculo: at in futuro, conueniente vtrisq; se uat retributionem. Hinc Seneca de prouidentia: c. 1. ait: *Inter bonos viros ac Deum amicitia est conciliante virtute. Amicitiam dico? immo etiam necessitudo, & similitudo, quoniam quidem bonus ipse tempore tantum à Deo differt, discipulus eius, æmulatorq; & vera progenies, quē pater ille magnificus, virtutum non lenis exactor, sicut seueri patres, durius educat: Itaq; quum videris bonos viros, acceptosq; Dijs laborare, sudare, per arduum excendere malos autem lasciuire, & voluptatibus fluere, cogita filiorum nos modestia delectari, vernularum licentia; illos disciplina tristiori continere, horum alere audaciam: idē tibi de Deo liqueat: bonum virum in delitijs non habet, experitur, indurat, sibi illum præparat* Et idem Seneca eodem l. c. 2. *Miraris tu si Deus ille bonorum amantissimus, qui illos quam optimos esse, atq; excellentissimos vult, fortunam illis cum qua exerceantur assignat? ego vero non miror si quando impetum capiunt spectandi magnos viros colluctãtes cũ aliqua calamitate. Nobis inter-*

*dum*

dum voluptati est, si adolescens constãtis animi irruentem feram venabulo excepit si leonis incursum interritus pertulit: tantoque spectaculum est gratius, quanto id honestior fecit. Non sunt ista, quæ possunt Deorum in se vultum conuertere, sed puerilia, & humanę oblectamenta, leuitatis. Ecce spectaculum dignum, ad quod respiciat, intentus operi suo, Deus. Ecce par Deo dignũ, vir fortis cum mala fortuna compositus Et eodem l. c. 4. Magnus es vir, sed vnde scio si tibi fortuna nõ dat facultatẽ exhibendę virtutis? Descẽdisti ad Olympia, si nemo præter te, coronã habes, victoriã non habes: non gratulor tamquam uiro forti, sed tamquam Consulatum, Preturamue adepto, honore auctus es. Idem dicere, & bono uiro possum si illi nullam occasionẽ difficilior casus dedit, in qua una uim sui animi ostenderet. Miserum te iudico, quod numquam fuisti miser: transisti sine aduersario uitam. Nemo sciet quid potueris, ne tu quidem ipse: opus est enim ad notitiam sui experimento, quid quisque posset, nisi tentando non didicit: Itaque quidam ultro se cessantibus malis obtulerunt, & uirtuti ituræ in obscurum, occasionem per quam enitesceret, quæsierunt: gaudẽt inquam magni uiri aliquando rebus aduersis non aliter quam fortes milites, bellis. Auida est periculi uirtus, & quo tendat, non quid passura sit cogitat, quoniam, & quod passura est, gloriæ pars est Sic & Salian. l. 1. de Gurbernat. Dei, ait Labor, ieiunium, & paupertas, & humilitas, & infirmitas, non omnibus sunt onerosa tolerantibus, sed tolerare nolẽtibus. Siue enim grauia hæc, siue leuia, animus tolerantis facit. Nã sicut nihil est tã leue, quod ei nõ graue sit, qui inuitus facit, sic

*nihil est tã graue, quod nõ ei qui libẽter exequitur, leue esse videatur.* Orti ergo peioribus sunt descendentes à vitiosis.

*VSQVE recusem curuus ob hoc minui senio.* Quasi dicat: ob ea, quæ dicta sunt de anni infelicitate, morte pecorum, & terræ sterilitate, non ita conturbor, vt propterea quidquam detrahere velim de cõsueta viuendi, & cœnandi ratione. Recusare autem propriè, quum sit verbum factum ex prępositione re, & verbo cudo, sculpo, siue eius supino, cuso, importat negationẽ iteratæ cusionis, siue sculpturę. Verũ tam hic, quam alibi sæpe sumitur pro reijcere, renuere, & assensum negare. Sic Virg. 10. Æneid. v. 297.

*Frangere nec tali puppim statione recuso*
*Arrepta tellure semel.* Et 1. Georg. v. 53.
*Et quid queq; ferat regio, & quid queq; recu-*
Sic Cic. pro L. Flacco *(set*

*Si populi Romani perspiciunt mentem, & uolũtatem, omnibus rebus quibus potest Populus Ro. significat quid sentiat. Nulla varietas est inter homines opinionis, nulla voluntatis, nulla sermonis. Quare si quis illuc me uocat, uenio, populum Rom. disceptatorem, non modo non recuso, sed etiam deposco.* Sic idem Cic. Bruto, siue Oratore. *Quæ uis tum maxime cognita est, quum Lusitanis à Seruio Galba Pretore contra interpositã, ut existimabatur, fidem interfectis, T. Libone Tribuno plebis incitante Populum, & rogationem in Galbam priuilegij similem ferente, summa senectute, ut ante dixi, M. Cato legem suadens in Galbam multa dixit, quã orationem in Origines suas retulit, paucis ante-*

*quam*

*quam mortuus est an diebus, an mensibus. Tū igitur recusans Galba pro sese, & populi Rom. fidē implorans, quum suos pueros, cum C. Galli etiam filium flens cōmendabat,* Et ita nunc renuere est renuere, vel negare, quasi dicat, nec in tali rerum statu refugio ea, quæ sequuntur in textu, nimirum.

*CVRVVS*; quasi couruus à con et uruus, siue vrbus, idest aratri curuatura, proprie est gibbus. Græcè κυρτος Eolice κυρκος vnde Luna quando est maior dimidia, appellatur αμφικυρτος vtrimque gibbosa. Homo autem dicitur curuus, quum ad terram flectitur, seu deorsum inclinatur, cuiusmodi nominatur etiam Silicernius, nam vt ait Fabius Fulgentius in interpretatione vocum antiquarum. *Silicernios dici voluerunt senes iam incuruos, quasi iam sepulchrorum suorum silices aspicientes. Vnde, & Cincius Alimetus in historia de Gorgia Leontino scribit dicens, qui dum iam Silicernius, sui finem temporis expectaret, si mori non potuit, tamen infirmitatibus exultat.* Et quum tam baiuli, quam doloribus pressi, deorsum propendeāt vt senes annorum pondere grauati, omnes hi curui dicuntur. Hoc de se nunc Persius negat, tempe ob talia infortunia dolere, & incuruari quia non erat de illorum numero, de quibus sat. 2. v. 61.

*O curuæ in terras animæ*

quin potius ad virtutes, & sempiterna suo modo, ideſt vt Ethnicus, sed Stoicus, erectus aspirans, non pluris fortuita ista faciebat, quam sapientes moneant esse facienda.

*MINVI*, minorem reddidi, extenuaui, partem

tem detraxi. Commentatores huius loci exponunt, Persium dicere voluisse, senectute se incuruatum, & minorem redditum, nam vt addit Casaubonus, senio incuruati, minores videntur quam sint. Alij volunt *minui senio* esse macrum fieri: nam Horatius, gaudentem, dixit opimum, mœstum vero macrum l. 2. epist. 1.

*Valeat res ludicra, si me*
*Palma negata macrum, donata reducit opimū.*

Sed quum Persius obierit in iuuentutis flore, ætatis anno vigesimo nono, non consonat interpretatio. Respondent, senectutem anteuertisse, arcessitam curis, atq; ærumnis, iuxta illud Plauti, Captiuis A. 1. scena 2.

*Tuo mærore maceror,*
*Macesco, consenesco, & tabesco miser*

Et illud Boetij de Consol. l. 1. metro 1.

*Venit enim properata malis inopina senectus*
*Et dolor ætatem iussit inesse suam.*

Sed nec istud conuenit, quia ex præsenti textu habemus, ipsum curis non angi, quocumq; fortuita modo se haberent. Tum etiam nam excepto stomacho, nusquam legimus eum alio dolore vexatum, quo præcocem incurrerit incuruantem senectutem. Nam quod cœperit canescere, & legi, & concedere non abnuo: sed canities nihil ad corporis minorationem Hinc aliter interpretor tò minui senio, idest nō de longitudine staturæ, sed de mensę hilari procuratione pro vita ad senectutem vsque sustentanda, cui nihil vult detractum: contra quam faciant auari, genium fraudantes, vt habeant in senectute, ad quam forte non peruenient, & etiam si peruenient, ex vsu, pergūt absti-

abſtinere, vt ait Horat. ad Piſones.

*Multa ſenē circūueniunt incommoda, uel quòd*
*Quærit, & inuētis miſer abſtinet, ac timet vti.*

Pluſq; quærit viat ei, quo minus ſibi reſtat de via? itaq; minuere ſenio eſt, more ſenū timēre ū vti bonis, eiſque incubantium, detrahere aliquid de quotidianis expenſis, & extenuare alimenta, reſeruando partem detractam pro ſenectute. Nec moueat tò Curuus, non enim eo ſignificatur gibboſitas à ſenectute prouenieus, ſed naſcens ex incubatione ad bona poſſeſſa, quæ eſt gibboſitas moralis, non corporalis, quomodo animæ inanes cœleſtium, dictæ ſunt curuæ in terras. Hic igitur recuſat, & negat velle ſordidè, & illiberaliter viuere, etiamſi annui redditus pereant.

*AVT cœnare ſine uncto*, Auari, ſordidi, ſi bonorum aliquam fecere iacturam, vt eam reficiant, impenſis parcunt, & ſicca caninaq; cœna contenti, ſuum fraudant genium; etiam ſi viliſsimus leno dicat apud Plautum, Pſeudolo actu 1. ſcena 2.

*Ipſe ego pulmento utor magis unctiuſculo.*

De quo etiam Horatius ad Piſones.

*Si uero eſt vnctum, qui rectè ponere poſſit.*

Dicit ego Perſius, etiam ſi algoribus, & tempeſtatibus pecora interierint, & agri culturæ non reſponderint, recuſabo tamen cœnare ſine vncto, nec ero ſicca brutaliq; cœna contentus immo pro modo facultatū, ſplendidè mihi obſonabo: vnctè enim cœnare, eſt vti pingui cibo.

*SIGNVM*: putant aliqui eſſe ſculptum, aut pictū in fundo calicis, idque naſo tangi, quum vinum bibendo fuerit exhauſtum, vt tangere ſignum

ſignum naſo, ſit bibere abundãter, quod poeta recuſare videtur. Sed id non placet, quum aliquando ſit abundanter bibendum, & tamen poeta recuſat tangere naſo ſignum. Ideo ſignũ intelligo id quo aliquid notamus, claudimus, vel obſignamus ne fundi poſſit, vel ne publicetur. Sic obſignamus epiſtolas, ne legãtur: arcas, ne expilentur, & vaſa plena, ne quid inde ſubtrahatur. Sic apud Horatium l. 2. epiſt. 2.

*Comis in uxorem, poſſet qui ignoſcere ſeruis,*
*Et ſigno læſo non inſanire lagenæ.*

Vbi manifeſtè de ſigno, quo lagena claudebatur ſermo eſt. Et ſimiliter hic, quum lagenam nominet, ex qua non bibitur, non calicem, aut cyathum, in cuius fundo ſculpuntur ſigna. Et his notatur auaritia quorumdam apponentium ſigna, nedum vaſis optimo vino plenis, ſed etiam ſemiuacuis, & continentibus vinum vappeſcens, qui quum vinum expromere volunt, tanta diligentia obſeruant, num ſigna ſint ſalua, vt naſo illa tangant. Et hoc Perſius negat ſe facturum, etiam in prouentuum extenuatione. Lagena autem vapida, eſt vas continens vinum iam euanidum, & ſemicorruptum, ideſt cuius tam ſapor, quam vigor exhalauit, ideoq; tale, vappa dicitur potius quam vinum. Hinc ſordidi auari eſt, eius lagenam ſignare, & multo magis tam curioſè illius ſigna obſeruare. Quod Perſius negat ſe facturum.



SEN-

SENSVS PARAPHRASTICVS

# TEXTVS PRIMI.

AMice Basse, num hoc brumale tempus coëgit te ad ignem accedere Sabinum? & num inibi lyram tractas, asperoque plectro illius chordas ad sonos adigis? Tu enim es admirandus magister temperandi Latinam, seu grauem citharam, reddendiq; primas, & acutas illius voces proportionaliter consonantes grauioribus, & vltimis, grauem, ac virilē sonū edentibus, per trochleos chordas trahendo, & extēdendo. Et deinde es quoque magister mirabilis, ad lyram cātandi tam iocos iuueniles, seu amores adolescentu m, quā egregia facta, siue in bello, siue in pace, senum, & antiquorum. Verum si tibi nunc alget Sabina, Ligustica mihi ora non tepet, meumque siue Ligusticum, siue Etruscum mare, frigoribus hibernat, etiā in ea parte, qua scopuli, & saxa dant illi immensū latus, & mare æstuās in portum recipitur, adhuc enim in ipso portu mare alget. Et nihilominus delectabile est hunc Lunensem aspicere portum, idq; monuit cordati Ennij sapiētia, nec tunc quum ebrius, iuxta vanagloriosi Pythagoræ placitum, somniauit Homeri animā in se migrasse, sed postquam, vino digesto, fuit expergefactus. In hac autem regione viuo absque sollicitudine, & anxietate, nihil curans de hominibus, nec de eo quod vulgus de me opinetur, nec angor

ſi venti aquilonares, aut noxij, mortem pecoribus attulerint: nec tangor inuidia ſi vicinus ager ſit noſtro fęcundior. Nec indignor, ſi viles, & infami genere nati, diuitijs polleant, digniores vero pædore ſqualeant. Immo rebus ſic ſtantibus, quaſi aduerſi nihil acciderit, viuendi formam non muto, nec incuruor ad cuſtodiam partorum, nec de annali prouentu, & victu quotidiano quidquam detraho, ſeruans pro ſenectute. Nec ſiccam, & illiberalem eligo cœnam; nec obſeruo vtrum vinariæ lagenæ ſigna ſint ſalua.

## SATYRÆ SEXTÆ

# TEXTVS SECVNDVS.

DIxerat Perſius de imperturbabili ſui quiete, etiamſi fortuna aduerſus eum ſæuiret; nunc refert, alios aliter eſſe animatos. Nam quidam proprium fraudantes genium, neceſſarijs parcunt expenſis, ſordidè viuentes; alij luxuria diffluentes, ingentia ſtatim abliguriunt bona: inter quos ipſe media incedere ſtatuit via, viuendo iuxta modum ſuarum facultatum, vt nec eas inutiliter expendat, dando quibus, vel expendendo in ea, quę non debet: nec negando, quę honeſtè dari debent. Immo ſi caſus euenerit neceſſitatis, ſubueniendi amico periclitanti, id ſibi faciendum aſſerit, etiam cum detractione partis de ſorte principali, non curando de ira, & minis hæredis, damnantis talem liberalitatem. Cui re-

respondet: Quid si in Principis honorem, vel plebis vtilitatem maiores, quam pro amici indigentia, sumptus facere vellem, auderes ne prohibere? certè non. Quanto ergo potius ferre ęquo debes animo, quæ ex officio in amicum congessi? Et quia hæres repudiaturus videbatur hæreditatem, asserit id se non curare, quum alium scribere possit hæredem. Inde proximiorem reprehendit, quod ipso adhuc superstite, hæreditatis computet rationes, eumque monet ne id faciat, sed pro lucro habeat quidquid ad ipsum venerit de suis bonis, nec ab eo, iure parentis, ratiocinia poscat, alioquin minatur se quotidianas expẽsas maiores facturum, & ità in dies hæreditatem minoraturum. Deinde coronidem apponit, illos reprehendendo, qui negociationibus etiam cum vitę discrimine, diuitias studeant aceruare, quarum cupiditas (etiam si in decuplum fuerint multiplicatę) est inexplebilis, ideoque à Chrysippo soluẽte infinitum suum soriten, quęrit, quo tandem termino, interminabilis cupiditas ista, possit terminari.

## TEXTVS II. SATYRÆ SEXTÆ.

*DIscrepet hic alius. Geminos Horoscope varo*
*Producis Genio: solis natalibus est qui*
*Tingat olus siccũ muria, uafer in calice ẽpta*
*Ipse sacrum irrorans patinæ piper. Hic bona dente*
*Grandia, magnanimus peragit puer. Vtar ego utar.*
*Nec rhombos ideo libertis ponere lautus*

Nec

Nec tenuem sollers turdorum nosse saliuam.
Messetenus propria uiue, & granaria, fas est,
Emole, quid metuas? Occa. En seges altera in herba est.
Ast vocat officium: Trabe rupta Brutia saxa
Prendit amicus inops, remq; omnem, surdaq; uota
Condidit Ionio. Iacet ipse in littore, & una
Ingentes de puppe Dij, iamq; obuia mergis
Costa ratis lacerae. Nunc & de cespite uiuo
Frange aliquid, largire inopi, ne pictus oberres
Caerulea in tabula. Sed coenam funeris haeres
Negliget, iratus quod rem curtaueris, urnae
Ossa inodora dabit, seu spirent cinnama surdum,
Seu caraso peccent casiae nescire paratus.
Tune bona incolumis minuas? Sed Bestius urget
Doctores Graios: ita fit postquam sapere Vrbi
Cum pipere, & palmis uenit nostrum hoc maris expers.
Foenisecae crasso uitiarunt unguine pultes.
Haec cinere ulterior metuas? At tu meus haeres
Quisquis eris, paullũ à turba seductior audi:
O bone, nũ ignoras? missa est à Caesare laurus
Insignem ob cladem Germanę pubis, & aris
Frigidus excutitur cinis: ac iam postibus arma,
Iam chlamides Regũ, iã lutea gausapa captis
Essedaq; ingentesq; locat Cęsonia Rhenos
Dijs igitur, Genioq; Ducis, centũ paria, ob res
Egregiè gestas induco. Quis uetat? Aude.

Vt

*Vt nisi conniues. Oleum, artocreasq; popello*
*Largior. An prohibes. Dic clarè. Non audeo inquis*
*Exossatus ager iuxta est. Age, si mihi nulla*
*Iam reliqua ex amitis, patruelis nulla, proneptis*
*Nulla manet, patrui sterilis matertera uixit,*
*Deq; auia nihilum superest, accedo Bouillas*
*Cliuumq; ad Virbi, presto est mihi Manius hæres*
*Progenies terrę. Quęre ex me, quis mihi quartus*
*Sit pater, haud promptè dicam: tamen adde etiam unum*
*Vnum etiam terræ est iã filius, & mihi ritu*
*Manius hic generis, prope maior auunculus exit.*
*Qui prior es, quur me in decursu lampada poscis?*
*Sum tibi Mercurius, uenio Deus huc ego, ut ille*
*Pingitur, an renuis? Vin tu gaudere relictis?*
*Deest aliquid summę, minui mihi, sed tibi totum est*
*Quidquid id est: vbi sit fuge quærere quod mihi quondam*
*Legarat Stadius, neu dicta repone paterna:*
*Fœnoris accedat merces, hinc exime sumptus*
*Quid reliquum est? Reliquum? Nunc nunc impensius unge*
*Vnge puer caules. Mihi festa luce coquatur*
*Vrtica, & fissa fumosum sinciput aure,*
*Vt tuus iste nepos olim satur anseris extis*

*Quum morosa uago singultiet, inguine uena*
*Patriciç immeiat uuluç. Mihi trama figurę*
*Sit reliqua, ast illi tremat omento popa uë-*
*ter?* *(lers*
*Vende animā lucro, mercare, atq; excute sol-*
*Omne latus mundi, ne sit prçstantior alter*
*Cappadocas rigida pingues pauisse catasta.*
*Rem duplica, feci, iam triplex, iam mihi*
*quarto*
*Iam decies redit in rugam. Depinge vbi sistā*
*Inuentus Chrysippę tui finitor acerui.*

COMMENTARIVM.

*DISCREPET* Discrepare est quasi diuersè, vel in duo crepare. Crepare autem est per effractionem edere sonum: sed quū sonus sit genus ad vocem, seneechdochicè sumitur, plerūq; pro voce, qua animi conceptus exprimuntur, quamuis nonnumquam discrepant a sit in ipsis rebus independenter à sonis, & vocibus, sic apud Horat. l. 2 epist. 2.

*Et tamen idem scire uolam, quantum simplex hilarisque nepoti*
*Discrepet & quantum discordet parcus auaro.*

Sic Cic. 1. Officiorum. *Tanta vis est loci, & temporis, vt si quis, quum causam sit acturus, in itinere, aut in ambulatione, secum ipse meditetur, aut si quid aliud attentius cogitet, non reprehendatur: at hoc idem si in conuiuio faciat, inhumanum videatur inscitia temporis. Sed ea, quæ multum ab humanitate discrepant, vt si quis in foro cantet, aut si qua est alia magna peruersitas, facilè appareat, nec magnopere admonitionem, & praecepta desiderant: quæ autem parua videntur esse delicta, neq; à multis intelligi possunt, ab*

*ijs*

*is est diligentius declinandum, vt in fidibus, aut in tibijs, quamuis paulum discrepent, tamē id scienti animaduerti solet.* Et eod. l. 1. Offic. *Omninò si quidquam est decorum, nihil est profectò magis, quam æquabilitas vniuersæ vitæ, tum singularum actionum, quam conseruare non possis, si, aliorum naturam imitans, omittas tuam. Vt enim sermone eo debemus vti, qui notus est nobis, ne, vt quidam Græca verba inculcantes, iure optimo irrideamur, sic in actiones omnem, ne vitam, nullam discrepantiam conferre debemus.* Itaq; discrepare est diuersè sonare, seu diuersas proferre voces, aut sententias. Vt, *discrepet hic alius*, sit, In hac re sunt diuersæ sententiæ.

*GEMINOS Horoscope varo producis genio.* Ordo est. Horoscope producis geminos, genio varo. Gemini dicuntur vno eodemq; partu ex vtero egressi, si duo tantū fuerint, nam si tres, trigemini, & sic deinceps Virg. 8. Æn. v. 630.

*Fecerat, & viridi fœtam Mauortis in antro*
*Procubuisse lupam, geminos huic ubera circum*
*Ludere pendentes pueros.*

Sic Plautus Menechmi prologo.

*Mercator quidam fuit Syracusis senex*
*Ei sunt nati filij gemini duo.*

Et eadem fabula A 2. scena 1.

*Fratrem quæsitum geminum germanum meū.*

De trigeminis idem Virg. 8. Æn. v. 201.

*Maximus ultor*
*Trigemini nece Geryonis, spolijsq; superbus*
*Alcides aderat* Et Liuius l. 1. c. 24. *Forte in duobus tunc exercitibus erant trigemini fratres, nec ætate, nec viribus dispares. Horatios Curiatiosque*

*ti sque fuisse satis constat, nec ferme res antiqua alia est nobilior, tamen in re tam clara, nominũ error manet, utrius populi. Horatij, utrius Curiatij fuerint, authores utroq; trahunt, plures tamen inuenio, qui Romanos Horatios uocent, hos et sequar inclinat animus. Cũ trigeminis agunt Reges, ut pro sua quisq; patria dimicent ferro, ibi imperium fore, unde uictoria fuerit.*

HOROSCOPE ab horarum inspectione: σκοπεῖν enim est inspicere: ὥρας autem nomine non importatur particula diei, sed absolute tempus illud, quo primum quis in lucem editur. Nam sicut χρόνος sumebatur simpliciter pro tempore; deinde specialiter pro anno: sic ὥρα primum est tempus, deinde diei pars. Verum hic sumitur pro tempore natiuitatis, seu pro illo temporis momento, quo quis nascitur: vel pro illa cœli parte, quæ, momento quolibet ex inferiori hemisphærio partis Orientalis, ad nostrum ascendit: Indeq; Horoscopus dicitur etiam Ascendens, & consideratur tempore natiuitatis cuiusq;. Hoc namque momentum, siue hic Horoscopus consideratur à Genethliacis, afficientibus natos sub eodem Ascendente, vel Horoscopo, seu stātibus sideribus sub eadem figura, & dispositione, ijsdem futuros præditos moribus, casibusque subiectos. Quod tamen falsum esse nouimus, nedũ in multis geminis, de quibus profanæ loquũtur litteræ, sed & in ijs, qui valde torserunt Genethliacos, hoc est Iacob, & Esau, natos ex vno concubitu Isaac, vt dicitur Roman. 9. quos Rebecca ita successiuè est enixa, vt posterior prioris plantam teneret (nam propterea

rea Iacob, ideſt ſupplantator fuit appellatus. Quis enim in tam exiguo temporis ſpatio, totam dicere audeat mutatam Stellarum configurationem, vt poſterior, tam corpore, quam animo, tam diuerſus naſceretur à primo? Merito vana à ſapientibus eſtimata eſt Mathematicorum profeſſio, ſaltem quo ad eam partem, qua hominum mores, liberaſque operationes ſideribus adſcribere volunt, contra Sanctorum patrum, & maximè Auguſtini de C. D. l. 5. à c. 1. ad 8. doctrinam, quę etiã ab Eccleſia, & ſummis Pontificibus Xiſto V. & Vrbano VIII. cõfutata eſt, & damnata. Quod etiam poeta nunc videtur innuere, dum appellato Horoſcopo, aſſerit eum producere geminos genio varo, hoc eſt cum contrarijs inclinationibus, & diuerſis moribus, contra quam dicant Aſtrologi, volentes natos ſub eodem Horoſcopo, eoſdem habituros mores.

*PRODVCIS*, generas. Sic Terent. Adelphis Actu 3. ſc. 2.

*Sent animam primum extinguerem ipſi, qui illud produxit ſcelus.*

Et Plautus Captiuis Actu 3. ſc. 5.

*Quod hoc eſt ſcelus*
*Quaſi in orbitatem liberos produxerim.*

Et quia Pręceptores dicuntur ſecundi patres, etiam iſti producere dicti ſunt. Sic Cicero pro Q. Roſcio Comœdo. *Sic eſt vulgus, ex veritate pauca, ex opinione multa exiſtimat. Quid ſciret ille, perpauci animaduertebãt, vbi didiciſſet omnes quærebant, nihil ab hoc prauum, & peruerſum produci poſſe arbitrabantur.* Hoc

colligitur quid velit hic poeta, dicens Horoscopū producere geminos genio varo: quum enim Horoscopus propriè non producat, generet, vel instruat, sed adsit talia facienti, per metonymiam dictus producere, vt dicitur tempus producere ea, quę sunt in tempore, iuxta illud: *Omnia fert tempus.*

*VARO GENIO*, Vari, crura habent extrorsū diuaricata, vt varus sæpè sumatur pro detorto, vel diuerso, vt exposuimus, referendo ad mores, ad Satyræ 4. versum 12. & ad Satyræ 5. vers. 137. Genius autem quis sit, dictum est ad Satyræ 2. vers. 3. Verum hic pro naturali sumitur inclinatione. Vnde quod hic ait, est, Tu Horoscope infundis, seu causas diuersas inclinationes natis ex eodem vtero.

*SOLIS natalibus est qui tingat olus siccum muria vafer in calice empta, ipse sacrum irrorans patinæ piper, hic bona dente grandia magnanimus peragit puer* Ordo est. Est vafer, qui solis natalibus tingat olus siccum muria empta in calice, ipse irrorans patinæ sacrum piper: hic puer magnanimus peragit bona grandia dente. *Solis natalibus.* Natalis est dies, quo quis in lucem editus fuit, qui, genio indulgendo, apparatioribus epulis, & omni lętitiæ significatione celebrabatur, quando eis ab amicis, & clientibus munera offerebantur. Hinc Virgilius Ecloga 3. vers. 76.

*Phyllida mitte mihi, meus est natalis, Iola.*

Et Plautus Pseudolo. Actu 1. Scena 2.

*Facite hodie vt mihi munera multa huc ab amatoribus conueniant*

*Nam nisi penus annuus hodie conuenit, cras po-*

*populo prostituam vos*
*Natalem scitis mihi diem esse hunc.*

Et Ouid. 1. de Arte.

*Quid quasi natali quum poscit munera libo?*
*Et quoties opus est nascitur illa sibi.*

Et Alexander ab Alexandro l. 2. c. 22. ait: Nec solum Vrbis natalem, sed singulorũ dies natalitios pulte, fritillo, mero, libis, floribus, & thure sacra genio, sine animali hostia, læti, libentesq; concelebrarunt, quibus diebus effudisse cruorem, aut animal mactasse, mali portenti erat, & fœdi auspicij, namq; erant hilaritatis, & lætitiæ pleni dies. Si quis ergo in his diebus parcè, sordidéque viuat, quid in alijs faciet? Et hoc nunc dicit.

*TINGAT*, inficiat, madefaciat, colore, vel humore imbuat. Sic Martial. l. 1. epig. 44.

*Tingit cutem Charinus, & tamen pallet.*

Et Plinius lib. 33. c. 5. [Nihil aliud Chrysocolla, quam vena putris: natiua duritia maximè distat, luteam vocant: & tamen illa quoq; herba, quam luteam appellant, tingitur. Natura est, quæ lino, lanæue ad succum bibendum. Tunditur in pila, deinde tenui cribro secernitur, postea molitur, ac deinde tenuius sic cribratur: quidquid non transmeat, repetitur in pila, dein molitur, puluis semper in catinos digeritur, & aceto maceratur, vt omnis duritia soluatur, ac rursus tunditur, dein lauatur in conchis, siccaturque: tunc tingitur alumine schisto, & herba supradicta, pingiturque antequam pingat. Refert quam bibula docilisq; sit, nam nisi rapuit colorem, adduntur & schitanum, atque turbystum, ita

vocant medicamenta sorbere cogentia. Quum tinxere, pictores orobitin vocant.] Et lib. 37. c. 9. ait. [Principatum amethysti Indicæ tenent, sed in Arabiæ quoque parte, quæ finitima Syriæ, Petræa vocatur, & in Armenia minore, & in Aegypto, & in Gallia reperiuntur: sordidissimæ auté, vilissimæq; in Thaso, & Cypro. Causam nominis adferunt, quod vsq; ad vini colorem accedens, priusquam eum degustet, in violam desinet, fulgorque quidam in illa purpuræ non ex toto igneus, sed in vini coloré deficiens. Perlucent autem omnes violaceo colore, scalpturis faciles. Indicæ absolutum felicis purpuræ colorem habent; ad hancque tingentium officinæ dirigunt vota.] Verum hic tingere strictius sumitur, vt est imbuit humore salito, habente condimenti gratiam, vilem tamen pretio.

*OLVS* herba satiua hominis cibo proportionata: ita dictum, quod ante inuentas fruges, vel (vt verius loquar) ante carnes homini concessas, idest ante diluuium, homines oleribus vescerentur. Sic Columella lib. 11 cap. 3. *Cinaræ* (nempe vt quidam vocant articocoli, seu cardui maioris, Græcè σκόλιμοι) *sobolem melius per Autumni æquinoctiũ disponemus; semen commodius circa Kal. Martij seremus, eius plantam circa Kal. Nouembris deprimemus, & multo cinere stercorabimus, id enim genus stercoris huic oleri videtur aptissimum.* Sumitur tamen pro victu tenui, atque frugali. Vnde Horat. 2. ser. sat. 7.

*si nusquam es fortè uocatus*
*Ad cœnam, laudas securum olus.*

Quod

Quod nomen quidam deriuant à Græco ὅλος herba quęcunque esculenta, indicium priscę frugalitatis: nam antiqui nihil sibi deesse existimabant obsonii, dum olera adessent. Sed si ab hac esset origine, scribi deberet cum aspiratione, quod tamen ab emendatioribus non fit: Inde puto esse ab oleo, id est cresco, nam oleris nomine venit herba satiua in hortis crescens, cujus caule, cymis, vel folijs homines vescuntur.

*SICCVM*, aridum, vt olus siccum sit, nec pingui iure coctum, nec vnguine, aut aliis condimentis imbutum, sed pura simpliciq; elixum aqua, quod vt esui fieret aptius, muria erat condiendum, vel sale, aceto, oleo, & similibus: sed quidam solo pręparant aceto. Obsonium istud proprium est pauperum, vel hominum delicias aspernantium. Hinc Plautus Captiuis actu 1. scena 2.

*Nam meus scruposam victus commeat viam.*
P. *Numquam istoc vinces me Hegio, ne postules:*
*Cum calceatis dentibus ueniam tamen.*
H. *Asper meus uictus sanè est.*
P. *Sentesne esitas?*
H. *Terrestris cœna est.*
P. *Sus terrestris bestia est.*
H. *Multis oleribus.*
P. *Curato ægrotos domi.*

In quo etiam sensu Romanorum 14. *Qui infirmus est, olus manducet*. Oleris nomine intelligitur, quod ex dura, & aspera absumitur muria, nam talis est cibus pauperum, & ægrotorum, ideoque ea audiens Parasitus, lo-

co citato Plauti, ea aspernatus ait: *Curato ægrotos domi*, nam ij se vnctiora appetebat. Sic Celsus lib. 4. c. 15. [ Oportet in primis conquiescere, siquidem omnis agitatio exulcerat: deinde ieiunum sorbere vini cyathum, cui contrita radix quinque folii sit adiecta: impo. nere cataplasmata super ventrem, quæ reprimant, quod in superioribus ventris morbis nõ expedit, quotiesque decidit subluere aqua calida, in qua decoctæ verbenæ sint, portulacam, vel coctam, vel ex dura muria edisse, cibos, potionesque eas, quæ adstringunt aluum.

*MVRIA*, liquamine ex sanguine, intestinis, vel interioribus thynni. Sic Martialis lib. 13. epigr. 92.

*Antipolitani fateor sum filia thynni*
*Essem si scombri non tibi missa forem.*

Quod dicit, quia duæ sunt horum liquaminũ species, vna ex putrescẽtibus thynni interioribus, quæ vilior erat, etiam apud Plautum Penulo Actu 1. scena 2.

*Quasi salsa muriatica esse autumantur*
*Sine omni lepore, & sine suauitate*
*Nisi multa aqua usque & di. macerantur*
*Olent, salsa sunt, tangere ut non uelis.*

Alia, quæ ex scombri fiebat sanguine, & hæc erat preciosissima, teste Plinio dicente lib. 31 cap. 7. [ Aliud etiam num liquoris exquisiti genus, quod garon vocauere, intestinis pisciũ, cæterisque quæ abiicienda essent, sale macerat is, vt sit illa putrescẽtium sanies. Hoc olim conficiebatur ex pisce, quem Græci garon vocabant, capite eius vsto, suffitu extrahi secun-

cundas morantes. Et sequitur c. 8. Nunc è scombro pisce laudatissimum, in Carthaginis Spartariæ cætariis, sociorum id appellatur (vel quia in conuiuiis, & sodalitatibus eo vterentur, vel quia socijs, pro magno munere mitteretur) singulis millibus nummum permutantibus congios pene binos. Nec liquor vllus pene, præter vnguenta, maiore in pretio esse cœpit, nobilitatis etiam gentibus. Scombros quidem, & Mauritania, Bæticaque, & Carteia ex Oceano intrantes, capiunt, ad nihil aliud vtiles. Laudantur & Clazomenę garo, Pompeijq; & Leptis, sicut muria Antipolis, ac Thurij, iam vero & Dalmatiæ. Vitium huius est alex, imperfecta nec colata fex. Cœpit tamē & priuatim ex inutili pisciculo, minimoque confici, Apuam nostri, Aphyen Græci vocant, quoniam is pisciculus è pluuia nascitur. Foroiulienses piscem ex quo faciunt, lupum appellant. Transijt deinde in luxuriā, creueruntque genera ad infinitum, sicuti garum ad colorem mulsi veteris, adeoque dilutam suauitatem, vt bibi possit: aliud vero ad castimoniarum superstitionem, etiam sacris Iudæis dicatum, quod fit è piscibus squama carētibus. Sic alex peruenit ad ostreas, echinos, vrticas, cammaros, mullorum iocinera, innumerisq; generibus, ad saporem gulæ, cœpit sal tabescere.] De eodem ait Isidor. l. 20. c. 3. Garum est liquor piscium salsus, qui olim conficiebatur ex pisce, quem Græci γάρον vocabant, & quamuis nunc ex infinito genere piscium fiat, nomen tamen pristinum tenet à quo initium sumpsit. De sanguine scombri

fieri ait Martial. lib. 13. epigr. 96

*Expirantis adhuc scombri de sanguine primo*
*Accipe fastosum munera cara garum*

Et eodem lib. 13. epig. 79 nobile vocat.

*Ebria Baiano veni modo concha Lucrino,*
*Nobile nunc sitio luxuriosa garum.*

Nec fieri ex solo pisce garo, vel solis scombris habemus ex Alexandro ab Alexand. l. 4. c 17. Iure pontificio cauebatur, cuius verba sunt. Ad Diuos adeunto caste, pietatem adhibéto, opes amouēto, qui secus facit, Deus ipse vindex erit. Quā castimoniā apud exteros quoq; seruari meminimus, quippe in Thesmophoris matronæ Athenienses, vt Veneris ictus cohiberent, folijs vitium cubilia substernebant: nonnulli garo ex piscibus, qui squamā non habent, quod incendia libidinum reprimeret, & irritos conatus faceret, in sacris vsi sunt.] itaque quum tam garum, quam muria ex sanguine, intestinis, & reliquis abijciendis partibus putrescentium piscium, sale conditis, fierent: garum nihilominus pretiosissimū erat, muria vero, vilissima, hæc enim ex mœnis, vel sanguine thynni fiebat, & aliquando ex solo sale in aquam resoluto, cuius conficiendi rationem docēt tam Cato RR. c. 88. dicens: [Amphoram defricato colluitoque, puram; impleto aqua pura, in sole ponito, ibi fiscellam cum sale populari suspēdito, & quassato, suppletoque identidem: id aliquoties in die facito, vsque adeo, donec sal desierit tabescere biduum: id signi erit menam aridam, vel ouum demittito, si natabit, ea muries erit, qua vel carnes, vel caseos, vel salsamenta condias.

dias. Eam muriam in labella, vel in patina in sole ponito, vsque adeo in sole habeto, donec concreuerit, inde flos salis fiet.] Quam Columella lib.12.cap.6. [Dolium, quam patentissimi oris locato in ea parte villæ, quæ plurimum solis accipit. Id dolium aqua cœlesti repleto (ea est enim huic rei aptissima) vel si non fuerit pluuialis, certè fontana dulcissimi saporis, in eam tum indito sportam iunceam, vel sparteam, quæ replenda sit sale candido, quo candidior muria fiat. Quum salem per aliquot dies videbis liquescere, ex eo intelliges nondum esse muriam maturam, itaque subinde alium salem tandiu ingeres, donec in sporta permaneat integer, nec minuatur: quod quum animaduerteris scies habere muriam maturitatem suam] quæ etiam nunc salmuria appellatur. Persius autem loquitur nunc de muria ex thynni interioribus facta, quæ vtique vilissima erat, & nullius ferè pretij: & nihilominus sordidus iste, quum eam domi non haberet, ad olera condienda, ait in calice eam emisse.

*VAFER*, quasi valde Afer. Afri autem in maxima erãt calliditatis opinione, dolis enim plerumq; valuerunt, vnde vafer ponitur pro callido, sagaci, & astuto, & sumitur semper in malam partem. Sic Cicero 1. de Nat. Deorum, *Chrysippus, qui Stoicorum somniorum vaferrimus habetur interpres, magnam turbam congregat ignotorum Deorum, atque ita ignotorum, vt eos ne coniectura quidem informare possimus, quum mens nostra quiduis videatur cogitatione posse depingere.* Et Gellius lib.7. cap.3. *Vsum*

[illegible] argumen- [illegible] Vafri- [illegible] hic, [illegible] vel condi- [illegible] vel ac [illegible] con- [illegible] Et nunc ma- [illegible]

[illegible] Quam- [illegible] multo- [illegible] Munbus [illegible] [illegible] Musarum [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible] ?

[illegible] ve- [illegible] ho- [illegible]

[illegible]

irrorare propriè est rore aspergere, vel aqua, aut liquore alio ad modum roris; Et sic Ouid. 1. Metamorph.

*Inde ubi libatos irrorauere liquores.*

Ros autem pluuiæ comparatus, modicè stillat, vnde quod parcè spargitur, irrorari potius, quam fundi dicitur, ideoque ad designãdam huius auari sorditiem, dictum est ipsum suis manibus irrorare sacrum piper.

*HIC bona dente grandia magnanimus peragit puer.* Dixerat, vnum è duobus geminis esse sordidum, vt qui festiuis, & natalitijs diebus, proprium fraudabat genium: nunc asserit, alium contrarijs præditum moribus, vt qui nepotando, adhuc in pueritia, ingentes diuitias, à maioribus acceptas, consumpsisset. *Magnanimus* ille dicitur, qui moderatè scit vti fortuna, vt nec efferatur, arridente, nec deijciatur frontem corrugante. Is vtique magnũ ostendit animum, & fortunæ superiorem, ideoque talis, cum hominibus cuiuscumque sortis, sciet vrbanè conuersari, & moderari expensas, nam & hoc ad magnanimitatem pertinere videtur, de qua Cicero 1. Officior. Verum hic, magnanimus ironicè nominatus est, pro helluone, vel nepote, patrimonium stultè in vsum gulæ, cœterarumque voluptatum, breui prodigente.

*PERAGIT.* Peragere est actionem ad finem vsque perducere. Nam sicut facere, vel agere aliquem reum, est simpliciter illum accusare: & reum peragere, est accusationem prosequi quousque ille condemnetur Et hoc ideo quia peractio, actionis finem maximè attendit, ita

*Quum morosa uago singultiet, inguine uena*
*Patriciæ immeiat uuluæ. Mihi trama figuræ*
*Sit reliqua, ast illi tremat omento popa uēter?*
*Vende animā lucro, mercare, atq; excute sol-(lers*
*Omne latus mundi, ne sit præstantior alter*
*Cappadocas rigida pingues pauisse catasta.*
*Rem duplica, feci, iam triplex, iam mihi quarto*
*Iam decies redit in rugam. Depinge vbi sistā*
*Inuentus Chrysippe tui finitor acerui.*

COMMENTARIVM.

*DISCREPET* Discrepare est quasi diuersè, vel in duo crepare. Crepare autem est per effractionem edere sonum: sed quū sonus sit genus ad vocem, senechdochicè sumitur, plerūq; pro voce, qua animi conceptus exprimuntur, quamuis nonnumquam discrepant a sit in ipsis rebus independentèr à sonis, & vocibus, sic apud Horat. l. 2 epist. 2.

*Et tamen idem scire uolam, quantum simplex hilarisque nepoti*
*Discrepet, & quantum discordet parcus auaro.*

Sic Cic. 1. Officiorum. *Tanta vis est loci, & temporis, vt si quis, quum causam sit acturus, in itinere, aut in ambulatione, secum ipse meditetur, aut si quid aliud attentius cogitet, non reprehendatur: at hoc idem si in conuiuio faciat, inhumanum videatur inscitia temporis. Sed ea, quæ multum ab humanitate discrepant, vt si quis in foro cantet, aut si qua est alia magna peruersitas, facilè appareat, nec magnopere admonitionem, & præcepta desiderant: quæ autem parua videntur esse delicta, neq; à multis intelligi possunt, ab*

ijs

*ijs est diligentius declinandum, vt in fidibus, aut in tibijs, quamuis paulum discrepent, tamē id à sciente animaduerti solet.* Et eod. l. 1. Offic. *Omninò si quidquam est decorum, nihil est profectò magis, quam æquabilitas vniuersę vitę, tum singularum actionum, quam conseruare non possis, si, aliorum naturam imitans, omittas tuam. Vt enim sermone eo debemus vti, qui notus est nobis, ne, vt quidam Græca verba inculcantes, iure optimo irrideamur, sic in actiones omnem que vitam, nullam discrepantiam conferre debemus.* Itaq; discrepare est diuersè sonare, seu diuersas proferre voces, aut sententias. Vt, *discrepet hic alius*, sit, In hac re sunt diuersæ sententiæ.

*GEMINOS Horoscope uaro producis genio.* Ordo est Horoscope producis geminos, genio varo. Gemini dicuntur vno eodemq; partu ex vtero egressi, si duo tantū fuerint, nam si tres, trigemini, & sic deinceps Virg. 8. Æn. v. 630.

*Fecerat, & viridi fœtam Mauortis in antro*
*Procubuisse lupam, geminos huic ubera circum*
*Ludere pendentes pueros.*

Sic Plautus Menechmi prologo.

*Mercator quidam fuit Syracusis senex*
*Et sunt nati filij gemini duo.*

Et eadem fabula A 2. scena 1.

*Fratrem quæsitum geminum germanum meū.*

De trigeminis idem Virg. 8. Æn. v. 201.

*Maximus ultor*
*Trigemini nece Geryonis, spolijsq; superbus*
*Alcides aderat* Et Liuius l. 1. c. 24. *Forte in duobus tunc exercitibus erant trigemini fratres, nec ætatę, nec viribus dispares. Horatios Curiatiosque*

*tiisque fuiße satis constat, nec ferme res antiqua alia est nobilior, tamen in re tam clara, nominũ error manet, utrius populi. Horatij, utrius Curiatij fuerint, authores utroq; trahunt, plures tamen inuenio, qui Romanos Horatios uocent, hos ut sequar inclinat animus. Cũ trigeminis agunt Reges, ut pro sua quisq; patria dimicent ferro, ibi imperium fore, unde uictoria fuerit.*

*HOROSCOPE* ab horarum inspectione: σκοπεῖν enim est inspicere: ὥρας autem nomine non importatur particula diei, sed absolute tempus illud, quo primum quis in lucem editur. Nam sicut καιρὸς sumebatur simpliciter pro tempore; deinde specialiter pro anno: sic ὥρα primum est tempus, deinde diei pars. Verum hic sumitur pro tempore natiuitatis, seu pro illo temporis momento, quo quis nascitur: vel pro illa cœli parte, quæ, momento quolibet ex inferiori hemisphærio partis Orientalis, ad nostrum ascendit: Indeq; Horoscopus dicitur etiam Ascendens, & consideratur tempore natiuitatis cuiusq;. Hoc namque momentum, siue hic Horoscopus consideratur à Genethliacis, asserentibus natos sub eodem Ascendente, vel Horoscopo, seu stãtibus sideribus sub eadem figura, & dispositione, ijsdem futuros prædictos moribus, casibusque subiectos. Quod tamen falsum esse nouimus, nedũ in multis geminis, de quibus profanæ loquũtur literæ, sed & in ijs, qui valde conferunt Genethliacos, hoc est Iacob, & Esau, natos ex vno concubitu Isaac, vt dicitur Roman. 9. quos Rebecca ita successiuè est enixa, vt posterior prioris plantam teneret (nam propte-

rea Iacob, idest supplantator fuit appellatus. Quis enim in tam exiguo temporis spatio, totam dicere audeat mutatam Stellarum configurationem, vt posterior, tam corpore, quam animo, tam diuersus nasceretur à primo? Merito vana à sapientibus estimata est Mathematicorum professio, saltem quo ad eam partem, qua hominum mores, liberasque operationes sideribus adscribere volunt, contra Sanctorum patrum, & maximè Augustini de C. D. l. 5. à c. 1. ad 8. doctrinam, quę etiã ab Ecclesia, & summis Pontificibus Xisto V. & Vrbano VIII. cõfutata est, & damnata. Quod etiam poeta nunc videtur innuere, dum appellato Horoscopo, asserit eum producere geminos genio varo, hoc est cum contrarijs inclinationibus, & diuersis moribus, contra quam dicant Astrologi, volentes natos sub eodem Horoscopo, eosdem habituros mores.

*PRODVCIS*, generas. Sic Terent. Adelphis Actu 3. sc. 2.

*Sene animam primum extinguerem ipsi, qui illud produxit scelus.*

Et Plautus Captiuis Actu 3. sc. 5.

*Quod hoc est scelus*
*Quasi in orbitatem liberos produxerim.*

Et quia Pręceptores dicuntur secundi patres, etiam isti producere dicti sunt. Sic Cicero pro Q. Roscio Comœdo. *Sic est vulgus, ex veritate pauca, ex opinione multa existimat. Quid sciret ille, perpauci animaduertebãt, vbi didicisset omnes quærebant, nihil ab hoc prauum, & peruersum produci posse arbitrabantur.* Hunc

colligitur quid velit hic poeta, dicens Horoscopū producere geminos genio varo: quum enim Horoscopus propriè non producat, generet, vel instruat, sed adsit talia facienti, per metonymiam dictus producere, vt dicitur tempus producere ea, quę sunt in tempore, iuxta illud: *Omnia fert tempus.*

*VARO GENIO*, Vari, crura habent extrorsū diuaricata, vt varus sæpè sumatur pro detorto, vel diuerso, vt exposuimus, referendo ad mores, ad Satyræ 4. versum 12. & ad Satyræ 5. vers. 137. Genius autem quis sit, dictum est ad Satyræ 2. vers. 3. Verum hic pro naturali sumitur inclinatione. Vnde quod hic ait, est, Tu Horoscope infundis, seu causas diuersas inclinationes natis ex eodem vtero.

*SOLIS natalibus est qui tingat olus siccum muria vafer in calice empta, ipse sacrum irrorans patinæ piper, hic bona dente grandia magnanimus peragit puer* Ordo est. Est vafer, qui solis natalibus tingat olus siccum muria empta in calice, ipse irrorans patinæ sacrum piper: hic puer magnanimus peragit bona grandia dente. *Solis natalibus* Natalis est dies, quo quis in lucem editus fuit, qui, genio indulgendo, apparatioribus epulis, & omni lętitiæ significatione celebrabatur, quando eis ab amicis, & clientibus munera efferebantur. Hinc Virgilius Ecloga 3. vers 76.

*Phyllida mitte mihi, meus est natalis, Iola.*

Et Plautus Pseudolo. Actu 1. Scena 2.

*Facite hodie vt mihi munera multa huc ab amatoribus conueniant*

*Nam nisi penus annuus hodie conuenit, cras po-*

*populo prostituam vos*
*Natalem scitis mihi diem esse hunc.*

Et Ouid. 1. de Arte.

*Quid quasi natali quum poscit munera libo?*
*Et quoties opus est nascitur illa sibi.*

Et Alexander ab Alexandro l. 2. c. 22. ait: Nec solum Vrbis natalem, sed singulorū dies natalitios pulte, fritillo, mero, libis, floribus, & thure sacra genio, sine animali hostia, læti, libentesq; concelebrarunt, quibus diebus effudisse cruorem, aut animal mactasse, mali portenti erat, & fœdi auspicij, namq; erant hilaritatis, & lætitiæ pleni dies. Si quis ergo in his diebus parcè, sordidèque viuat, quid in alijs faciet? Et hoc nunc dicit.

*TINGAT*, inficiat, madefaciat, colore, vel humore imbuat. Sic Martial. l. 1. epig. 44.

*Tingit cutem Charinus, & tamen pallet.*

Et Plinius lib. 33. c. 5. [Nihil aliud Chrysocolla, quam vena putris: natiua duritia maximè distat, luteam vocant: & tamen illa quoq; herba, quam luteam appellant, tingitur. Natura est, quæ lino, lanæue ad succum bibendum. Tunditur in pila, deinde tenui cribro secernitur, postea molitur, ac deinde tenuius sic cribratur: quidquid non transmeat, repetitur in pila, dein molitur, puluis semper in catinos digeritur, & aceto maceratur, vt omnis duritia soluatur, ac rursus tunditur, dein lauatur in conchis, siccaturque: tunc tingitur alumine schisto, & herba supradicta, pingiturque antequam pingat. Refert quam bibula docilisq; sit, nam nisi rapuit colorem, adduntur & schitanum, atque turbystum, ita

vocant medicamenta sorbere cogentia. Quum tinxere, pictores orobitin vocant.] Et lib. 37. c. 9. ait. [ Principatum amethysti Indicæ tenent, sed in Arabiæ quoque parte, quæ finitima Syriæ, Petræa vocatur, & in Armenia minore, & in Aegypto, & in Gallia reperiuntur: sordidissimæ auté, vilissimæq; in Thaso, & Cypro. Causam nominis adferunt, quod vsq; ad vini colorem accedens, priusquam eum degustet, in violam desinet, fulgorque quidam in illa purpuræ non ex toto igneus, sed in vini coloré deficiens. Perlucent autem omnes violaceo colore, scalpturis faciles. Indicæ absolutum felicis purpuræ colorem habent; ad hancque tingentium officinæ dirigunt vota.] Verum hic tingere strictius sumitur, vt est imbuit humore salito, habente condimenti gratiam, vilem tamen pretio.

*OLVS* herba satiua hominis cibo proportionata: ita dictum, quod ante inuentas fruges, vel (vt verius loquar) ante carnes homini concessas, idest ante diluuium, homines oleribus vescerentur. Sic Columella lib. 11 cap. 3. *Cinaræ* (nempe vt quidam vocant articocoli, seu cardui maioris, Græcè σκόλυμοι) *sobolem melius per Autumni æquinoctiũ disponemus; semen commodius circa Kal. Martij seremus, eius plantam circa Kal. Nouembris deprimemus, & multo cinere stercorabimus, id enim genus stercoris huic oleri videtur aptissimum.* Sumitur tamen pro victu tenui, atque frugali. Vnde Horat. 2. ser. sat. 7.

*si nusquam es fortè uocatus*
*Ad cœnam, laudas securum olus.*

Quod

Quod nomen quidam deriuant à Græco ἕλος herba quęcunque esculenta, indicium priscę frugalitatis: nam antiqui nihil sibi deesse existimabant obsonii, dum olera adessent. Sed si ab hac esset origine, scribi deberet cum aspiratione, quod tamen ab emendatioribus non fit. Inde puto esse ab oleo, id est cresco, nam oleris nomine venit herba satiua in hortis crescens, cuius caule, cymis, vel folijs homines vescuntur.

*SICCVM*, aridum, vt olus siccum sit, nec pingui iure coctum, nec vnguine, aut aliis condimentis imbutum, sed pura simplicique elixum aqua, quod vt esui fieret aptius, muria erat condiendum, vel sale, aceto, oleo, & similibus: sed quidam solo pręparant aceto. Obsonium istud proprium est pauperum, vel hominum delicias aspernantium. Hinc Plautus Captiuis actu 1. scena 2.

*Nam meus scruposam victus commeat viam.*
P. *Numquam istho: vinces me Hegio, ne postules:*
*Cum calceatis dentibus veniam tamen.*
H. *Asper meus victus sanè est.*
P. *Sentesne esitas?*
H. *Terrestris cœna est.*
P. *Sus terrestris bestia est.*
H. *Multis oleribus.*
P. *Curato ægrotos domi.*

In quo etiam sensu Romanorum 14. *Qui infirmus est, olus manducet*. Oleris nomine intelligitur, quod ex dura, & aspera absumitur muria, nam talis est cibus pauperum, & ægrotorum, ideoque ea audiens Parasitus, lo-

co citato Plauti, ea aspernatus ait: *Curato ægrotos domi*, nam ipse vnctiora appetebat. Sic Celsus lib. 4. c. 15. [ Oportet in primis conquiescere, siquidem omnis agitatio exulcerat: deinde ieiunum sorbere vini cyathum, cui contrita radix quinque folii sit adiecta: impo- nere cataplasmata super ventrem; quæ reprimant, quod in superioribus ventris morbis nõ expedit, quotiesque decidit subluere aqua calida, in qua decoctæ verbenæ sint, portulacam, vel coctam, vel ex dura muria edisse, cibos, potionesque eas, quæ adstringunt aluum.

*MVRIA*, liquamine ex sanguine, intestinis, vel interioribus thynni. Sic Martialis lib. 13. epigr. 92.

*Antipolitani fateor sum filia thynni*
*Essem si scombri non tibi missa forem.*

Quod dicit, quia duæ sunt horum liquaminũ species, vna ex putrescẽtibus thynni interioribus, quæ vilior erat, etiam apud Plautum Penulo Actu 1. scena 2.

*Quasi salsa muriatica esse autumantur*
*Sine omni lepore, & sine suauitate*
*Nisi multa aqua usque & di macerantur*
*Olent, salsa sunt, tangere ut non uelis.*

Alia, quæ ex scombri fiebat sanguine, & hæc erat preciosissima, teste Plinio dicente lib. 31 cap. 7. [ Aliud etiam num liquoris exquisiti genus, quod garon vocauere, intestinis pisciũ, cæterisque quæ abiicienda essent, sale maceratis, vt sit illa putrescẽtium sanies. Hoc olim conficiebatur ex pisce, quem Græci garon vocabant, capite eius vsto, suffitu extrahi secun-

cun-

cundas morantes. Et sequitur c. 8. Nunc è scombro pisce laudatissimum, in Carthaginis Spartariæ cætariis, sociorum id appellatur (vel quia in conuiuiis, & sodalitatibus eo vterentur, vel quia socijs,pro magno munere mitteretur) singulis millibus nummum permutantibus congios pene binos. Nec liquor vllus pene,præter vnguenta,maiore in pretio esse cœpit, nobilitatis etiam gentibus. Scombros quidem, & Mauritania, Beticaque, & Carteia ex Oceano intrantes, capiunt,ad nihil aliud vtiles. Laudantur & Clazomenę garo, Pompeijq; & Leptis, sicut muria Antipolis, ac Thurij, iam vero & Dalmatia. Vitium huius est alex,imperfecta nec colata fex. Cœpit tamē & priuatim ex inutili pisciculo, minimoque confici, Apuam nostri, Aphyen Græci vocant,quoniam is pisciculus è pluuia nascitur. Foroiulienses piscem ex quo faciunt, lupum appellant. Transijt deinde in luxuriā, creueruntque genera ad infinitum, sicuti garum ad colorem mulsi veteris,adeoque dilutam suauitatem,vt bibi possit: aliud vero ad castimoniarum superstitionem, etiam sacris Iudæis dicatum, quod fit è piscibus squama carētibus. Sic alex peruenit ad ostreas,echinos,vrticas,cammaros,mullorum iocinera, innumerisq; generibus, ad saporem gulæ, cępit sal tabescere.] De eodem ait Isidor. l.20. c.3. Garum est liquor piscium salsus,qui olim conficiebatur ex pisce, quem Græci γάρον vocabant,& quanuis nunc ex infinito genere piscium fiat, nomen tamen pristinum tenet à quo initium sumpsit. De sanguine scombri

fieri ait Martial. lib. 13. epigr. 96

*Expirantis adhuc scombri de sanguine primo*
*Accipe fastosum munera cara garum*

Et eodem lib. 13. epig. 79 nobile vocat.

*Ebria Baiano veni modo concha Lucrino,*
*Nobile nunc sitio luxuriosa garum.*

Nec fieri ex solo pisce garo, vel solis scombris habemus ex Alexandro ab Alexand. l. 4. c 17. Iure pontificio cauebatur, cuius verba sunt. Ad Diuos adeunto castè, pietatem adhibéto, opes amouēto, qui secus facit, Deus ipse vindex erit. Quā castimoniā apud exteros quoq; seruari meminimus, quippe in Thesmophoris matronæ Athenienses, vt Veneris ictus cohiberent, folijs vitium cubilia substernebant: nonnulli garo ex piscibus, qui squamā non habent, quod incendia libidinum reprimeret, & irritos conatus faceret, in sacris vsi sunt.] itaque quum tam garum, quam muria ex sanguine, intestinis, & reliquis abijciendis partibus putrescentium piscium, sale conditis, fierent: garum nihilominus pretiosissimū erat, muria vero, vilissima, hæc enim ex mœnis, vel sanguine thynni fiebat, & aliquando ex solo sale in aquam resoluto, cuius conficiendi rationem docēt tam Cato RR. c. 88. dicens: [Amphoram defricato colluitoque, puram; impleto aqua pura, in sole ponito, ibi fiscellam cum sale populari suspēdito, & quassato, suppletoque identidem: id aliquoties in die facito, vsque adeo, donec sal desierit tabescere biduum: id signi erit menam aridam, vel ouum demittito, si natabit, ea muries erit, qua vel carnes, vel caseos, vel sallamenta condias.

dias. Eam muriam in labella, vel in patina in sole ponito, vsque adeo in sole habeto, donec concreuerit, inde flos salis fiet. ] Quam Columella lib. 12. cap. 6. [Dolium, quam patentissimi oris locato in ea parte villæ, quæ plurimum solis accipit. Id dolium aqua cœlesti repleto (ea est enim huic rei aptissima) vel si non fuerit pluuialis, certè fontana dulcissimi saporis, in eam tum indito sportam iunceam, vel sparteam, quæ replenda sit sale candido, quo candidior muria fiat. Quum salem per aliquot dies videbis liquescere, ex eo intelliges, nondum esse muriam maturam, itaque subinde alium salem tandiu ingeres, donec in sporta permaneat integer, nec minuatur: quod quum animaduerteris scies habere muriam maturitatem suam] quæ etiam nunc salmuria appellatur. Persius autem loquitur nunc de muria ex thynni interioribus facta, quæ vtique vilissima erat, & nullius ferè pretij: & nihilominus sordidus iste, quum eam domi non haberet, ad olera condienda, ait in calice eam emisse.

*VAFER*, quasi valde Afer. Afri autem in maxima erãt calliditatis opinione, dolis enim plerumq; valuerunt, vnde vafer ponitur pro callido, sagaci, & astuto, & sumitur semper in malam partem. Sic Cicero 1. de Nat. Deorum *Chrysippus, qui Stoicorum somniorum vaferrimus habetur interpres, magnam turbam congregat ignotorum Deorum, atque ita ignotorum, vt eos ne coniectura quidem informare possimus, quum mens nostra quiduis videatur cogitatione posse depingere.* Et Gellius lib. 7. cap. 3. *Vsum*

*esse Catonem dicis in eadem oratione, argumentis parum honestis, & nimis audacibus, ac non vni eius qualis fuit, sed vafris, ac fallaciosis, & quasi Græcorum sophistarum sollertijs.* Vafriciei, siue calliditati, & astutię adscribit hic, ne domi quidquam foret liquaminis, vel condimenti, ne fortè familia eo abuteretur, vel ne ipse, præ manibus habens, ad obsonia condienda plus æquo infunderet. Et nunc muriam, non lagena, vel amphora, sed calice, id est vase exiguæ capacitatis, emit.

*IPSE sacrum irrorans patinæ piper.* Quamuis ex Macrobio l. 3. c. 3. & 7. sacrum multoties sumatur pro exsecrato, & Dijs Manibus deuoto, sæpius tamen ponitur pro venerabili, & honore digno. Sic Plautus Menechmis Actu 5. scena 5.

*At ego te sacram coronā surripuisse Ioui scio.* Sic Horat. 1. serm. sat 3.

*Quid discrepat istis,*
*Qui nummos aurumque recondit, nesciut uti*
*Compositis, metuensq; uelut contingere sacrū?*

Et ita nunc sumitur. Et quia res sacræ, ob venerationem, quum earū est vsus necessarius, parcè adhibentur, quum piper ab illo sordido parcè adhiberetur, denominatum est sacrum. Et notanda emphasis horum verborum, vt de sacro pipere dictum: Ipse, dixit, quia nec famulo, nec amico piperis commisit adspersionem, ne copiosius funderet, sed ipse suis manibus parce sparsit: Irrorans, non effundens, ad modum pluuiæ, aut niuis, sed irrorans, nempe parcè ad modum roris. In quo verbo præter emphasim, est etiam metaphora, nam

ir-

irrorare propriè est rore aspergere, vel aqua, aut liquore alio ad modum roris; Et sic Ouid. 1. Metamorph.

*Inde ubi libatos irrorauere liquores.*

Ros autem pluuiæ comparatus, modicè stillat, vnde quod parcè spargitur, irrorari potius, quam fundi dicitur, ideoque ad designãdam huius auari sorditiem, dictum est ipsum suis manibus irrorare sacrum piper.

*HIC bona dente grandia magnanimus peragit puer.* Dixerat, vnum è duobus geminis esse sordidum, vt qui festiuis, & natalitijs diebus, proprium fraudabat genium: nunc asserit, alium contrarijs præditum moribus, vt qui nepotando, adhuc in pueritia, ingentes diuitias, à maioribus acceptas, consumpsisset. *Magnanimus* ille dicitur, qui moderatè scit vti fortuna, vt nec efferatur, arridente, nec deijciatur frontem corrugante. Is vtique magnũ ostendit animum, & fortunæ superiorem, ideoque talis, cum hominibus cuiuscumque sortis, sciet vrbanè conuersari, & moderari expensas, nam & hoc ad magnanimitatem pertinere videtur, de qua Cicero 1. Officior. Verum hic, magnanimus ironicè nominatus est, pro helluone, vel nepote, patrimonium stultè in vsum gulæ, cœterarumque voluptatum, breui prodigente.

*PERAGIT.* Peragere est actionem ad finem vsque perducere. Nam sicut facere, vel agere aliquem reum, est simpliciter illum accusare: & reum peragere, est accusationem prosequi quousque ille condemnetur Et hoc ideo quia peractio, actionis finem maximè attendit, ita

quum hic magnanimus puer, dictus sit peragere dente grandia bona, significatum est, sũ tendere ad totalem consumptionem ingẽtium diuitiarum. Et ad emphasim addita est vox, puer, vt in ętate puerili tot exhaurierit bona. Minus enim mirũ videretur, si id fecisset postquam ad statam, vel maturam venisset ætatem.

*VTAR ego utar, nec rhombos idea libertis ponere lautus, nec tenuem sollers turdorum nosse saliuam.* Ordo est. Ego vtar, nec ideo lautus ponere rhombos libertis, nec sollers nosse tenuem saliuam turdorum, supple, velim, aut studebo. Vti illarum est rerũ, quæ ad aliud ordinantur, sicut frui est earum, quæ per se appetuntur, nec ad aliud ordinantur, adeo vt magna sit peruersitas frui vtendis: vel vti fruendis. Summum autem bonum tam obiectiuum, quam formale, est per se appetibile, ad quod omnia referri debent, diuitiæ, sanitas robur, magistratus, & alia, quæ in tantum sunt bona, in quantum deseruiunt exercendis virtutis actibus, quibus summum consequimur bonum, ideoque illud est tantum in fruendis, alia verò in vtendis. Et magna foret deordinatio velle summum bonum propter hæc inferiora. Immo virtutes ipsæ, ad quarum exercitium bona externa ordinantur, non appetuntur, nisi quatenus ipsis, possumus summum bonum adipisci, ideoque respectu illius sunt etiam in medijs, & vtendis. Sed poeta his loquitur de diuitiis, & bonis externis, & de eis ait. Vtar ego, quasi diceret: Capiam vsum mearum facultatum, non vero abusum,

eas

eas prodigendo, nec fruitionem, eas sordidè asseruando. Vbi obserua, sordidos, & auaros, ita rebus abstinere, quasi earum vsus sit eis penitus interdictus, illæque forent concessæ, vt eis fruerētur, videndo, aut possidendo, ideoque gemunt si quidquam debeant expendere, vt Vectidius ille, de quo ad satyræ 4 vers. 30. qui seruis, & operariis, re bene gesta, cœnam dare debens etiam sordidissimam, nihilominus gemebat. Contra vero prodigos diuitiis abuti, eas inutiliter in superuacaneis effundēdo. Vtrumque ergo vitium à se amolirum volens poeta, bis ait. Vtar, significans, nec i[illegible] s rebus abstineam quasi eis velim frui, nec rursus eas prodigè absumam, sed vtar, media via incedendo.

*RHOMBOS*. Rhombus apud mathematicos est figura quadrilatera, æqualibus quidem lateribus, sed angulis obtusis. Ad cuius instar formatur machinula, qua vertitur trama in lanificio. Simili instrumento, ex tortis filis confecto, vtuntur veneficæ ad lunam de cœlo deducendam, cuius meminit Martialis dicens l.6. epig.30.

*Secula Nestoreæ permensa Phileni senectæ*
*Rapta es ad infernas tam cito Ditis aquas*
*Euboicæ nondum numerabas longa Sybillæ*
*Tempora, maior erat mensibus illa tribus*
*Heu quæ lingua silet? non illam mille catestæ*
*Vincebant, nec quæ turba Serapin amat,*
*Nec matutini cirrata caterua magistri,*
*Nec quæ Strimonio de grege ripa sonat,*
*Quæ nunc Thessalico Lunam deducere rhombo,*
*Quæ sciet hos, illos vendere lena toros*

*Sit*

*Sit tibi terra leuis, mollique tegaris arena.*
*Ne tua non possint eruere ossa canes.*

Sic Propertius lib.2. eleg.21.

*Deficiunt magico torti sub carmine rhombi,*
*Et iacet extincto laurus adusta foco*
*Et iam Luna negat toties descendere cælo,*
*Nigraque funestum condidit omen auis.*

Sic Ouid.1.Amor.eleg.8.

*Scit bene quid gramen, quid torto concita rhombo*
*Licia, quid valeat virus amantis equæ.*

Rhombus etiam est piscis de genere planorum, saporis præ cæteris delectabilis. Horat. 1.ser.sat.2.

*num esuriens fastidis omnia præter*
*Pauonem, rhombumque?*

Nam hos & saturi comedebāt. Et 2.ser.sat.2.

*Quid? tum rhombos minus æquor alebat?*
*Tutus erat rhombus, tutoque ciconia nido*
*Donec vos author docuit Prætorius.*

Sic Iuuenalis designans vbi magni, & meliores caperentur ait sat.4.v 39.

*Incidit Adriatici spatiū admirabile rhombi.*

Laudabantur maximè capti in mari Adriatico circa Rauennam, post quos laudatos inuenio captos in sinu Suessano. Sed magnitudine longè maiores viuunt in Oceano, vnde vnus refertur extractus quinque habens cubitos longitudinis, quatuor latitudinis, altitudinis verò palmum vnum. Et de istis rhombis piscibus hunc intelligit, qui ob saporis præstantiam, magni extimabantur, nec apponebantur quibusuis conuiuis, ideo nunc ait non appositum libertis.

LI-

*LIBERTIS*. Libertus patroni correlatiuus, & est manumissus, id est è seruo factus liber. Hinc enim dicitur libertas, non vero à verbo libet, vt volebat Ludouicus Molina, de Concordia Gratiæ cum libero arbitrio, disput. 2. vbi docet libertatem bifariam sumi, primo vt est à verbo Libero, & ita opponitur seruituti. Secundo vt est à verbo Libet, & ita opponitur tam coactioni, quam necessitati. Sed fallitur Molina, nam à libet, non liberum, nec libertas, sed libido venit, vt conuincitur ex prioris syllabæ quantitate, breui in libet, & libido: longa in libero, & libertas. Libertus ergo à libero per syncopé est quasi liberatus. Liberti autem quamuis à seruitute exempti essent, non tamen patronis æquabantur: vnde Plautus Asinaria Actu 3. scena 3.

*magis decorum 'st*
*Libertum potius, quam patronum onus in via*
*portare.*

Et id nunc innuit, sed libertorum nomine intelligit quascumque viliores personas, conuinantes cum patricijs.

*LAVTVS* aliquando per syncopen est lauatus, vt etiam est lotus. Sic Horatius 2. serm. satyra 3.

*Libertinus erat, qui circum compita siccus*
*Lautis mane senex manibus currebat,*

quærens scilicet, qui se ad cœnam inuitaret. Sic Plaut. Curcul. Actu 1 scena 1.

*Isthuc quidem nec bellum est, nec memorabile*
*Tu te tibi puer es lautus, luces cereum,*

quasi diceret: Tu adolescens nobilis, in tantis diuitijs natus, tibi puer es, hoc est pueri, seu

seruuli officio fungens, ferendo tibi cereum. Sed in hoc loco Plauti, lautus posset dici splẽdidus, & opulentus, vt in illo Terentij Heautontumorumeno Actu 4. scena 4.

*Omnes in lauta te, & bene parte tacta putãt.* Et sic passim legimus cœnam lautam, pro splẽdida : domum lautam pro diuite, & bonis refertam: patrimonium lautum pro copioso; ideo quia, qui diuitiis abundabant, frequentius lauabant. Et ita nunc dicit, nolle apparare talem cœnam, in qua etiam libertis rhombos apponeret. Cuius tamen oppositum sensit Plinius dicens lib. 2. epist. 6 [ Longum est altius repetere, nec refert quemadmodum acciderit, vt homo minimè familiaris, cœnarem apud quemdam, vt sibi videbatur lautum, & diligentem, vt mihi, sordidum simul, & sumptuosum. Nam sibi, & paucis, opima quædã: cœteris vilia, & minuta ponebat. Vinum etiã paruulis lagunculis, tria genera descripserat, non vt potestas eligendi, sed ne ius esset recusandi, & aliud sibi & nobis, aliud minoribus amicis (nam gradatim amicos habet) aliud suis nostrisque libertis. Animaduertit, qui mihi proximus recumbebat, & an probarem interrogauit. Negaui. Tu ergo inquit, quam consuetudinem sequeris? Eadem omnibus pono: ad cœnam enim, non ad notam inuito: Cunctisque rebus exequo quos mensa, & toro æquaui. Etiam ne libertis? Etiam; conuictores enim tunc, non libertos puto. Et ille: Magno tibi constat. Minime. Qui fieri potest? quia scilicet liberti mei non idem, quod ego bibunt, sed ego idem, quod liberti. Et hercule

si

si gulę temperes non est onerosum quo vtaris ipse, communicare cum pluribus.]

*NEC tenuem*, gracilem, exilem, cuius antitheton est crassum, siue corpulentum, dictum iuxta aliquos à tenendo, quia exigua facile tenentur. Sed alij deducunt à τείνειν tendere, siue extendere, nam quæ extenduntur, vtique attenuantur, vt in laminis, & bratteolis constat. Sic Virg. 4. Æneid. v. 263.

*Tyrioque ardebat murice læna*
*Demissa ex humeris, diues quæ munera Dido*
*Fecerat, & tenui te las discreuerat auro.*

Sic Cicero, sed metaphora vlus 3. Tusculan. *Negat Epicurus iucunde posse viui, nisi cum virtute viuatur, Negat ullam in sapientem vim esse fortunę: tenuem uitam anteferi copiosę.* Et laxiore metaphora Ouid. I. de Arte.

*Blanditiasque leues, tenui præscribere auro.*

Et Cicero ad Att. c. l. 3. epist. 19. *Me tuæ litteræ nunquam in tãtam spem adduxerũt, quantam aliorum: attamen mea spes etiam tenuior semper fuit, quam tuæ litteræ.* Et ita nunc tenuius est subrilis, qui facilè sensorium gustus penetret, & sentiatur.

*TVRDORVM*. Cornutus hic vult Persium scripsisse turdarum, abusiuè tamen, quum turdorum dicere debuisset, nam iuxta Varronem 8. L L. non dicitur turda. Qui etiam Varro 3. R. R. cap. 5. ait: *Dicbus uiginti antequam quis tollere velis turdos, largius das cibum, & aquæ plus ponit, & farre subtiliore incipit alere. Non enim vt aduenæ uolucres faciunt pullos, ut in agro ciconiæ, in tecto hirundines, sic aut hic, aut illic, turdi, qui quum sint nomine ma-*

res,

*res, reuera fœminæ quoq; sunt. Neque id non sciutum ut esses in merulis, quę nomine fœminino, mares quoq; sunt.* De turdorum præstantia Horat. lib. 1. epist. 15.

*non hercle miror*
*Aiebat, si qui comedunt bona, quum sit obeso*
*Nil melius turdo.*

Et Martial. lib. 13. epigr. 89.

*Inter aues turdus, si quid me iudice, certū est,*
*Inter quadrupedes gloria prima lepus:*

Ideoq; apud cupedinarios, & locupletes magno erant in pretio, eosque alebant in caueis, & viuariis, vt omni anni tempore eos habere possent. Hinc Columella ait lib. 8. cap. 10. [Turdis maior opera, & impensa præbetur, qui omni quidem rure, sed salubrius in eo pascuntur in quo capti sunt, nā difficulter in aliā regionē transferuntur, quia caueis clausi quidam despondent, quod faciunt etiam, quū eodem momento temporis à rete in auiaria coniecti sunt. Itaque ne id accidat, veterani debent intermisceri, qui ab aucupibus in hunc vsum nutriti, quasi allectores sint captiuorum, mœstitiamque eorum mitigent interuolando: sic enim consuescent & aquam & cibos appetere feri, si mansuetos id facere viderint. Locum æque munitum, & apricum, quam columbi desiderant, sed in eo transuersæ perticæ perforatis parietibus aduersis aptantur, quibus insideant, quum satiati cibo requiescere volent. Eæ perticę non altius à terra debent subleuari, quam hominis statura patiatur, vt à stante contingi possint. Cibi ponuntur ferè partibus his ornithonis, quæ super

super se perticas non habent, quo mundiores permaneant: semper autem arida ficus diligenter pinsita, & permixta pollini, pręberi debet, tam largè quidem, vt supersit. Hanc quidam mandunt. Et ita obijciunt, sed istud in maiore numero facere vix expedit, quia nec paruo conducuntur, qui mandant, & ab ijs ipsis aliquantum propter iucunditatem consumitur. Multi varietatem ciborum, ne vnum fastidiant, præbendam putant, ea est quum obijciuntur myrthi, & lentisci semina, item oleastri, & ederaceæ baccę, nec minus arbuti Ferè enim etiam in agris ab eiusmodi volucribus hæc appetuntur, quæ in auiarijs quoque desidentium detergunt fastidia, faciuntq; auidiorem volaturam, quod maximè expedit, nam largiore cibo celerius pinguescit, semper tamen etiam canaliculi milio repleti, apponantur, quæ firmissima esca, nã illa, quæ supra diximus pulmentariorũ vice dantur. Vasa quibus recens, & munda præbetur aqua, non dissimilia sint gallinarijs. Hac impensa curaque M. Terentius ternis, sæpe denarijs singulos emptitatos esse significat auorum temporibus, quibus, qui triumphabant populo dabant epulum. At nunc ætatis nostræ luxuries quotidiana fecit hæc pretia, propter quæ ne rusticis quidem contemnendus sit hic reditus ] nimirum auiariorum, & cauearum, in quibus tot nutriuntur turdi, vt eorum fimus pro agrorum stercoratione celebris esset, vnde Plinius lib. 17. c. 9. ait; Fimi plures differentiæ, ipsa re antiqua. Iam apud Homerum regius senex agrum ita su.s manibus lætificãs

re-

reperitur. Augeas Rex in Græcia excogitasse traditur, diuulgasse vero Hercules in Italia, quæ Regi suo Stercutio Fauni filio, ob hoc inuētum immortalitatem tribuit. M. Varro principatum dat turdorum fimo ex auiarijs, quod etiam pabulo boum, suumque magnificat, neque alio cibo celerius pinguescere asseuerat. De nostris moribus bene sperare est, si tanta apud maiores fuere auiaria, vt ex his agri stercorareatur. ] Cupedinarij verò nepotesque vt frequentius, & attentius vtentes, ciborum discretionem, ex sapore faciebāt. Hi in turdis non fallebantur ex sapore dicentes, num, quem comedebant ferus foret, an ex auiario, & num mas aut fœmina. Hanc sollicitudinem à se nunc Persius amouet, dicens: non ero tam sollertis luxuriæ, vt velim ex saliua nosse turdorum qualitatem. Interuenit enim hic ellipsis verbi, seu preteritio, quod propterea est subintelligendum, vt sit sensus. Non ero tam lautus in apparatu cenarum, vt libertis, vilibusq; hominibus, preciosos velim apponere cibos; nec ita ingeniosus gulæ sectator, vt ex vsu quotidiano scire velim turdorum qualitatem. His enim sumptibus meæ facultates breui exhaurirentur, sed iuxta meos annuos prouentus, frugaliter viuam, pretiosos raro ponendo.

*SALIVAM*, vel quod salis referat saporem, vel quod in ore saliat, seu crescat, dictam. Hic saliuæ nomine intelligitur gustus, seu sapor: quum enim quid edere concupiscimus, ob partium sympathiam, saliua in ore excitatur, quæ pro sua virili, optatæ rei supplet de-

se-

fectum, & hanc nunc vocat turdorum, quam turdi concupiti, appositi, vel gustati causabāt, Saliua etiam appetitum ciet, vnde Seneca epist. 79. *Aut ego te non noui, aut Ethna tibi saliuam mouet.* Hic saliua turdorum, est eorum sapor discretus ab alijs ex frequenti vsu.

*MESSETENVS propria uiue, & granaria fas est, emole, quid metuas? Occa, en seges altera in herba est.* Plerique sic ordinant. Viue messetenus propria, fas est, & emole granaria, quid metuas? Occa, en altera seges est in herba. Et dicunt poetam, dehortando ab auaritia, consuluisse ne quid prouentuum anni præteriti, conseruetur, sed totus absumatur, et iam priusquam alter maturuerit. Sed quidquid sit de quibusdam Christianis, positis in tali statu, vt teneantur audire consulentem: *Nolite cogitare de crastino, nam sufficit diei malitia sua: Ne solliciti sitis quid manducetis, nec quo induamini;* certè contra Oeconomiæ rationem est, quod quis omnem annuum absumat prouentum, priusquam alium reposuerit, quum hic multis possit modis impediri. Et propterea in Instit. Orat, lib. 1. Tr. 3. c. 3. diximus rationem esse habendam casuum fortuitorum, sterilitatis agrorum, tempestatum, bellorum, & similium, quibus prouentus possunt impediri, ideoque plus semper inferri debet, quam annuatim consumi possit, nec prius collectas distrahere, quam sint nouæ fruges repositæ. Ideo verba sic construo: Viue messetenus, & granaria, fas est, emole, quid metuas? occa, en altera

altera seges est in herba. Tenus præpositio valens, vsque ad, quæ coniuncta numero singulari, auferendi exigit casum, vt pubetenus, mentotenus, & hic messetenus. Sic Virgil. 3. Æneid. vers 426.

*Pulchro pectore virgo*
*Pubetenus.*

At coniuncta numero multitudinis, aliquando gaudet casu gignendi. Sic Virgil. 3. Georg. versu 52.

*cui plurima ceruix,*
*Et crurumtenus à mento palearia pendent.*

Sic Catullus in Argonautica:

*viderunt luce marinas*
*Mortales oculi nudato corpore Nymphas*
*Nutricumtenus extantes è gurgite cano.*

Aliquando in eodem multitudinis numero, accusandi coniungitur casui. Sic Cicero in Arati Phœnomenis ait:

*Longius exoritur iam claro corpore serpens,*
*Crateraque tenus lucet mortalibus Hydra.*

Rectè ergo hic dictum: viue tenus messe, quia messis in minori numero, auferendi exigebat casum: & viue tenus granaria, quia hæc in numero maiori, vel patrium, vel accusãdi casum desiderabant. Ait ergo: Viue proportionaliter ad tuos annuos prouentus, vt non sit necesse granaria emolere, sub spe futuræ messis herbescentis: sed nec sit sordidus suumque fraudet genium in rebus ad vitam necessarijs. Messis autem aliquando per metonymiã adiuncti est tempus metendi. Sic Virg. eleg. 5. vers 70

*Ante focum si frigus erit, si messis in vmbra.*

Ali-

Aliquando eo nomine veniunt fruges. Sic Virg. 1. Georg. v 49.

*Illius immensæ ruperunt horrea messes.*

Et Varro R.R.l.1.c.50. *Messis proprio nomine dicitur in ys, quæ metuntur, maximè in frumento, & ab eo est vocabulo declinata.* Et ita nunc sumitur, sed per synecdochen extenditur ad quemcumque prouentum, vndecumq; venientem.

*GRANARIA* quid sint, dictum ad satyræ 5. vers. 100. esse loca seruandis seminum granis prouisa. Et si verba construantur, vt à nobis sunt ordinata, nulla interuenit hic figura; sed est admonitio vt quisque viuat, & expendat iuxta modum suorū prouentuum. At iuxta constructionem aliorum, interuenit metonymia, non enim granaria ipsa, sed fruges, vel frumentum in eis contentū erat emolendum.

*EMOLE*, ex præpositione e, & verbo molo, est diligenter mole, vt perfectè mola teras, confringasque, vt fit per pistrinum. Sic Cæsar 1. de bello Gallico: *Frumentum omne, prœterquam quod secum portaturi erant, comburunt, vt domum reditionis spe sublata, paratiores ad omnia pericula subeunda essent; trium mensium molita cibaria sibi quemque domo efferre iubēt.* Et Terent. Phorm scene Actu 1. scena 5:

*Molendum vsque in pistrino.*

Quamuis autem construentes: Emole granaria, velint poetam consulere omnimodam prouentuum absumptionem, sub spe futuræ messis herbescentis, conuenientius tamen videtur si interpretemur, ipsū precipere, vt non

sordidam, ita nec prodigè effusam facultatum consumptionem, sed proportionatam messi, ac granarijs, ideſt annuis prouentibus.

*OCCA*, glebas confringe, comminue, & in pulucrem redige. Sic Plinius lib. 18. cap. 19. *Male aratur aruum, quod satis frugibus occandum est, id demum rectè subactum erit, ubi non intelligitur utro vomer ierit.* Et cap. 20. *Aratione per transuersum iterata, occatio sequitur, ubi res poscit crate, uel rastro, & sato semine iteratio.* Sic Colum. lib. 11. cap. 2. *Pridie Kal. Septembris Andromeda uesperi exoritur, interdum hyemat. His quidem diebus arbores ficorũ inoculantur, quod genus insitionis emplastratio uocatur, idq; licet uel commodius facere superiori mense post Idus Iulias, quo tempore etiam aliarum arborum nonnulli emplastrationem faciunt. Quibusdam locis, ut in Betica maritimis regionibus, & in Africa, uindemia conficitur: sed frigidioribus regionibus pulucrationem faciunt, quam rustici uocant occationem, quum omnis gleba in vineis refringitur, & resoluitur in puluerem. Hoc eodem tempore, priusquam vineæ puluerentur, si perexilis est, vel rara ipsa vitis, lupini mody tres vel quatuor, in singula iugera sparguntur, & inoccantur, qui quum [illegible] aticauerint, prima tum fossione conuersi, satis bonum stercus uineis præbent.* Sic Cicero de senectute ait: *Me non fructus modo, sed etiam ipsius terræ uis, ac natura delectat, quæ quum gremio mollito, ac subacto, semen sparsum excepit, primum id occatum cohibet, ex quo occatio, quæ [illegible] it nominata est.* Aratione namque glebæ confringebantur; quod si glebæ excitatæ

citatæ proscindendo, non fuissent satis imminutę, occatione penitus confringebantur, & ita semina puluere operiebantur. Existimant autem plerique, Persium hic monere parcentem sumptibus, ob diffidentiam ne deficeret annona, quatenus agriculturę vacaret, & glebas confringeret, quo copiosiores ex agris fructus colligeret. Sed occandi verbum sumi debet metaphoricè, pro honesta facultatum consumptione, facta absque sorditie, per frugalem viuendi rationem. Nec quod subdit: *En seges altera in herba est*, cogit vt occandi verbum sumatur propriè, quum etiam segetis, & herbæ nomina figuratè accipi debeant nam seges est quidquid prouentus venit, tam ex agris, quam ex mercatura, militia, causarum patrocinio, vel alio quouis: herba vero est spes rei venturæ, vnde passim dicimus rem esse in herba, vel in flore, quum illius est inchoatio, & spes vt de proximo venire debeat.

*SEGES* propriè est frux eorum seminum, ex quibus panis conficitur, antequam fuerit demessa. Sic Ouid. 1. de Arte:

*Fertilior seges est alienis semper in agris.*

Et Virgil. 1. Georg. vers. 112.

*Luxuriem segetum tenera depascit in herba.*

Nec prædictæ tantum fruges, segetum nomine veniunt, sed etiam fabæ, & lini semina. Sic Columell. lib. 2. c. 14. ait: *Si radices, defecto pabulo relictę, inaruerint, succum omnem solo auferent, vimque terræ absument: quod etiam in faba, cæterisque leguminibus, quibus terra glíscere videtur, verisimile est accidere, vt nisi protinus sublata messe eorum, proscindatur, nihil*

*ijs segetibus, quæ deinceps in eo loco seminari debent, profuturum sit Ac de ijs quoque leguminibus, quæ uelluntur, Tremellius obesse maximè ait solo, virus ciceris, & lini, alterum quia sit salsæ, alterum quia sit feruidæ naturę, quod etiam Virgilius significat* dicendo 1. Geor. v. 77

*Vrit enim lini campum seges, vrit auenæ,*
*Vrunt lethęo perfusa papauera sonno.*

*Neque enim dubium, quin ex ijs seminibus infestetur ager, sicut etiam milio, & panico. Sed omni solo, quod prædictorum leguminum segetibus fatiscit, vna pręsens medicina est, vt stercore adiuues, & absumptas vires, hoc veluti pabulo refoueas.* Nec tantum de iam dictis, sed de omni sato, immo de ipso agro consito, seges dicitur; Vnde Varro l. 4. LL. segetem à satu, id est semine deriuat: ideoque Accius fruges in segetem dare dixit, nempe in terram nondum seminatam, sed quæ tunc seminaretur. Sic idẽ Varro R.R. lib. 1. cap. 29. ait: *Seges dicitur, quod aratum, satum est: aruum, quod aratum, nec satum est: noualis, vbi satum fuit ante, quod secunda aratione renouetur*. Verum hic per senecdochen, seges est omne genus prouentus, vndecumq; venientis: & dicitur esse in herba, quia ante præsentiã, sui venturi spê ostendit.

*AST vocat officium, trabe rupta Brutia saxa prændit amicus inops, remque omnem, surdaque vota condidit Ionio, iacet ipse in littore, & vna ingentes de puppe Dij*. Officium, siue dicatur per syncopen, quasi opificium, siue ab officiendo, dummodo præpositio ob, non importet, contra, sed circum, & conatum circa facienda: siue ab efficiendo, vt sit illud quod quis,
con-

considerata loci, temporis, personæ &c. conditione facere tenetur, semper attendit circumstantias, ad quarum præsentiam operari teneatur; & ita in omni conditione inuenitur. Vnde Cicero 1. offic. inquit: *Nulla vitæ pars, neque publicis, neque priuatis, neque forensibus, neque domesticis in rebus, neque si tecum agas quid, neque si cum alio contrahas, vacare officio potest, in eoque colendo sita est honestas omnis, & in negligendo turpitudo.* Et quia proprium hominis videtur (iuxta eam naturæ legem. Alteri facito, quod tibi vis fieri) de proximis benemereri, inde beneficiorum collatio, officium appellatur. Et ita nunc sumitur, quasi diceretur: Lex naturæ iubet bene facere amico indigenti, vt ipse vellem mihi conferri, si indigerem.

*TRABS* quid sit, dictum ad satyræ 1. versum 89. & ad satyræ 5. versum 141. Nunc per senecdochen materiæ, sumitur pro naui ex trabibus confecta, vt apud Virgil. 3. Æneid. vers. 191.

*Vela damus vastumque caua trabe currimus æquor.*

Et apud Horatium 1. carm. ode 1.

*Vt trabe Cypria*
*Myrtoum pauidus nauta secet mare.*

Amicus enim talem trabem, hoc est nauem, naufragio fregerat, & omnes amiserat facultates.

*BRVTIA saxa.* Terra, siue Prouincia Brutia, à Brutijs eam incolentibus olim dicta, nunc Calabria inferior, seu citerior nominatur, nam quæ nunc est vlterior, & superior

Calabria, erat illis Magna Græcia: quæ verò illis dicebatur Calabria, & antiquioribus Messapia, & prius Peucetia, nunc est Terra Hydruntina. De ea plura dicit Plinius lib.3. cap.19. & similiter cap. 11. quæ apud ipsum videri possunt. Terra ista ex Orientali parte Magnæ Græciæ est finitima, à meridie mari alluitur, et idem mare peninsulam eiusdem terræ ex parte Orientali, & Occidentali alluit. Ex septentrione autem, & parte Occidentali Lucania terminatur. Dicta Brutia à Brutijs, qui Lucanorum serui fuere, sed ab eis fuga elapsi, terram occupauere, Oenotria ante dictam, expulsis inde antiquis habitatoribus: longo mox tempore cum Lucanis, eos in seruitutem reuocare cupientibus, bellarunt. Inde quum primi populorum Italiæ, post Romanorum ad Cannas cladem, Annibali adhæsissent, & cum eodem (vsque ad illius ex Italia excessum) perseuerassent (qui etiam apud eos munitionem extruxit, vsque nunc Castra Annibalis appellatam) à Romanis hac fuere pœna multati, vt magistratibus vilissima exhiberent ministeria, adeout, etiam si hæc ab alijs præstarentur, illi interim Brutij dicerentur, quasi seruitia talia propria essent Brutiorum. Idq; Gellius refert lib. 10. cap. 3. *Quum Annibal Pœnus cum exercitu in Italia esset, & aliquot pugnas populus Rom. aduersas pugnauisset, primi totius Italiæ Brutij ad Annibalem desciuerunt. Id Romani ægrè passi, postquam Annibal Italia decessit, superatique Pœni sunt, Brutios ignominiæ causa, non milites scribebant, nec pro socijs habebant, sed magistratibus*

*tibus in Prouincias euntibus parere, & premi-nistrare, seruorum vice, iusserunt. Itaque ij sequebantur magistratus tamquam in scenicis fabulis, qui dicebantur lorarij, & quos erant iussi vinciebant, aut verberabant. Quod autem ex Brutijs erant, appellati sunt Brutiani.* Huius ergo orę Brutianæ scopulos apprehēdit naufragus, cuius hic fit mentio. Nec est impossibile (vt Casaubonus existimat) etiam in Scyllęo freto naufraganti, terram apprehendere, quum sæpe post scopulorū abrupta, sint arenosa littora. Fateor tamen id esse valde difficile, quum sæuiunt tempestates, similes illi, quam describit his verbis Appianus lib. 5. belli Ciuilis. In hoc rerū statu Auster exortus meridie, magnos fluctus mouit in freto angusto, & suapte natura concito. Sed Pompeius in Messanensi portu erat, Cæsarianæ vero naues rursum circa littus asperum, & importuosum confligabantur cum saxis, & inter se, carentes etiam supplemento nautico, ideoque regi difficiles. Menodorus igitur veritus ne malum in horas cresceret, longius recessit à littore, iactis in salo anchoris, & quia fluctus in profundo erat lenior, remorū quoq; vi contendebat ne transuersus ad terras ageretur, imitantibus eum quibusdam alijs. Reliqua multitudo, rati ventum cito remissurum, vt solet verno tempore, vtrimque naues infrœnauerunt anchoris, tam ab alto, quam à littore, contis protrudentes ne colliderentur. Sed vento sæuiente amplius, conturbata sunt omnia, abruptisque anchoris, naues collidebantur, & in terram aliæ post

alias excutiebantur, clamoresque varij miscebantur, pauentium, eiulantium, frustra surdos cohortantium; nemo enim exaudiri pre tanto strepitu poterat. Nihil inter gubernatoré, & vulgarem nautam intererat, non artes, non mandata proderant, sed par omnium erat interitus, & in ipsis nauibus, & quoties quis excideret, elisorum inter fluctus, & nauigia fluctuabant enim toto eo mari naufragia nauium, ac virorum, partim viuorū, partim extinctorum, è quibus si quis ad terram enatasset, hi quoque ad saxa allidebantur à fluctibus. Vt vero æstus etiam accessit, familiaris huius freti, insuetos nouus terror occupauit, nauigijs tum maximè hac illac raptatis, & inter sese arietantibus, quū ventus sub noctem crebresceret, vt ne in luce quidem perirent, sed in tenebris: audiebanturq; per totam noctem eiulatus, & clamores, suos nomine vocantium, discurrentiumque per terram, & in mare inclamantium, & complorantium vt defunctos, quando non exaudirentur. Rursum aliorum extra fluctus caput attollentium, & succurri sibi rogantium. Sed erant vtrisque omnia difficilia, nec solum mare periculosum erat intranti bus, & his qui adhuc in nauibus manebant, sed terra quoq; propter inundationem nihilo tutior, dum metuunt ne se fluctus ad saxa allidere nt, nouo tempestatis more, vt terrę proximi terram tamen timerent, non valentes in altum ab ea refugere, ne tantillū quidem, quantum ad vitandam collisionem sufficeret, namque loci angustia difficilis, & alioquin permeantibus, exortaq; tempestas, &
ven-

ventus à circumsitis montibus in procellas retractus, simulque vorticosus profundi maris æstus, nec manere sinebat, nec fugere. Quæ omnia grauabant tenebræ noctis obscurissimę: quapropter moriebantur, ne conspicui quidem inuicem, alij tumultuantes clamantesque, alij silentio necem expectãtes, quidam etiam accelerantes sibi perniciem, vt in rebus deploratissimis, nam expectatio, malo ipso molestior, omnem, etiam fortuitæ salutis spem adimebat, donec repente ventus remisit, appetente iam die, & sole reuerso in vniuersum elanguit.

*PRENDIT* per aphęresin, & syncopen, dictum pro apprehendit. Sic Virgil. 2. Æneid. vers. 322.

*Quò res summa loco Panthu, quam prendimus arcem?*

Amicus enim vix ex aquis emersus, prenderat, ideſt apprehenderat, seu cœperat, & tenuerat Brutia saxa, ideſt terram.

*INOPS* quasi sine ope. Ops Saturni fuit vxor, cuius festa cum Saturnalibus ad xiv. Kal. Ianuarij celebrabantur, vt refert Macrobius lib. 1. cap. 10. Saturnus enim, eiusque vxor frugũ fructuũq; repertores crediti sunt, ideoque omni agrorum fœtu coacto, hi Dij colebantur, quasi vitæ cultioris, authores: Hos etiam nonnulli Cœlum, & Terram esse volebant, Sãturnumque à satu dictum, cuius causa de cœlo est: Opem verò Terram, cuius ope humanæ vitæ alimẽta quæruntur: vel Terra dicta Ops ab opere, quo fructus, frugesque nascuntur. Huic Deæ sedentes vota

concipiebant, terram manibus de industria tangentes, ad innuendum terram esse matrem mortalium ab eis appetendam. Ab Ope ergo, idest Terra Opes dictæ sunt, nam diuitiæ è terra, & agris proueniunt, indeque etiam effodiuntur. Sic Festus: Ops Saturni coniux, per quam voluerunt Terram significari, quia omnes Opes humano generi terra tribuit, vnde & opulenti dicti, terrenis rebus abundantes. Et ex opposito inops, omnium indigens: quod nomen iungitur patrio rerum, & auxiliorum omnium, vnde dicimus inopem consilij, roboris, sanitatis, potentiæ, amicorum diuitiarum. At hic amicus dictus inops absolutè, quia naufragio, omnium iacturam passus fuerat.

*RES* quum generalem habeat significationem, hic sumitur specialiter pro mercibus & diuitijs, quas amicus naufragio amiserat. Sic Terentius Phormione Actu 2. sc. 2.

*At si talentum rem reliquisset decem.*

Et idem Eunucho Actu 1. sc. 2.

*eius frater aliquantum ad rem est auidior.*

Et Horat. rem facere dixit pro ditari lib. 1. epist. 1.

*Is ne tibi melius suadet, qui vt rem facias, rē*
*Si possis, rectè, si non, quocumque modo rem.*

Sic Cicero pro C. Rabirio Posthumo: *Fuit enim, pueris nobis, huius pater C. Curius Princeps Ordinis Equestris, fortissimus, & maximus publicanus, cuius, in negotijs gerendis magnitudinem animi, non tam homines probassent, nisi in eodem benignitas incredibilis fuisset: vt in augenda re, non auaritiæ prædam, sed instrumen-*

*mentum bonitatis quærère videretur.* *Hoc ille natus, quamuis patrem suum numquam viderat, tamen & natura ipsa duce, quæ plurimum valet & assiduis domesticorum sermonibus, in paternę culpæ similitudinem deductus est: multa gessit, multa contraxit, magnas partes habuit publicanorum, credidit populis, in pluribus prouincijs eius versata res est.* Et hoc modo nunc sumitur pro diuitijs, quarum amicus naufragus iacturam fecerat.

*SVRDAQVE.* Surdus propriè dicitur actiuè, qui vel nullatenus, vel non rectè, & clarè audit. Quæ passio solet accidere ex læsione nerui auditorij, vel illius partis cerebri vnde nascitur hic neruus, aut ex obstructione meatus auditorij, aut ex alia passione. Sic Terent. Andria Actu 3. scena 1.

*Vtinam aut hic surdus, aut hęc muta facta sit.* Sic Cicero, sed metaphoricè, aut metalepticè 5. Tusculan. *Erat surdaster M. Crassus, sed aliud molestius, quod malè audiebat, etiamsi, vt mihi videbatur, iniuria. Epicurei nostri Gręcè fari nesciunt, nec Græci Latinè: ergo hi in illorum, & illi in horum sermone, surdi: omnesque id nos in ijs linguis, quas non intelligimus, quę sunt innumerabiles, surdi profecto sumus.* Sic idem Cicero pro M. Fonteio. *Satis erit id, quod dixi ante, non surdum iudicem huic muneri, atque officio præesse.* Nonnumquam tamen surdus sumitur passiuè, pro eo, quod non auditur. Sic Iuuenalis sat. 7. v. 72. surdam dixit buccinã, quæ non audiretur:

*Surda nihil gemeret graue buccina.*

Et eodem modo passiuè transfertur ad alios

sensus, vt ad gustum transtulit Horat. dicens 2. ser. sat. 8.

*Feruida, quod subtile exsurdant vina palatũ.*

Et ita nunc passiuè sumitur, nam vota surda sunt non exaudita, nec audita.

*VOTA*, promissiones factæ Deo de re quapiam danda, vel facienda: & vouere propriè dicuntur, qu Kalend. Ianuarij, vel die tertia post Kalendas, quando pro Principis salute sollemnia concipiebantur vota, contentiori voce se obligabant, aliquid Deo spondendo, quem morem, cum eadem voti appellatione retinuere Imp. Christiani. Sic Virg. 8. Ænei. vers. 556.

*Vota metu duplicant matres, propiusq; periclo.*
*It timor*

Et Cicero 3. de Nat. Deorum: *Nonnumquam bonos exitus habent boni: eos quidem adscribimus, attribuimusque sine vlla ratione Djis immortalibus: at Diagoras, quum Samotraciam venisset, Atheos ille qui dicitur, atque ei quidam amicus, tu qui Deos putas humana negligere, nonne animaduertis ex tot tabellis pictis, quam multi votis vim tempestatis effugerint?* Et quia quæ summopere concupiscimus, ea conceptis votis à Deo petere solemus, inde metonymicè votum ponitur pro re desiderata, dicimusque aliquem factum voti compotem, quum obtinuit, quod optauerat. Et ita nunc sumitur, quum vota dicuntur condita Ionio, idest res, pro quibus vota concepta erant.

*CONDIDIT*, à con, & do, est quasi simul in partem interiorem dare. Sed frequenter sumitur pro construere, seu ædificare, vt Phœni-

ni-

nices Carthaginem, Ilienses vero Romam condidisse dicuntur. Sic Virgilius Ecloga 2. vers.61. ait:

*Pallas quas condidit arces*
*Ipsa colat.*

Sed sæpius est reponere, siue abscondere. Sic Virg. 2. Æneid. vers.400.

*Pars ingentem formidine turpi*
*Scandunt rursum equum, & nota conduntur in aluo.*

Et ita nunc intelligit: amicum condidisse, idest proiecisse, mersisseque opes, merces, gazasque omnes Ionio. Verum qui rem alibi condit, sponte facere intelligitur, & posse, quando libuerit, eam reaccipere, vt non videatur hic condidisse, qui contra volũtatem eas abiecit. Verum etiam iste voluntarius fuit simpliciter, vt philosophi loquuntur, & secundum quid inuoluntarius, nam voluisset quidem illa seruare, si posset absque vitæ discrimine, sed hoc imminente, sponte illas abijcit, & Ionio condit. Hoc etiam verbo, amici innuit generositatem, quæ, ob furtunæ indignitatem misericordiam ciere valet, magnanimus enim ostenditur, qui tantam iacturam animo adeo infracto sustinere potuit.

*IONIO*. De eo ita Plautius hic. Mare, quod primo sinus accipit Europæ, Ægæum dicitur, quod sequenti Ionium, Adriaticum interius, quod vltimo, nos Thuscum, Græci Thyrrenũ perhibent, vt docet Pomponius ab Oriente Italiam abluit, vt docet Ptolomeus, scribit Plinius. Græci Ionium diuisere in Siculum, & Creticum. Seruius quoque lib.3. Æneidos

enarrans illud Virgilij: Insulę Ionio in magno, ait: Ionium sinum esse immensum ab Ionia vsque Siciliam, & eius partem esse Adriaticum, Achaicum, Epiroticum, vt non immerito Virgilius Ionium magnum appellauerit. Idem ab Ionia prouincia Ionium appellari existimat. Appianus verò 2. de bello ciuili, ab Ionio Dyrrachij filio, quem interfectum Hercules in mare precipitauit: Sic enim ait: Epidamnus barbarorum has terras colentium Rex, vrbem prope mare condidit, appellauitque de suo nomine. Eius ex filia nepos Dyrrachus, Neptuno, vt fertur, prognatus, nauale conditæ Vrbi addidit, vocauitq; Dyrrachium. Huic Dyrracho, quum bello peteretur à suis fratribus, Hercules ex Erithræa reuertens opem tulit, pactus agri partem mercedis nomine: Inde Dyrrachini, eum vt agri participem, conditorem suum perhibent, non quod Dyrrachum abnegent, sed vt ambitiosè originem suam ad Deum potius referant. In ea pugna ferunt Dyrrachi filium Ionium ab Hercule occisum per ignorantiam, & ab illo funeratum corpus, mox proiectum in mare, vt inde nomen acciperet. At Fontius inquit: Ionum pelagus duplex, alterum ab Ionia, regione minoris Asię appellatum, & numeroso ambitu littorum flexũ ab Ægæo mari ad Adriaticum pertinet. Alterum in Italiæ finibus, ab Ione Naulochi filia, ab Hercule interempta. Brixiensis dicit: Ionia Græcorum regio, atq; Colonia, in extremitate Asiæ minoris, media, vt Plinius scribit, inter Cariam, & Lydiam, quam à Caria, vt ait Solinus, Meander fluuius di-

diuidit: accepit nomen, autore Vitruuio, à Duce Ionio, quem Athenienses, quum ex Apollinis Delphici oraculo, in Asiam tredecim colonias, vno tempore misissent, ijs singulos Duces constituerunt, quos summam imperij habere iusserunt. Hinc appellati sunt Iones populi, & mare Ionium. Alij deriuant ab Io Inachi filia. Ioniam vero contingentem extrema Italiæ scribit Solinus, dictam ab Ione Naulochi filia, quam procaciter vijs insidiantem, Hercules interemit. Omissa autem Ionia regione sita Cariam inter, & Lydiam, mare Ionium, de quo nunc est sermo, Creticum comprehendit & Siculum, nec, cum sua appellatione, Adriatici fauces ingreditur, & specialiter intelligit de illa eius parte extrema, quæ ad Siculum pertinet fretum, ante Pelorum promontorium, vbi amicus, facto naufragio, Brutia apprehenderat saxa.

*IACET ipse in littore, & vna ingentes de puppe Dij*. Quinam hic appellentur ingentes de puppe Dij, Casaubonus non dignatur nobis exponere. Fontius ait: Iocosè, idest ironicè de Dijs maris dictum, quorum simulachra, prostrata quum iaceant, neque sibi, neque inopi illi profuerunt. Brixiensis, Plautius, Bond, & Stellutus volunt esse potentissimorum Deorum statuas, quas nautæ gestare consueuerunt, & sub quorum tutela erat nauis. Vnde Lyco apud Petronium in Satyrico, Encolpum rogat, vt subreptum simulachrum nauigio restituat, ne in imminenti naufragio nauis pereat. Farnabius ait esse Deos tutelares nauis, qui in puppi sacrarium habebãt.

Mihi

Mihi videtur ita appellatas statuas, in exteriori puppis parte sculptas, vt nunc apud Catholicos in eadem nauigij parte sãctorum sculpuntur imagines, à quibus etiam naues denominantur: dicti de puppe, à loco vbi effigiantur: ingentes verò, quia proportionatæ cum ad nauis magnitudinem, tũ ad hoc quia, vt ab obuijs agnosci possent, vastioribus lineamentis, & supra communem mensuram, fictæ erant. Et isti Dij nempe tabulæ nauis laceræ, in quibus insculptæ erant Deorum imagines, eiecti fuerant ad idem lictus, in quod emerserat naufragus amicus. Nec tantum Deorum statuæ, seu tabulæ cum Deorũ imaginibus eiectæ erant ad lictus: sed aliæ etiam tabulę, & maximè, quæ nauis latera composuerant, adhuc in vndis fluctuabant, erantque obuiæ mergis.

*IAMQVE obuia mergis.* Mergus auis, quæ cibum captans, frequenter se aquis immergit, à qua frequenti merſione nomen traxit. De hac aue ferunt, ventos futurasque præ noscere tempestates, easque pręsignificare, quum clmore è medio pelagi ad littorum tuta se colligit. In hanc auem ferunt mutatum Æsacum, Priami ex Dimanthes Nympha filium, qui captus amore Nymphę Hesperiæ, eamque fugientem sequens, postquam vidit illam, in ipsa fuga, serpentis morsu exanimatam concidisse, doloris impatientia, è scopulo se in mare deiecisse, & Tethydis miseratione in hãc auem mutatum, mori non esse permissum, vt cecinit Ouid. 11. metamorphoseos dicens;

*Tethys*

*Tethys miserata cadentem*
*Molliter excepit, nantemque per æquora, pennis*
*Texit, & optatæ non est data copia mortis.*
*Indignatur amans, inuitum viuere cogi,*
*Obstarique animæ miseræ de sede uolenti*
*Exire: vtque nouas humeris assumpserat alas*
*Subuolat, atque iterum corpus super æquora mittit*
*Pluma leuat casus, furit Æsacus, inque profundum*
*Pronus abit, lethique vias sine fine retentat*
*Fecit amor maciem, longa internodia crurum*
*Longa manet ceruix, caput est à corpore longè*
*Æquor amat, nomenque tenet, quia mergitur illo.*

*COSTA* propriè dicta, quod sit quasi custos ventris, & molliorum partium corporis. Ita Isidorus dicens lib. 11. cap. 1. costas appellari quidam putant, quod ab ipsis interiora custodiantur, vt tota mollities ventris ijs vallata seruetur. Vel dictę quasi coaxę, seu coniunctæ axes, nam in ipsis femora mouentur, quorum concaua vertebræ vocantur, quia in eis femorum capita vertuntur. Propriè autem costarum nomine veniunt ossa cohærentia spinæ dorsi, quæ suo complexu cohercent intestina ne diffluant: sed metaphoricè costarū nomen transfertur ad alia multa, vnde montis costam dicimus, pro illius arduo latere. Et eadem metaphora nunc nauis latus, costæ nomine est significatum.

*RATIS.* Si Festum audiamus, importat ligna inter se colligata, quæ per aquam aguntur:

tur: quo etiam vocabulo fatetur naues appellatas, earumque remos. At iuxta Varronem, ratis est nauis longa, propter remos, qui per aquas sublati, dextra, & sinistra duas videntur partes efficere, & ita rarescunt; Sed propriè importat compagines trabium connexarum, quibus vtebantur ante nauium constructionem introductam. Sed per senecdoché sumitur pro naui. Sic Ouid. 14. metam.

*E quibus alma parens, vnius uiribus vsa*
*Stuppea perrupit Phrygiæ retinacula puppis,*
*Fertque rates pronas, medioque sub æquore mergit.*

*NVNC & de cespite uiuo frange aliquid, largire inopi, ne pictus oberret cerulea in tabula*. Ordo est. Nunc frange aliquid de cespite viuo, & largire inopi, ne oberret pictus in tabula cerulea. Et est sensus: In tali occasione benemerendi de amico naufragium passo, non debes attendere ad solos annuos prouentus, immo curabis distrahere aliquid etiam de sorte principali, & agris fructiferis, vt eam dones amico, ne ille cogatur mendicare. Cespes est terra simul cum innata herba auulsa, vnde Seruius, & Festus dicunt: Cespes est terra ad modum lateris cæsa cum herba, siue, est frutex recisus, & truncatus: Dictus cespes, quod pedem cædat, idest percutiat, quasi cædipes, nisi malis iuxta Isidorum lib. 17. cap. 6. dicere, cespites esse frutices, quasi circa pedes, Ex cespitibus fiebant tuguria. Vnde Virgil. Ecloga 1. v. 69.

*Pauperis et tuguri, congestum cespite culmen.*

Et Deorum aræ, Statius 1. Siluarum in Soteria v. 130.

*sæpe*

*sæpe Deis hos inter honores*
*Cespes, & exiguo placuerunt farra salino.*

Et munimenta c. strorum. Lucanus l.1.v.514

*quum pressus ab hoste*
*Clauditur externis miles Romanus in oris*
*Effugit exiguo nocturna pericula vallo,*
*Et subitus rapti munimine cespitis agger*
*Præbet securos inter tentoria somnos.*

Et tribunalia Imperatoribus. Idem l.5.v.316.

*stetit agere fultus*
*Cespitis, intrepidus vultu, meruitq; timeri*
*Non metuens, atq; hęc, ira dictante profatur.*

Verum vocatus hic cespes viuus, nullo ex his modis sumi debet, sed opposito ad annuum prouentum, ideoque eo nomine significatur fundus, seu agger ferax, quem monet distrahendum ad subueniendum indigentiæ amici. Quapropter non placet interpretatio Bond, quam sequitur, suo more, Stellutus, nempe nomine cespitis viui intelligi messem immaturam, & quæ foret adhuc in herba, quasi hæc tantum esset pro amici necessitate vendenda. Nec ad talem intelligentiam cogit epitheton viui, etiam si virentes herbæ, compa- ... a... umenta in hórreis constructa, viuere videantur. Nam quamuis hoc sit verum, explicatio tamen rudis est. Potius ergo dicendum cespitem viuum esse agrum fructiferum, qui viuere, & generare censetur, quum quotannis ex se fructum pariat. Et ita cespitem viuum pro patrimonio intellexere Cornutus, Plautius, Brixiensis, & Fontius.

*FRANGE*, rumpe, comminue, vt frangere panem, ligna, & similia, & est plus, quam diuide,

uide, nã Cic. 2. de Fin ait: *Quomodo philosophus loquitur, tria genera cupiditatũ, naturales, et necessarias, naturales non necessarias, nec naturales nec necessarias? primum diuisit ineleganter, duo enim genera, quæ erant, fecit tria, hoc est non diuidere, sed frangere rẽ.* Quia autem fracta, seu comminuta, facilè ab inuicem separantur, inde frangere metaphoricè, & metalepticè ponitur pro separare, & distribuere. Et ita nunc sumit, vt: Frange aliquid de cespite viuo, largire inopi, sit: Distrahe, seu vende aliquid de tuis possessionibus, & agris fructiferis, ad subleuandam amici calamitatem.

*NE pictus oberret cerulea in tabula.* Ad satyræ 1. versum 89. diximus de more antiquorum naufragorum, qui tabellam cum depicto naufragio gestantes, vagabantur, stipem mendicantes. Sic Iuuen. sat. 14. v. 300.

*mersa rate naufragus assem*
*Dum rogat, & picta se tempestate tuetur.*

Et idẽ nũc significat. Est autẽ expressum legis naturæ præceptum officium istud, iuxta illud Matthæi 7. *Quęcumque vultis, ut vobis faciant homines, facite illis similiter.* Tu vero si in talem incideres necessitatem, velles ab amicis, etiam cum aliquali illorum incommodo, tibi subueniri, Beneficium enim collatum absque conferentis incommodo, non magnam habet gratiam, ideoque amico naufragium passo, subueniẽdum est etiã cum distractione partis tuarum facultatum, Et id nunç vult poeta, etiam si Ethnicorum quidam, veram beneficentię rationem ignorantes, negarẽt dandum beneficium retribuerę non valentibus. At

Chri-

Christus Dominus virtutum omnium retributor, & Magister, Lucæ 14. ait]: *Quum facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos diuites, ne fortè te & ipsi reinuitent, & fiat tibi retributio: sed quum facis conuiuium voca pauperes, debiles, claudos, & cęcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi, retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum.* Sic Petrus Damianus Opusculo de eleemosyna ait: *Illa misericordia supereminet, quæ, de copia, nuper, ad inopiam deuolutis, auxilium præbet. Sunt namque nonnulli quos honestioris quidem generis ordo nobilitat, sed indigentia rei familiaris angustat. Plerique etiam equestris prosapiæ titulis adornantur, sed domesticæ necessitatis inopia deprimuntur: exigente generis dignitate, compelluntur spectabilium interesse colloquijs, consessu quidem pariles, longè facultatibus inæquales. Sed licet eos domesticæ paupertatis sollicitudo discruciet, etiam si cogente necessitate, ad extrema perueniant, alimenta petere, mendicantes ignorant. Eligunt enim potius mori, quam publicè mendicare, confundúntur agnosci, verentur inopiam confiteri. Et quum alij suam prædicent egestatem, immo nonnumquam modum, exaggerando, paupertatis excedant, vt vberis stipem consolationis accipiant, isti quod patiuntur occultando dissimulant, ne turpiter in oculos hominum signum aliquod suæ paupertatis erumpat.* Et infra: *Moyses immo Dominus per Moysen, Si vnus, ait, de fratribus tuis, qui moratur intra portas ciuitatis tuæ, in terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, ad paupertatem*

*tatem veneris, non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, ſed aperies eam pauperi, & dabis mutuum, quo eum indigere proſpexeris.* Et alibi. *Non deerũt pauperes in terra habitationis tuæ, idcirco pręcipio tibi, vt aperias manum fratri tuo egeno, & pauperi, qui tecum uerſatur in terra. Scit enim omnipotens Deus, quoniam humana fragilitas pro ſola ſua iuſtitia numquam peruenire poſſet ad vitam, ſed ſemper indigere miſericordia, atque ideo per omnes ſacrarum paginas ſcripturarum, eleemoſynam laudat, miſericordiam prędicat, viſcera pietatis exhibenda pauperibus indeſinenter inculcat, vt dum homo homini miſeretur, ſuis etiam meritis à Deo miſericordiam conſequatur, & dum ſuſtentat propriæ naturæ conſortem, ſuſtentantem ſe habere mereatur auctorem, & quod exhibet proximo, ipſe quoque conſequatur à Deo &c* Itaque Perſius in hac re non diſcrepat à lumine præcepti Euangelici, monens benefaciendum inopi.

*OBERRET* à præpoſitione ob, circum, & verbo, erro, ideſt vagor, eſt circum, ſeu in orbem feror, & fere ſemper ſumitur in malam partem. Hinc Gellius ex Cloatio Verrio refert lib. 16. cap. 12. *Errare dictum eſt ἀπό τῦ ἔῤῥειν pereundo, verſumque infert Homeri; in quo id verbum eſt ἔῤῥε κακή γλήνη, pereas malè pupilla oculi: & illud ἔῤῥε ἐκ νήσου θᾶσσον ἐλέγχιστε ζωόντων Ocyus o pereas viuorum ex inſula abuſus.* Pictus autem oberrat amicus portans humero tabellam repreſentantem ſuum naufragium, & ſic, etiam tacitus vagando ſtipem emendicabat.

*SED cœnam funeris heres negliget, iratus*

*quod*

*quod rem curtaueris, urnæ ossa inod ra dabit, seu spirent cinnama surdum, seu ceraso peccent casiæ nescire paratus.* Ordo est. Sed hæres iratus, quod curtaueris rem, negliget cœnam funeris, dabit ossa inodora vrnæ, paratus nescire, seu cinnama spirent surdum, seu casiæ peccent ceraso. Cœna à κοινὸς, communis, quod ad eam in communi multi conueniant, & post corporis refectionem gratis sermonibus se vicissim oblectent, eaque sapientibus, & philosophis erat in vsu. Hinc Cato apud Ciceronem de Senectute ait: *Ad meipsum iam reuertor: primum habui semper sodales: sodalitates autem, me Quæstore, constitutæ sunt, sacris Idæis magnę matris acceptis. Epulabar igitur cum sodalibus omnino modicè, sed erat tamen quidam feruor ætatis, qua progrediente, omnia fiunt in dies mitiora. Neque enim ipsorum conuiniorum delectationem, corporis voluptatibus magis, quam cœtu amicorum, & sermonibus metiebar. Bènè enim maiores nostri, accubationem epularem amicorum, quia vitę coniunctionem haberet, conuiuium nominauerunt, melius quam Gręci, qui, hoc idem tum compotationem, tum concœnationem vocant, ut quod in eo genere minimum est, id maximè probare videantur. Ego vero propter sermonis delectationem tempestiuis conuiuijs delector, nec cum æqualibus solum, qui pauci admodum restant, sed cum vestra etiã ætate, atque vobiscum, habeoque senectuti magnam gratiam, quæ mihi sermonis auiditatem auxit, potionis & cibi sustulit.* Cœna autem funeris, de qua hic est sermo, quidam dicunt esse Nouemdialem, quæ scilicet nouem die

bus

bus extendebatur, in qua vel à conuiuis, vel à conducto oratore, defuncti laudes memorabantur, tanta diligentia, vt ille miserrimus haberetur, de qua dici potuisset ἐκ ἀν ἐπαινέσιης ὑδ' ἐν περιδείπνοις nihil habet laudabile, ne quidē in cœna funeris. Sed alij volunt esse illam, quę opiperè apparata, simul cum defuncti ossibus cremabatur, de qua Virg. 6. Æn. v. 224.

*congesta cremantur*

*Thurea dona dapes, fusoq; crateres oliuo.*

Alij dicunt fuisse epulum Deorum Manium, quod silicernium dicebatur, de qua Donatus ad illud Terentii Adelphis Actu 4 sc. 2.

*I sane, ego te exercebo hodie, ut dignus es, silicernium,*

ait Silicernium est cœna, quæ infertur Dijs Manibus, quod eam silentes cernāt, idest vmbræ possideant: vel quod, qui hæc inferunt, cernant tantum, neque degustent: nam de his, quæ libantur inferis, quisquis comederit, aut biberit, funestatur. Hinc ait Alexander ab Alexandro lib. 3. cap. 12. Ferales cœnas, lentesque & offas ad sepulchra illorum ferre, quibus parentare ius erat, quæ etiam Feralia, à ferendis epulis dicta sunt, quas in defunctorum sepulchris, super nudam silicem apponebant. Ex quo etiam tale epulum silicernium, quasi silicœnium, dicebatur, vt ait Seruius ad illud Virgilij 5. Æneid. v. 92. *Libauitque dapes*, leuiter gustauit epulas, quæ silicernium vocatur, quasi silicœnium, super silicem positum. Alij silicernium dicunt pro sene, vel quia proximè vmbras visurus, vel qui

in-

incuruus, vel quia silicea m habeat herniam. Prima origo est Donati ad locum citatum Terentij; silicernium, senex, qui iam iamque silentibus, vmbrisque cernendus sit, & sic est melius, quam vt quidam geronta interpretātes, putant sic nos silicernium intelligere, hoc est silices cernentem senem dum incuruus est, vel stratæ saxo viæ intentus, vel sarcophagi iam iam appropinquantis sibi. Secūda Fulgentij: Silicernios dici voluerunt senes incuruos, quasi iam sepulchrorum suorum silices cernentes, qui refert Cincium de Gorgia Leontino dicentem: Qui dum iam silicernius, sui finem temporis expectaret, etsi mori non potuit, tamen infirmitatibus insultauit. Tertia Philelphij. Non à silentio, & cernendo silicernium descendit, mea quidem sententia, sed à silice, & hernia: nam decrepitos admodum senes herniam nonnullos audio pati solitos. Vt de de Nestore legitur, quem annos nonaginta vixisse tradunt. Duo autem sunt herniarum genera, nam alias molles, & aquosas, medici vocant, & eas quidem facilè sanabiles: alias duras, & carnosas, quę nullam admittunt curationem. Et hinc silicernium dictum, ait, autumo, à silicea, & dura hernia, quę similis est lucanicis, idest farcimini duriori. Vnde senes decrèpiti tali morbo obnoxij, silicernia per contumeliam vocantur apud Terentium:

*I sane, ego te exercebo hodie, vt dignus es, silicernium.*

Qui vero dicunt silicernium nominatum, eo quod qui sunt admodum senes, curuitate

cor-

corporis silices cernant, siliceo sunt cerebro: Est in his verbis aliquorum excusatio, qui moniti. vt de amicis bene mereantur, respondent, id se non posse, ne eorum funus nullo curetur honore ab hærede: qui sibi subtrahunt etiam vitæ necessaria, nec nouam vnquam induunt togam, eam rogo seruantes, vel sepulturę, quorum sententiam damnat Horatius dicens lib.2. ep ist.2.

*Vtar, & ex modico, quantum res poscet, aceruo*
*Tollam, nec metuā quid de me iudicet hęres, Quod non plura datis inuenerit.*

*CVRTAVERIS.* Curtare sæpe est plagis, & vulneribus decurpare, vnde curtus est strigosus, & vulneribus plenus. Horat. l.1. ser. sat.6.

*nunc mihi curto*
*Ire licet mulo, vel, si libet vsque Tarentum.*

Sæpius est minorem reddere. Celsus l.7. c.8. *Tertium est si quid ibi curti est, sarcire, quę res, quum in labris quoque, & naribus fieri possit, eamdem etiam rationem habeat, simul explicandum est. Curta in his tribus, ac si qua parua paria sunt, curari possunt, si qua maiora sunt, aut non recipiunt curationem, vt minus indecora ante fuerint. Atque in aure quidem, & naribus, deformitas sola timeri potest: in labris verò, si nimiū contracta sunt, vsus etiam necessarij iactura fit, quia minus facilè & cibus assumitur, & sermo explicatur. Neque enim creatur ibi corpus, sed ex vicino adducitur.* Curtare igitur est breuiare, & minorem reddere: inde indignatur hæres, quod testator rem curtauerit, minoremque reddiderit hæreditatem, detra

hendo

hendo aliquid de p ç l:j, ad subleuandam amicorum inopiam.

*VRNÆ.* Vrna est vas, quo aquam è puteo, fonte, fluuio, haurimus, dictum, iuxta Varronem, quia quum in aquam demersum, rursum emergit, vrinantis referat speciem, vt sit per syncopen, & apocopen, quasi vrinans. Sic Varro 4. LL. Vrnæ dictæ, quod vrinant in aqua haurienda, vt vrinator: vrinare est mergi in aquam. Sic Plautus Pseudolo Actu 1. scena 2.

*Tu qui vrnam habes, aquam ingere, face plenum ahenum sit cito.*

Quod etiam dicebamus ad satyræ 5. vers 145. Eiusdem figuræ, & appellationis erat aliud vas, quo Iudicum excipiebantur suffragia: & Sic authores passim, & Virg. 6 Æn. v. 432.

*Quæsitor Minos vrnam mouet.*

Vas quoque quo defunctorum cineres seruabantur, eiusdem nominis, & figuræ erat, hinc apud Ciceronem legimus 1. Tusculan.

*Aspicite ò Ciues, senis Enni imaginis vrnam.*

Et apud Tacitum 3. Annal. cap. 1. *Agrippina postquam duobus cum liberis, feralem vrnam Germanici tenens, egressa naui, defixit oculos, idem omnium gemitus.* Et hoc modo pro vase, quo seruandi erant sui cadaueris cineres, nūc accipitur.

*OSSA inodora*: alicubi legitur Ossa inhonora: sed discrepantia non est tanti, quum modo quocunque legeris, idem habeatur sensus, odor enim ad sepulcri pertinet honorem. Curabantur autem cadauera cum aromatibus arcentibus putrefactionem, nedum ab

Ethnicis, sed etiam à fidelibus, vnde ita curata legimus corpora Iacob, & Ioseph Genesis 50. de Iacob: *Præcipitque Ioseph seruis suis medicis, vt aromatibus condirent patrem.* Et de ipso Ioseph ibidem dicitur: *Mortuus est expletis centum decem uitæ suæ annis: & conditus aromatibus, repositus est in loculo in Aegypto.* Immo de Christo legimus Ioannis 19 *Acceperunt corpus Iesu, & ligauerunt illud linteis, cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire.* Sed Ethnici id superstitiosè faciebant, credentes, corporibus durantibus integris, animas, certas circa illa, sedes habere: at illis tabe resolutis, eas in erroribus esse. Non tamen omnium fuit hæc persuasio, nec omnes integra seruabant corpora, immo Romani, lege Cornelia, cadauera cum aromatibus cremabant, cineresque, vnguentis perfusos, sepulturæ tradebant. Et quo in his maiores fiebāt sumptus, eo defuncti feliciores habebantur. Hinc multi vestes triūphales, enses, balcheos, torques, arma militaria: mulieres vero ornamenta sua, zonas, armillas, mundum muliebrem, victasque, comas virginales, cincinnos retortos, bullas, prætextasque liberorum flammis tradebant: thura etiam, vnguenta, & odores omnis generis, quorum ex copia, & violentia adstantium nonnullos ad pyram exanimatos legimus: nam preter infinita alia odoramenta, comperimus in funere Cornelij Syllæ absumptam iustæ magnitudinis statuam ex odoribus constantem. Hoc ergo nunc timet testator, ne hæres suum cadauer absq; odoribus comburat, vel sepeliat.

SEV

*SEV spirent*. Existimant quidam spirare esse à σπαίρειν: sed σπαίρειν propriè dicitur de animalibus moribundis, quum extremum editura spiritum, tremunt, ac palpitant. Alij putant factum per oinomatopoijam, quam tamen hic non video: vnde melius deriuabitur ex σπῶ traho, & ἀέρα aërem, vt sit aerem attrahere, quod fit ab animalibus, exceptis quibusdam aquaticis. Vnde Plinius lib. 9. cap. 7. ait: *Spirant confessione omnium, & paucissima alia in mari, quæ internorum viscerum pulmonem habent quoniã sine eo nullum animal putatur spirare; ne piscium branchias habentes anhelitum reddere, ac per vices recipere existimant, quorum hæc opinio est: nec multa alia genera, etiam branchijs carentia: in qua sententia fuisse Aristotelem video, & multis persuasisse doctrinæ indaginibus. Nec me protinus huic opinioni eorum accedere haud dissimulo, quoniã & pulmonum vice alijs possunt alia spirabilia inesse viscera, ita volente natura*. Et cap. 8. sequenti de Delphinis ait: *Abduntur tricenis diebus circa canis ortum, occultãturque incognito modo, quod eo magis mirum est, si spirare in aqua nequeunt.* Venti etiam flantes, spirant. Sic Ouid. 11. metamorph.

*Quũ mare sub noctem tumidis albescere cepit*
*Fluctibus, & præceps spirare valẽtius Eurus.*

Aliquando est adhalare, seu odorem emittere. Sic Plinius lib. 12. cap. 19. *Ad meridiani solis repercussus inenarrabilem quemdam vniuersitatis halitum è tota peninsula existere, tot generum auræ spirante concentu*. Sic Virgil. 1. Aeneid. vers. 406.

*Dixit, & auertens rosea ceruice refulsit,*
*Ambrosiæque comæ diuinum vertice odorem*
*Spirauere.*

Et hoc modo nunc sumitur spirare pro adhalare, seu spargere odorem.

*CINNAMA.* Cinnamomum frutex, siue arbuscula humilis, & surculosa, vulgo ob quamdam canalium, quos cortice refert, speciem, cannella dictũ: natura calidum, & siccũ, prodestque stomacho, & caput humoribus purgat. De eo ita Plinius lib. 12. cap. 19. *Cinnamomum, idemque cinnamum nascitur in Aethiopia Troglodytis connubio permixta: ij mercantes id à conterminis, vehunt per maria vasta, ratibus quas neque gubernacula regant, neque remi trahant, uel impellant, non uela, non ratio ulla adiuuet, quum omnium instar ibi sint homo tantum, & audacia. Præterea hybernum mare exigunt circa brumam, euris tum maximè flantibus. Hi recto cursu per sinus impellunt, atque à promontorij ambitu argestæ deferunt in portum Gebanitarum, qui uocatur Ocilia. Quamobrem illi maximè id petunt, produntque uix quinto anno reuerti negotiatores, & multos interire. Contra reuehunt uitrea, & ahena, uestes, fibulasque cum armillis, ac monilibus. Ergo negotiatio illa fœminarum maximè fide constat. Ipse frutex duorum cubitorum altitudine amplissimus, palmiq; minimus, quatuor digitorum crassitudinis, statim à terra sex digitis surculosus, arido similis. Quum uiret, non odoratus, folio origanis, siccitate gaudens, sterilior imbre, cæduæ naturæ: Gignitur in planis quidem, sed densissimis in tepribus rubisque, difficilis colle-*

*ctu*

*Etu*. Ex eo fiebat vnguentum crassissimum cinnamomum appellatum, & de eo nunc loquitur. Quod autem ait: Spirent surdum, eodem modo intelligitur surdum nunc, ac supra vers. 28. nempe passiuè, vt spirare surdum, sit vel nullum, vel adeo exilem adhalare odoré, vt nullatenus, vel vix sentiatur.

*CERASO*. Cerasus arbor est, & fructus, de quo ait Ouidius in Nuce: *Audiat hoc cerasus, stipes inanis erit*. Et Seruius 2. Georg. Cerasus Ciuitas est Ponti, quam quum delesset Lucullus, genus hoc pomi inde aduexit, & à ciuitate cerasum appellauit, nam arbor cerasus, pomum cerasum dicitur. Hoc autem etiam ante Lucullum erat in Italia, sed durũ, & cornus appellabatur, quod postea, mixto nomine cornocerasum dictum est. At Plinius lib. 15. cap. 25. ait: *Cerasi ante victoriam Mithridaticam L. Luculli, non fuere in Italia, ad Vrbis annum 680: is primum vexit è Ponto, annisque 120 trans Oceanum in Britanniam vsque peruenere*. Et Tertullianus in Apologetico cap. 11. *Si propterea Liber Deus est, quod vitem demonstrauit, malè cum Lucullo actum est, qui primus cerasa ex Ponto Italiæ promulgauit, quod non est propterea consacratus, vt nouæ frugis auctor, quia inuentor, & ostensor*. Quod autem dicunt ab Vrbe Ceraso, vel à regione Cerasunte, arbori & pomo factum cerasi nomen, fefellitur ab Athenæo dicente l. 2. cap 9. *Multa vos ò Græci vobis arrogatis, vel quia nominastis, vel inuenistis, ignorastis autem, quod Lucullus Dux Romanorum, qui Mithridatem, & Tigranem debellauit, primus hanc plantam*

*ex Cerasunte Ponti Ciuitate in Italiam deportauit, & fructum ipsum eodem nomine ex patriæ Ciuitate nuncupauit, vt nostri scriptores testantur. Ad quem Daphnus quispiam respondit. Verumtamen multis annis antiquior Lucullo, vir quidã eximius Diphilus Siphnius, qui Lysimachi Regis tempore floruit, vnius ex Alexandri successoribus, de cerasis mentionem facit ita scribẽs: Cerasa conferunt stomacho, bon· sunt succi, & bene nutriunt: in frigido sumpta conferunt stomacho: meliora sunt magis rubicunda, & Mylesia, promouent etiam vrinam.* Non ergo absolutè tempore Luculli nomen habere cęperũt, sed quum tam nomen, quam res ante id tempus, incomperta Italiæ fuissent, tunc innotescere cęperunt. Ex huius autem arboris trunco exsudat aliquando quædam gummi species, quę etiam cerasus appellatur, & hæc vnguentis admixta, eorum corrumpit suauitatem. Nam quamuis texte Plinio l. 13. cap. 1. gummum adijciatur ad contine͂dum odorem: eodem tamen lib. c. 11. idem ait: Gummi optimum esse ex Ægyptia spina, conuenit, deterius ex amygdalis amaris, & ceraso. Et de hoc nunc loquitur.

*CASIAE*. De Casia vide, quæ diximus ad satyræ 2. versum 64. Nam de eadem casia est nunc sermo, vel potius de vnguento ex illa facto. Est autem elegans loquendi forma, dum dicitur hęres paratus nescire, an tale vnguentum fuerit corruptum ceraso, aut alio minuente illius fragrantiam, aut redolẽtiam; paratus enim nescire, est non curans scire, siue negligens in cognoscendo. Nam qui nullum

sum adhibet studium ad rem cognoscendam, illius se exponit periculo nescientiæ, & ita est paratus nescire, quod ex amoris accidit defectu.

*TVNE bona incolumis minuas?* Verba sunt præsumpti hæredis, seu hæredipetæ, idest illius qui hæreditatem expectabat. Incolumis ille dicitur, qui sanus, & saluus, nulloque graui affectus est infortunio. Sic Cicero 4. de finibus: *Habes Cato formam eorum, de quibus loquor, philosophorũ, qua exposita, scire cupio quæ causa sit, quare Zeno ab hac antiqua institutione desciuerit? Quidnam horum ab eo non sit probatum? Quodne omnem naturam constructricem sui dixerit? an quod omne animal ipsum sibi commendatum, vt se & saluum in suo genere, incolumenque vellet?* Et pro Sexto Roscio Amœrino: *Legati Amœriam, re inorata, reuerterunt, ac primo rem differre quotidie, ac procrastinare isti cœperunt: deinde aliquanto lentius, nihil agere, atque deludere: postremo id quod facilè intellectum est, insidias vitæ huiusce Sexti Roscij parare, neque sese arbitrari, posse diutius alienam pecuniam, domino incolumi, retinere.* Sic Horat. 1. ser. sat. 4.

*—— Tuamque*
*Dum custodis eges, vitam, famamque tueri*
*Incolumem possem.*

Et ita nunc sumitur, vult enim, non debere eum, qui sanus sit corpore, nec pressus infortunio, captiuitate, aut alio personali incommodo, facultates dispergere, sed integras hæredi conseruare.

*SED Bestius vrget doctores Graios: ita fit postquam*

*quam sapere Vrbi cum pipere , & palmis uenit nostrum hoc maris expers , fœnisecæ crasso uitiarunt unguine pultes.* Ordo est. Sed Bestius vrget doctores Graios, ita fit postquam hoc sapere nostrum expers maris, venit Vrbi cum pipere, & palmis, fœnisecæ vnguine crasso vitiarunt pultes. Casaubonus refert ex Turnebo in omnibus antiquis legi : Et Bestius vrget: quod si verum foret, commodissima esset intelligentia, nam quum præcessissent verba audi hæredipetæ , querentis hereditatem minui largitionibus à testatore factis ex officio, ex philosophorum præscripto, hæres, Bestius merito dictus, inuehitur contra sapientes, & hunc sermoné querelæ facte adiungit. Sed quia nedũ antiquissimus Cornutus, sed Brixiensis , & Fontius , immo & quotquot scripserunt post Turnebũ, & Casaubonũ, cum Farnabio perpetuo Casauboni assecla, retinét aduersatiuam, *sed*, puto non esse verum, coniunctiuam *&* , inueniri in omnibus membranis . Hinc more nostro, communem sequendo lectioné, dicimus, hæredipetã accusare *nedũ* testatorem, facultates, absq; vrgenti necessitate consumentem , sed reprehendere philosophos , ob quorum canones talia facere didicisset. Quod autem heredipetam istum nominet, Bestium, existimant aliqui, sic cognominatam particularem aliquam Romanorum familiam. Verum vt concedo fuisse Romæ *Calpurniorum* familiam, & in ea plures, fœminina terminatione, Bestias cognominatos, de masculina tamen Bestij, nusquam memini legisse, . Nec nunc de Calpurnia , aut alia singulari

gulari familia est sermo, quum tantum dicere velit, rudem aliquem, & ferinum animum, nulla liberali cultum disciplina, sed veluti brutalem, cuiusmodi esse solent rustici, vel qui sunt de gente hircosa centurionum, contemnere sapientes, & eorum irridere præcepta.

*VRGET*, premit, vel impellit ad aliquid agendum. Sic Cicero ad Atticum l.6.epist.5. *Etsi annum tempus prope iam emeritum habebamus, dies enim trigintatres erant reliqui, sollecitudine prouinciæ tamen, vel maximè vrgebamur.* Et lib. 12.epist.10. *Nec erat quod scriberem, & somnus vrgebat.* Sic Virgil. 3.Georg. vers.522.

*cit ima*

*Soluuntur latera, atque oculos stupor urget inertes.*

Et idem Virg.7.Aeneid.v.240.

*his Dardanus ortus*

*Huc repetit, iussisq; ingentibus urget Apollo.*

Quod ergo hic ait: Bestium vigere doctores Graios, est, rudem aliquem, agrestem, vel militarem virum, irrisionibus, & contumelijs grauare philosophiæ professorem, eiusque præcepta contemnere.

*SAPERE urbi cum pipere, & palmis uenit nostrum hoc maris expers.* Quid sit sapere expers maris, fere tot sententiæ, quot capita. Cornutus interpretatur de sapientia externa, quę ante, nauigij ignara, per mare ad nos pertransiuit, quam cum peregrinis mercibus emimus. Fontius: Rem, dicit auarus, imminui, postquam luxuria ex Græcorum

philosophica d sciplina, ad liberalitatem adhortante, in Vrbem venit: quod apud maiores parco assuetos, agendisque rebus magis, quam philosophis intentos, non contingebat. Brixiensis, & Plautius volunt; hęc dicta in philosophorum contemptum, quorum persuasione, nedum locupletes, sed etiam pauperes, lautè viuebant, & liberalitatem exercebant. Dictum vero sapere expers maris in Romanis, qui non nauigarunt in Græciam, vt philosophiam addiscerent, & tamen Romę ex Gręcorum pręscripto genialiter viuebant: nam Gręcos vitiorum omnium inuentores dictos fuisse, constat. Sapientiam etiam vltimis diebus inuentam fuisse, tradidit his verbis. Seneca de Consolat. ad Heluiam cap. 10. *Scilicet minus beatè uiuebat Dictator noster, qui Samnitum Legatos audit, quum uilissimum cibum in foco ipse manu sua uersaret, illa qua iam sępe hostem percusserat, lauream que in Capitolini Iouis gremio reposuerat: quam Apicius nostra memoria uixit, qui in ea Vrbe, ex qua aliquando philosophi, uelut corruptores iuuentutis abire iussi sunt, scientiam popinæ professus, disciplina sua seculum infecit.* Sic Lucretius lib. 5. vers. 336.

*Denique natura hæc rerum, ratioq; reperta 'st*
*Nuper, & hanc primus, quum primis ipse repertus*
*Nunc ego sum in patrias, qui possim uertere uoces.*

Et Lactantius lib. 3. cap. 6. ait: *Arcesilas ignorantię magister, quum Zenoni obtrectaret principi Stoicorum, ut totam philosophiam euerteret,* an-

*auctore Socrate, suscepit hanc sententiam, ut affirmaret, nihil sciri posse . Itaque coarguit æstimationem philosophorum, qui putassent ingenijs suis erutam esse, atque inuentam veritatem, videlicet quia mortalis fuerat illa sapientia, paucisque ante temporibus instituta, ad summum iam incrementum peruenerat, ut iam necessario consenesceret, ac periret: repente extitit Academia tamquam senectus philosophię, quę illam auferret iam deflorescentem. Rectèque uidit Arcesilas, arrogantes, uel potius stultos esse, qui putent scientiam ueritatis coniectura posse comprehendi: sed tamen falsa dicentem redarguere non potest, nisi qui sciuerit ante quid sit uerum: Arcesilas, ueritate non cognita facere conatus, introduxit genus philosophiæ ἀσύςατον, quod Latine instabile, siue inconstans possimus dicere. Vt enim nihil scire posse sciendum sit, aliquid sciri necesse est, nam si omnino nihil scias, id ipsum nihil sciri posse, tollitur. Itaque qui uelut sententiæ loco pronunciat: Nihil sciri, tamquam perceptum profitetur, & cognitum, ergo aliquid sciri potest.* Cui sophismati simile est illud, quod proponi solet in asystati generis exemplum: Somniauit quidam, somnijs non esse credendum, is si somnio credat, sequitur somnio non credet: si non credat, somnijs credet: ita si nihil scire tu scias, scis quod nihil scis: si autem scis, quod nihil scias, iam aliquid scis, & ita falsum est te nihil scire, vel quod nihil sciatur: si autem nec istud scis, nihil scirj posse, iam aliquid sciri potest. Et ita inducitur dogma sibi repugnans, seque ipsum dissoluens, Sed vt ad aliorum sententias re-

censendas reuertamur, sapere expers maris, Bond dicit esse sapientiam Romanam, olim ignaram nauigationis, inuectam tandem Vrbi simul cum mercibus exoticis, & peregrinis; Stellutus vult esse sapientiam Romanam Romę natam, & quę aliunde non venerit. Turnebus relatus à Casaubono ait, esse sapientiam cismarinam, ideoque contemptibilem, quum transmarina Grecorum maiori foret in pretio. Casaubonus è contra vult esse mollem, & effœminatam, nempe transmarinam Grecorum, quę mollis habebatur apud Romanos, siquidem pręclara verbis, operationibus correspondentibus destituebatur. Et obseruat idem Casaubonus verbum, Expers, esse ex numero eorũ, quæ oppositas admittũt significationes, sicut enodis est, tum quod omnino caret, tum quod vndiq; nodis scatet: & exossatus, tam qui multa, quã qui nullum os habet: & exarmare tam arma adimere, quam ijs instruere: & sic expers dicitur, tam qui nullam habet partem, quam qui ferè omnes. At quia verba sunt Bestij, mihi, sapere expers maris videtur dictum per oximoron, idest Acuti fatuum, vt sit sapientia insipiens, & stulta: Talis enim Bestio videbatur illa, qua diuites iubebantur diuitias distrahere ad subleuandas amicorum necessitates, & miserias. Hoc enim naturæ pręceptum, quo iubemur pluris facere proximorum vitam, incolumitatem, & libertatem, quã nostras opes, & has impendere pro illis, aut conseruandis, aut recuperandis, vt nobis fieri vellemus, si in simili necessitatis articulo essemus constituti,

cuti, Bestij pro stultitia habent, & illud appellant sapere expers maris, idest stultum, & sapientiam fatuam, & insipientem, quam dicunt venisse Vrbi de partibus, & prouincijs transmarinis, Græcia videlicet, vnde putabatur omnem sapientiam ortum habuisse, & simul omnem luxum, vt Romani ab illis opipare obsonare didicerint.

*CVM pipere, & palmis.* De pipere arbuscula Indica, dictum est ad satyræ 3. versum 75. & satyræ 5. vers. 55. De palma vero plura habet Plinius lib. 13. cap. 4. quæ apud ipsum videri possunt. Ea est arbor frequens in Oriēte, Palestina, Ægypto, Africa, & iuxta Strabonem lib. 16. Geograph. in alijs calidis regionibus, ibique fructificat, nam in Italia nullum adfert fructum. Habet autem comam in cacumine, & ramos ad similitudinem palmæ manus, indeque palma appellata; fructus fert figuratos ad instar digitorum, & propterea dactyli dictos. Ait ergo: Hoc nostrum sapere expers maris, venisse de transmare, simul cum pipere, & palmis, quę etiam inter merces Orientales numerantur. Hæc est plana, & superficialis huius loci expositio. Sed aliam magis reconditam puto Persium intellexisse, nimirum Hoc sapere nostrum stultū, & inficetum, expers maris, idest nullam maris habens partem, & ita carens sale, idest sapientia: vt sit hic metalepsis gradationis, vt maris nomine, per metonymiam adiuncti, intelligatur sal, & nomine salis metaphoricè sapientia. Hoc inquam sapere insipiens, venit Vrbi cum pipere, & palmis, idest peruenit, & natum

est

est Romæ, simul cum garrulitate, & contentionibus verbalibus. Et ita piper non erit fructus arboris Indicæ, sed piperis nomine, per metonymiam adiuncti, intelligetur calor, & ardor dicendi, & disputandi, qualem ostentant sapientiam venditantes, vel inanis gloriæ cupidi. Piper enim inter omnia aromata calidissimæ est naturæ, ob quam proprietatem transfertur tale nomen ad significandam energiam, qua nonnulli suas proponunt disputationes: idque non esse nouum, constat ex eo, quod hominem acrem in disputando, aut in tractandis negotijs, piperem dicimus, aut ignem. Nisi mauis, piperem esse dictum per onomatopoijam, pro ansere, inter aues vocalissima, quam Itali, ob eamdem soni imitationem, paperam appellant: nam sic piperis nomine intelligerentur homines garruli, & ineptæ loquacitatis: quam loquacitatem, rectè, dicit venisse Vrbi vna cum stulta sapientia, nam vt dicitur Prouerbiorum 10. *Sapientes abscondunt scientiam, os autem stulti confusioni proximum est*: isti namque, quum sapientes sibi videantur, linguam nesciunt continere: quod Socrates etiam intellexit, dum dixit: Numquam insipientem silentium tenere nouisse. Solius namque sapientis est nouisse, quando debeat proferre sermonem. Palma etiam non erit arbor dactylifera, sed eloquentia, vel potius satisloquentia, vt eam nominat Sallustius in Catilinario, quam stulti assumunt, dum sapientes videri volunt. Quum enim iuxta Zenonem Dialectica pugno, Rhetorica palmæ fuerit comparata, quod refert

Ci-

Cicero in Oratore ad Brutum his verbis: *Zeno ille à quo disciplina Stoicorum est, manu demonstrare solebat quid inter has artes* ( Rhetoricam, & Dialecticam ) *interesset: Nam quum compresserat digitos, pugnumque fecerat, dialecticam aiebat huiusmodi esse: quum autem diduxerat, & manum dilatauerat, palmæ illius similem eloquentiam esse dicebat.* Vnde Ouuen ad Henricum Principem lib. 1. epigr. 105.

*Rhetorica est palmæ similis, Dialectica pugno:*
*Hæc pugnat, palmam sed tamen illa refert,*

quãdo satis loquentia, verbis abundans, absq; sententiarum pondere in Vrbem venit, merito palmam in eam venisse dici potuit. Vt horum verborum sensus sit: Mos tanti faciendi amicum, vt pro eo restituendo in priorem fortunam, proprias quis distrahat facultates, & hæredes depauperet, venit in Vrbem cum sapientia insipiente, loquacitate, & auiditate verbalis victoriæ: nam homines ab Oratoribus persuasi, eorum quæ ad officia, & virtutes pertinent, eaque opere implentes, sua indigentibus dispertiunt, ex quo hæredes non admodum locupletantur. Id vero Beilio indignum facinus videbatur.

*FOENISECAE* primæ, & fœnisecí tertiæ declinationis, sunt qui fœnum secant. Fœnum autem, siue dicatur eo, quod flammam nutriat, quum φῶς Græcè, flamma sit Latinè, & scribendum sit cum diphtongo: siue quod sit naturalis fętus terrę, nam idipsum manés, nouum quotannis parit; siue quod, hyeme, ipso foueantur animalia, vt sit per syncopen fęnum, quasi fouenum, herba est, quam rustici

secant, reponuntque ad pastum iumentorum. Et hi fœni sectores, inter rusticos despectissimum ferè tenent locum. Sed hic per senecdochen, fœnisectarum nomine veniunt quicumq; agricolæ, quales fuere antiqui Romani, Fabricij, Cincinaati, Coruncani, & alij, qui ab aratro ad Consulatum, & Dictaturam arcessebantur. Illi enim ciborum aspernabantur delicias, sed simplici vtebantur pulte, vnde pultiphagi dicti fuere; sed posteriores Romani, deuicta Græcia, & Asia subacta, ex illis transmarinis regionibus. epularum reportauerunt lautitias: quod hic dicit vitiare vnguine pultes.

*CRASSO vnguine.* Crassum quid sit dictum est est ad satyræ 5. versum 60, & versum 190. Hic est spissum, vel abundans, vt oleum, axũgia, laridum, quibus pultes redduntur suauiores. At vnguen est quodcumque pingue, quo aliud inungitur, vt vnguentum, oleum, seuum, laridum, aut simile, ita dictum ab vniendo; vnguine enim siue vnguento partes corporis vniuntur, ac densantur. Sic Virgil. 3. Georg. v. 450.

*pingues vnguine ceras.*

Plinius pulmentarium vocat, sic enim ait lib. 19. cap 4. *Hortorum Cato prædicat caules, hinc primum agricolæ æstimabantur prisci, & sic statim faciebant iudicium, nequam esse in domo matremfamilias (etenim hęc cura fœminæ dicebatur) vbi indiligens esset hortus, quippe è carnario, aut macello viuendum esse, Nec caules, vt nunc maximè probabant, damnantes pulmentaria, quæ egerent alio pulmentario, id erat oleo*

par-

*parcere: nam gari desideria etiam erant in exprobratione. Horti maximè placebant, quia non egerent igni, parcerentque ligno, expedita res, & parata semper, vnde & acetaria appellantur facilia concoqui, nec oneratura sensum cibo.*

*VITIARVNT*, corruperunt, destruxerunt, deteriorarunt. Inde virginem vitiare, seu virgini vitium inferre, est illi virginitatem auferre. Sic Plaut. Aulul. argum. 1.

*Eius filiam Liconides vitiauit.*

Et ibidem argumento 2.

*Liconides istius vitiat filiam.*

Sic Terent. Eunucho Actu 4. scena 3.

*Eunuchum, quem dedisti nobis, quas turbas dedit*

*Vitiauit virginem, quam here dederat dono miles.*

Vitiatum etiam dicimus quodcumque redditum perniciosum. Sic Ouid. 3. metamor.

*quique halitus exit*

*Ore niger Stygio, vitiatas inficit herbas.*

Et idem 7. metamorph.

*Corpora fœda iacent, vitiātur odoribus auræ*

Sic Plin. lib. 10. cap. 54. *Si incubatu, tonuerit, oua pereunt: & accipitris audita voce, vitiantur.* Et Cicero pro P. Sestio: *Comitiorum, & Concionum significationes, interdum veræ sunt, nonnumquam vitiatæ, atque corruptæ.* Verum hic pultes dicuntur à fœmiseci, hoc est Romanis, vnguine crasso vitiatæ, vel quia ab earum connaturali, & simplici sapore, mutatæ fuerūt in innaturalem suauitatem, remanente tamen earum substantia: vel quia sublatæ, & omnino intermissæ, earum loco aliæ apparatio-

tiores escæ introductæ fuerant: vt dicerentur vitiatæ, quia per vitium, nempe luxum exclusæ atque damnatæ, seu in alias lautiores mutatæ.

*PVLTES*, vel à Græco πόλτος, quod ita sonat, quum aquæ feruenti inijciuntur, vel à pullis quibus dantur in auspicijs, vel à pulso, seu puluere, nam fiunt ex farre, pulsando in puluerem redacto. Vel à pullis, quibus apponebantur factæ ex aqua, & farina mixtis, vt nunc ex aqua, & surfure subactis. Antiqui Romani antequam pane vterentur, pulte viuebant facta ex aqua, & polline, quibus addebant aliquando caseum, & oua, & etiam mel. De ea ita Plin. lib. 18. cap. 8. *Pulte non pane vixisse longo tempore Romanos, manifestum, quoniam inde, & pulmentaria, hodieque dicuntur: & Ennius antiquissimus vates, obsidionis famem exprimens, offam eripuisse plorantibus liberis patres commemorat; & hodie sacra prisca, atque natalium pulte fritilla conficiuntur.* Et de tali pulte nunc est sermo.

*HAEC cinere ulterior metuas?* Verba esse possunt, vel poetæ, siue amici ad testatorem, vlteriorem cinere quoad animam immortalem; vel testatoris ad hæredipetam. Si accipiantur vt amici ad testatorem, respondent minis eiusdem hæredipetæ: minatus enim fuerat, se non apparaturum cœnam funeris, nec odoribus referturum illius cadauer: ideoque monet ne id curet, cum talia, animæ nihil efficiant. Et fortè alludit ad illud Diogenis, qui quum ad mortem decumberet, rogatus, vbi suum corpus condi iuberet, ipse, vt in

quo-

quodam arenoso decumbebat littore, respondit; mandare se, suum corpus inhumatum ibi relinqui: & amicis replicantibus, id non expedire, ne canes, aut aliæ bestiæ carniuoræ, ipsius cadauer discerperent, ac deuorarent: subdidit: At vos, quo eas abigere possim, meum baculum iuxta me collocate. Illis vero dicentibus, hoc esse impossibile, siquidem mortuus, nequiret sentire ferarum aduersum se incursus, nec illarum lanienam, abigendo, prohibere. Tum ille: Si mortui bestiarum morsus non sentiunt, quid interest vtrum meum corpus in hac arena, vel in alio putrescat etiam marmoreo conditorio, an ferarum impleat viscera, & famen expleat? Sic iste dicit nihil interesse, num cum aromatibus, an sine eis sepeliatur, quum cadaueribus nullus sit sensus, nec talia ad animam pertineant immortalem: prouidentur enim ista ad viuorum solatium potius, quam ad leuamen defunctorum. Et apud Christianos, missarum sacrificia, orationes, & eleemosynæ, creduntur defunctorum animas peccatorum macularum emūdationem, per modum suffragij, impetrare: vnguenta vero, & aliæ pompæ funebres, cum quibus mandant sua corpora sepeliri, nihil suffragare censentur mortuis, sed tantum viuorum esse solatia. At si verba sint testatoris, cinere vlterior erit hæredipeta, superstes post ipsius mortem, quem monet ne timeat expēsas à se factas.

*AT tu meus hæres quisquis eris, paullum à turba seductior audi.* Ex his verbis conijcio superius dicta fuisse testatoris ad hæredipetam,

indignantem quod vt amicum ex mendicitate subleuaret, hęreditatem minuisset, ideo testator ait: Tu, mi hæres, reprehendis, quod largitionibus diuitias distraham, nec te multo locupletiorem relinquam; Et quid diceres si maiores facere vellem expensas? Audi ergo seorsum à turba quid tibi dicam, remotis alienis auscultatoribus. Id enim significat seductior, vt dictum est ad satyræ 2. versum 4, & satyræ 5. vers. 143. Ducitur autem quis secus, vel seorsum, quando alius vult illi secretò loqui, ne alij audiant, & ita plures sint dictorum conscij, maximè quum dicuntur, quæ vulgo non probantur.

*O bone, num ignoras? missa est à Cæsare laurus insignem ob cladem Germanę pubis, & aris Frigidus excutitur cinis, ac iam postibus arma, iam chlamydes Regum, iā lutea gausapa captis, essedaq; ingentesq; locat Cęsonia Rhenos.* Ordo est. O bone num ignoras? à Cæsare missa est laurus ob cladem insignem pubis Germanæ, & cinis frigidus excutitur aris, ac iam Cęsonia locat arma postibus, iam Chlamydes Regum, iam gausapa lutea captis, & esseda, & Rhenos ingentes. *O bene*. Verba testatoris ad futurum hæredem. Bonum est, quod omnia appetunt, & quando est ἁπλῶς tale, sui tantum gratia expetitur. At triplex est boni genus, honestum scilicet, delectabile, & vtile: quorum, honestum tantum est absolutè bonum, finisque desideriorum: reliqua vero dicuntur bona, quatenus bonitatem honestam, cooperando suo modo, faciunt, vel conseruāt, aut ab eadem proficiscuntur. Et de his diximus

mus in Inſtit. Orator. lib. I. Tract. 3. cap. 4. Et quum abſolutè homo dicitur bonus, intelligi debet ſecundum virtutes morales, vel Theologicas; alioquin ſi ſecundum virtutes tantum dianoeticas non ἁπλῶς, ſed cum addito bonus diceretur, ideſt ſecundum ſciẽtias, vel artes quaſcumque, vt bonus citharœdus, bonus athleta, bonus mathematicus. Verum quum hic dicitur; *O bone* vel intelligitur ironicè, non enim erat bonus, quum foret auarus: vel per Euphoniſmum, ad captandam beneuolentiam tali vtitur morata oratione.

*MISSA eſt à Cęſare laurus*. Hæredi ſeorſum ducto, aperit teſtator occaſionem nouæ, & profuſioris, ſed neceſſariæ largitionis. Narrat Suetonius in Caligula c. 47. & deinceps, huius in Germanos bellicam expeditionem, qua, licet hoſtium fines intrare auſus non fuerit, & exercitum, maris conchas, tamquam Oceani ſpolia, colligere iuſſerit, nihilominus ex Prouincia, prædeceſſorum, & maximè patris ſui Germanici laboribus pacata, vt erat nedum timidus, ſed & vanus, laureatas ad Senatum dedit epiſtolas, quaſi victoriam retuliſſet, de hoſtibus quos nuſquam viderat. Et ſimul Procuratoribus ſcripſit, vt triumphum appararent, qualem nemo ante duxiſſet, nulla tamen ſui, aut ærarij impenſa, ſed Ciuium, quorum nedum bonorum, ſed & vitæ ſe dominum profitebatur. Inde Procuratores, ciues priuatos coegerũt, impenſas erogare pro Cęſaris triumpho; & de hoc nunc loquitur; Cęſaris nomine Caligulam intelligens, Germa-

nici,& Agrippinæ filium: illius inquam Germanici, quem Tiberius, Augusti iussu, adoptauerat, vt post ipsum Imperium obtineret: qui bellicis artibus, virtutibusque moralibus & politicis, clarissimus, tam militibus, quam Senatui, populoque Romano acceptus, Tiberij inuidia, sed Pisonis opera, veneno è viuis subtractus fuit. Ipse vero Caius, apud patris exercitum in castris educatus, &, adhuc puer, militari vtens caliga, Caligula fuit cognominatus. Is licet à patris omnigenis virtutibus degeneraret, nihilominus ob patris memoriã, post Tiberij obitum, ab exercitibus, Senatu, & populo, ingenti gratulatione Imperator est salutatus. Sed quum detecta in eo fuissent vitia, cum Germanici virtutibus ex diametro pugnantia, maximè cum animi mollitudine, ac timiditate, immanis crudelitas, & cum superbia, rapacitas, nefandaque, ac brutalis libido, postquam tribus annis, ac decem mensibus imperasset, à domesticis fuit trucidatus. Ab hoc ergo missam ait laurum. Laurus autem est arbor perpetuo virens, ideo Apollini sacra, iuueni & imberbi, indeque ansa Dionysio, excusandi sacrilegium, quod barbam auream Aesculapio detraxisset: dicebat enim merito se id fecisse, quum indecens videretur imberbis patris barbatum esse filiũ: vt refert Cicero 3. de Nat. Deorum. Et quia laurus Græcè dicitur Δαφνη, dixerunt Apollinem Daphnis Nymphæ, Penei amnis filiæ, amore captum, quum eam insequeretur, et iam pene apprehenderet, illa, suæ timens virginitati Deos precata, ab eis in hanc arborem transfer-

formata fuit. De qua re idē Apollo ait apud Ouid. 1. metamorph.

*At coniux quoniam mea non potes esse,*
*Arbor eris certè, dixit, mea: semper habebunt*
*Te coma, te citharæ, te nostræ, laure, pharetræ*
*Tu Ducibus Latijs aderis, quum læta triumphum*
*Vox canet, & longas ducēt Capitolia pompas.*
*Postibus augustis eadem fidissima custos*
*Ante fores stabis, mediamq; tuebere quercum,*
*Vtque meum intonsum caput est iuuenile capillis,*
*Tu quoq; perpetuos sēper gere frondis honores.*

Huius ergo arboris frondibus coronabantur poetæ heroici, & Imperatores triumphantes, quorum aliqui, perpetuo talem gestabant coronam, quia quum hæc arbor credatur numquam fulmine tangi, illis tecti per coronam, à fulminibus se putabant securos. Iidem Imperatores, insignem aliquam ex hostibus nacti victoriam, laureatas, hoc est lauro coronatas tabellas ad Senatum dabant, quibus eam nunciabant, nam laurus victoriæ signū erat. Sic Alexander ab Alexandro lib. 1. cap. 27. ait: Fuit receptus mos, vt quoties insigni victoria Consules potiti essent, ob res prosperè gestas, laureatis fascibus prælatis incederent, litterasque laureates Romam mitti, aut nuncios cum iaculis laureatis aduenire, nauemq; laureatam, aut vitatam, felicis victoriæ nuncium esse, ac læta, & magna significare, tunc quum depulsis, & dissipatis copijs, hostes victi essent, & profligati, animaduersum est. Victo enim Mithridate, & fugato duplici prælio,

lau-

Ja... ornatam nauem,& bellico apparatu in-fi...ctam, vt in victoria mos erat, Lucullus Romam misisse dicitur. Et id nunc innuit, quū ait missam laurum à Cęsare, nempe laureatas litteras, narrantes suam victoriam, quam, etsi falsam, à Senatu populoque Romano, veram credi volebat.

*Ob cladem* Clades, siue à κλάδος ramus, vt propriè fit quum arboris rami franguntur, tempestate, vel nimio fructuum pondere, vel, facti alioqui inutiles, debent amputari, ne totam corrumpant arborem: siue à κλάω, amputo, seu frango: siue à κλαίειν lugeo, vel fleo: siue Latinæ sit originis, & dicatur à clamando, nam in ea clamatur: vel quasi glades, à gladio: vel quasi cades, à cadendo: vel per syncopen à calamis, qui ea quassantur, calamitatem importat cum multorum cæde, & detrimento. Sic Virg. 12. Aen. v. 556.

*Ocyus & subita turbaret clade Latinos.*

Sic Plinius lib. 16. cap. 32. *Factum hoc populi Romani Quiritibus ostentum Cimbricis bellis, Nuceriæ in luco Iunonis, ulmo postquam etiam cacumen amputatum erat, quoniam in aram ipsam procumbebat, restituta sponte, itaut protinus floreret, A quo deinde tempore maiestas populi Romani resurrexit, quæ ante uastata cladibus fuerat.* Et ita nunc sumitur, Nam Caius Senatui scripserat: innumeros se Germanos strauisse, castrisque eorum se potitum, nonnullos captiuos factos, & partim distractos, partim triumpho seruatos. Omnia falsa, quum formidasset hostium terras, vel videre: sed transfugas Germanorum, Gallosque

pro-

proceræ staturæ, iussos barbara ferre nomina, tamquam captiuos Germanos, duxit in triumphum.

*GERMANÆ*. Germania Septentrionalis Europæ regio, iuxta Tacitum de Moribus Germ. c. 1. à Gallis, Rhetijsque, & Pannonis, Rheno, & Danubio fluminibus: à Sarmatis, Dacisque, mutuo metu, aut montibus separatur: cętera Oceanus ambit, latos finus, & insularum immensa spacia complectens. Bellicosissimis incolitur populis, coloris candidi, proceræque staturæ, qui quondam nedum Italis, sed & Gallis terrori fuere. Aduersus eos in eorũ terris primus C. Iulius Cæsar bellum mouit, sed parum processit, tum quia illi præliandi copiam non præbebant, tum quia ipse ad Remp. opprimendam properabat. Post, Tiberius, & deinde Germanicus huius Caligulæ pater, quosdam illorum populos domuere: gens tamen adhuc in armis erat. Sed Mimicus iste Imperator, ingenti coacto exercitu, quasi totũ deuastaturus Septentrionem, aduersus eos processit; sed per pacatas iter fecit prouincias, hostiumque fines ingredi non est ausus: eorum tantum profugos quosdam habuit, & Gallorum proceriores, quos (Germanorum nomina ferre iussos) triumpho destinauit.

*PVBIS*. Pubes propriè est lanugo, nascens circa pudenda, maribus circa quartumdecimum, fœminis circa duodecimum ætatis annum, & maturitatem indicat, esse scilicet mares ad geñerandum, fœminas ad concipiendũ maturas. Sed quandoq; est nomen collectiuũ

ſignificans multitudinem iuuenum. Sic Virgil. 1 Aeneid. verſ. 403.

*Haud aliter puppeſq; tuæ, pubeſq; tuorum,*
*Aut portum tenet, aut pleno ſubit oſtia velo.*

Sic Cicero pro Milone: *Neque ſe populo ſolum, ſed etiam Senatui tradidit; neque Senatui modo, ſed etiam publicis præſidijs, & armis: neque his tantum, verum etiam eius poteſtati, cui Senatus totam Remp. omnem Italiæ pubem, cuncta populi Romani arma commiſerat.* Et Liuius lib. 1. cap. 28. *Ad hęc Albana pubes inermis ab armatis ſepta, in varijs voluntatibus, communi tamen metu cogente, ſilentium tenet.* Et ita hic Germanam pubem, multitudinem intelligit Germanorum.

*EXCVTITVR* ex præpoſitione ex, & verbo quatio, propriè eſt quatiendo deijcitur, vt eſt dictum ad ſatyrę 5. verſum 22. Verum hic ſumitur abſolutè pro deijcitur. Nam cinis, qui remanſerat in aris, ſeu altaribus ex immolatione præteritarum hoſtiarum, ex eiſdé deijciebatur, quo aræ purgatæ, ac mundæ, aptæ forent, vt in eis noua poſſent offerri ſacrificia, in gratiarum actionem pro victoria à Caligula de Germanis obtenta, & eiuſdem felici in Vrbem regreſſu.

*IAM poſtibus arma.* Poſtes ſunt latera oſtiorum, ex quadratis lapidibus, aut alia duriori materia formati, quorum vnus, fores cardinibus affixas, ſuſtinet, alius ſeram recipit, aut repagula ad oſtium claudendum. Sic Virg. 2. Aen. v. 442.

*Poſteſque ſub ipſos*
*Nituntur gradibus.*

Et ibidem versu 453.

*Limen erat, cacaque fores, & peruius vsus*
*Tectorum inter se Priami, postesque relicti*
*A tergo.*

Sic Cicero pro domo sua ad Pontifices: *Sed quid ego vestram crudelitatem exprome, quam in ipsum me, ac meos adhibuistis, qui parietibus, qui tectis, columnis, ac postibus meis, horrificum quoddam, & nefarium, omni imbutum odio bellum intulistis*. Et Alexander ab Alexandro lib. 9. cap. 14. inquit: Templi consecratio fiebat, vt qui templum, ędemue dedicaturus erat, postem tenens, accenso foculo, & aduocato Numine, cui templum, ædesue sacrantur, se ex profano vsu, & humano iure, templum, cellam, mensas, arulas, quæque eo pertinent eximere, eaque conceptis verbis ipsi Numini (nominat Numen) diuina, humanaque omnia consacrare, dicareque affirmet. Sabina herba ad sacrum adhibita, sine qua templum, ædesue, phana, aut sacella minime dicari posse putantur. Fuitque constitutum vt in dedicanda ara, vel simulachro, postem teneri non oporteret, in æde vero necessum foret, in quo est animaduersum, si parum rectè tabernaculum captum esset, crimen spretæ religionis admitti. Victarum autem gentium spolia, templorum postibus affigi constat, tum ex alijs, tum ex illo Virgil. 7. Aen. vers. 183.

*Multa que præterea sacris in postibus arma*
*Captiui pendent currus, curuæque secures,*
*Et cristæ capitũ, & portarũ ingentia claustra,*
*Spiculaque, clypeiq; ereptaq; rostra carinis.*

Quę nefas erat inde asportare, ideoque ibi seruabantur, quoadusq; vetustate consumpta, sua spontè deciderent. Itaque Caligula, per procuratores, & vxorem Cæsoniam, ne quid deesset Mimo quem agebat, arma, quasi victarum gentium spolia, templorum postibus affigi curauit.

*IAM Chlamydes Regum.* Chlamys à χλαίνω calefacio, vnde est etiam læna. Alij id negant, asserentes Clamydem superindui thoraci, & adhiberi gratia ornatus tantum, non ad tutelam corporis: eratque vestis militaris pallio breuior, & strictior. Meminit Virgil. 8. Aen. vers. 587.

*Ipse agmine Pallas*
*In medio, Chlamyde & pictis conspectus in armis.*

Et Plaut. Pseudolo Actu 2. scena 4.

*Etiam opu 'st Chlamyde, & machera, et petaso.*

Et de tali nunc est sermo, quasi detracta deuictis Germaniæ Regibus, in triumphum ducendis, quę locabantur, idest suó loco disponebantur à Cæsonia.

*IAM lutea gausapa captis.* Luteam, quum primam producit, non à terra, siue luto, à quo deriuata, eam corripiunt: sed à luta, seu lutea herba crocei coloris, vitello oui simili, tingendis vestibus, & alijs apta. Vnde Virgil. Eclog. 4. vers. 43.

*Ipse sed in pratis aries iam suaue rubenti*
*Murice, iam croceo mutabit vellera luto.*

Hinc Plin. lib. 21. cap. 8. inquit: *Lutei video honorem antiquissimū in nuptialibus flammeis, totum fœminis concessum.* Et lib. 33. cap. 5. *Natiua*

*tiua duritia maximè distat, luteam vocant, & tamen illa quoque herba, quam luteam appellant, tingitur.* Gausape vero, vt diximus ad satyræ 4. vers. 37. est straguli villosi genus, quo milites, maximè in castris, arcendo frigori vtuntur.

ESSEDAQ; vehiculi gestatorij genus. Vehiculorum genera tria, sacra, thensa appellata: oneraria, vt sarracum, plaustrum, currus, carpentum: & gestatoria, vt cisium, rheda, carruca, staticula, petoritum, & essedum, quod siue sit neutri, siue fœminini generis, apud Belgas primo inuentum, frequens fuit in tota Gallia, & Britannia, quo etiam in Bellis vtebantur. Vnde Cæsar. 4. de bello Gallico ait: *Genus hoc ex essedis pugnæ, primo per omnes partes perequitant, & tela conijciunt, atque ipso terrore equorum, & strepitu rotarum, ordines plerumque perturbant. Et quum se inter equitum turmas insinuauere, & ex essedis desiliunt, & pedites præliantur. Aurigæ interim paullum è prælio excedunt, atque ita se collocant, vt si illi à multitudine hostium premūtur, expeditum ad suos receptum habeant: ita mobilitatem equitum, stabilitatem peditum in prælijs præstant, ac tantum vsu quotidiano, & exercitatione efficiunt, vt in decliui, ac præcipiti loco, incitatos equos sustinere, & breui moderari, ac flectere, & per temonem percurrere, & in iugo insistere, & inde in currus citissimè se recipere consueuerint.* De eodem vehiculi genere Sic Virg. 3. Georg. v. 204.

*Belgica vel molli melius feret esseda collo.*

Et de talibus nunc est sermo, captis è Germa-

nis, qui proximi sunt Belgis:

*LOCAT*, quandoque est nuptui tradit. Vnde Plautus Aulul. Actu 2. sc. 2. ait:

*Virginem habeo grandem dote cassam, atque illocabilem,*
*Neque eam queo locare alicui.*

Hoc est nuptui tradere. Idem Plautus Trinummo Actu 3. sc. 3.

*adolescenti aurum dabis,*
*Vbi erat locata virgo in matrimonium.*

Aliquando vero locare est, mercede constituta opus dare, vel assumere faciendum. Sic Plautus Aulul. Actu 3. sc. 5.

*An tu idem optimum est*
*Loca efferendum, nam iam credo mortuus est.*

Et Trinummo Actu 4. sc. 2.

*Huic ego diei nomen Trinummo faciam, nam ego operam meam*
*Tribus nummis hodie locaui ad artes nugatorias.*

Sæpius locare est disponere, ordinare, constituere, & collocare. Sic Virgil. 1. Aeneid. vers. 431.

*Hic portus alij effodiunt, hic alta theatris*
*Fundamenta locant alij.*

Et sic Cesonia locat, idest ordinat, & disponit arma, esseda, & alia victarum gentium spolia, postibus templorum: statuitque vbi reponi debeant Chlamydes Regum, & lutea gausapa, ac ipsi captiui, ordinans quo modo, & ornatu vnumquodque in triumphum duci debeat, siue ad spectaculum, siue ad pompam, tam Imperatoris, quam populi Romani.

*CÆSONIA.* Orphiti, & Vestiliæ filia, iuxta Pli-

Plinium dicentem lib.7.cap.5. *Vestilia C. Herdicii, ac postea Pomponii, atque Orsiti clarissimorum ciuium coniux: ex his quatuor partus enixa, Sempronium septimo mense genuit, Suillium Ruffum vndecimo, Corbulonem septimo, vtrumque Consulem: postea Cæsoniam Caii principis coniugem, octauo: in quo mensium numero genitis, intra quadragesimum diem maximus labor, grauidis autem quarto, & octauo mense, lætalesque in iis abortus.* Hæc Cęsonia Caligulæ fuit vxor: de qua Suetonius in Caligula cap. 25. ait: *Cæsoniam neque facie insigni, neque ætate integra, matremque iam ex alio viro trium filiarum, sed luxuriæ, ac lasciuiæ perditæ, & ardentius, & constantius amauit, vt sæpe Chlamyde, peltaque & galea ornatam, & iuxta adequitantem, militibus ostenderit, amicis vero etiam nudam.* Tanti vero amoris causam, in philtrum referunt sibi ab ea propinatum, vt ait idem Suetonius ibidem cap. 50. *Creditur potionatus à Cęsonia vxore, amatorio quidem medicamento, sed quod in furorem verterit*, quod & ipsemet visus est suspicari, vt apud eumdem legimus cap.33. *Quoties uxoris uel amiculæ collum exoscularetur, addebat: Tam bona ceruix, simul ac iussero, demetur. Quin & subinde iactabat, exquisiturum se, uel fidiculis de Cęsonia sua, quur eam tantopere diligeret.* Id innuit Iuuen. sat.6.v.615.

*Et furere incipias, ut auunculus ille Neronis,*
*Cui totam tremuli frontem Cæsonia pulli*
*Infudit.*

Hæc, mox à mariti interitu, gladio à Centurione confossa, expirauit, eiusque filia Iulia

Drusilla, parieti illisa, necata est, vt nullus ex eius stirpe foret superstes, iuxta Suetonium ibidem cap. 59. Cęsonia igitur simul cum Caij procuratoribus, iuxta illius mandata, triumphum apparabat, iuxta Suetonium ibi cap 47. *quā minima summa, sed quantus nullus alius fuisset, quando in omnium hominum bona ius haberet.*

*RHENOS*. Rhenus masculini generis. In neutro tamen dixit Horat. ad Pisones:

*Quum lucus, & ara Dianæ,*
*Et properātis aquæ per amęnos ambitus agros*
*Aut flumen Rhenum, aut pluuius describitur arcus.*

Est autem Rhenus fluuius Germaniam à Gallia disterminans: qui, licet ante Augusti, & Tiberij tempora, è Rheticarum Alpium iugo ortus, duobus tantum Ostijs in Germanicū, siue Batauicum deflueret Oceanum, sequenti nihilominus æuo, & vsque modo, tribus exoneratur, quia Drusus, Tiberij auspicijs bellum aduersus Germanos gerens; quo Imperij limites aliquo muniret aggere aduersus barbarorum incursus, à mari ad Rhenum ducta fossa, tertium aperuit ostium. Verum nunc primitiuum posuit pro deriuato, nempe ingentes Rhenos pro Rhenanis, seu Rheni accolis, scilicet qui regionem vltra Rhenum incolebant, erantque Germani, quos dixit ingentes, à staturæ proceritate. Eos vel obsides, vel è custodia eductos, vel transfugas, quasi bello captos, in triumphum duxit. Et vt ait Suetonius in Caligula cap. 47. *Conuersus ad curam triumphi, præter captiuos, & trāsfugas*

*fugas barbaros, Galliarum quoque procerissimũ quemque, ac nonnullos ex Principibus legit, ac seposuit, ad pompam, coegitque non tantum rutilare, & submittere comam, sed & sermonem Germanicum addiscere, & nomina barbara ferre.* Hos ergo nunc vocat ingentes Rhenos.

*DIIS igitur, Genioq; Ducis, centũ paria, ob res egregiè gestas induco. Quis uetat? Aude. Væ nisi conniues.* Quasi diceret: Ob tales tantasque res, adeo feliciter à Cæsare gestas, exhibere disposui centum paria in honorem Genii ipsius Cæsaris. Et nominat Genium Ducis, quia vt ait Tertullian: in Apologetico c. 28. *Maiore formidine, & callidiore timiditate Cæsarem obseruatis, quam ipsum de Olympo Iouem, etiam merito si sciatis: quis enim ex uiuentibus non quolibet mortuo potior? Sed nec hoc uos ratione facitis, potius quam respectu præsentaneæ potestatis. Adeo & in isto irreligiosi, Deos uestros erga deprehendimini, quum plus timoris humano dominio dicatis. In ciuitatibus denique apud uos per omnes Deos, quam per unum Genium Cæsaris peieratur.* Et de hoc ipso Caligula Suetonius ait c. 27. *Multos honesti ordinis, deformatos prius stigmatum notis, ad metalla, aut ad uiarum munitiones, aut ad bestias condemnauit, aut bestiarum more quadrupedes cauea coercuit, aut medios serra dissecuit. Nec omnes grauibus ex causis, uerum malè de munere suo opinatos, aut quod numquam per Genium suum deierassent.*

*CENTVM paria.* Sunt qui interpretentur de paribus boum, vel arietum, per sacrificiũ, in gratiarum actionem immolandorum. Sed

quum dicantur centum paria inducenda Genio Ducis, humano gaudentis sanguine, absq; vlla difficultate intelligēdum de paribus gladiatorum, quæ absolutè, & absque addito paria dicebantur. Certè in honorem triumphantium, prius decernebantur supplicationes per omnes aras, & puluinaria Deorum, & etiam sacrificia: deinde ducebatur triũphus, & exhibebantur ludi tam scenici, quam arenarij, inter quos præcipui erant gladiatorij. Expensæ in omnia ista fiebant, vel ex deuictarum gentium spolijs, vel ex ærario publico, aut Principis, seu triumphantis: nec vnquam priuatorũ quisquam quippiam ad eam rem contribuebat, nisi quod priuatim rem faciebat diuinam, &, pro modo facultatum, opiparè cum amicis, & clientibus conuiuabatur. Primus iste Caius, dictitans se ius habere in omnium facultates, triumphum magnificentissimum apparatum voluit, priuatorum, non vero ærarij expensis. Inde, nunc hic dicit: se inducere centum gladiatorum paria, quorum, effuso sanguine, Genius lætaretur Ducis, vt Cęsaris beneuolentiam conciliaret, nec concitaret iram si non faceret, vel si minus libenter facere suspicaretur.

*INDVCO*, introduco. Sic Cicero 3. Offic. *Gyges, inducitur à Platone, qui, quum terra discessisset magnis quibusdam imbribus, in illum hiatum descendit.* Et videtur verbum tractum ab actoribus fabularum, qui personas in proscenium ad agendum introducentes, eas inducere, vel ducere dicuntur. Et hoc modo nunc propriè dicit se inducere, seu introdu-

cere

cere centum gladiatorum paria, vt pugnent in arena, ad oblectationem Martialis populi, & honorem Principis.

*QVIS uetat? Aude*. Testator malum minatur ab ira Caligulæ, si vetare audeat munera, quæ in illius honorem dare constituerat. Vetare autem est prohibere, aut impedire ne quid fiat, aut dicatur. Sic Virgil. Ecloga 10. vers. 56.

*Non me ulla uetabunt*
*Frigora, Parthenios canibus circũdare saltus*

Et I. Aeneid. v. 43.

*— Quippe uetor fatis.*

Sic Terentius Phormione Actu 4. sc. 4.

*Haruspex uetuit ante brumam aliquid noui*
*Negoci incipere.*

Et Cæsar lib. 2. belli Gallici ait: *Ab opere singulisque legionibus singulos Legatos Cæsar discedere, nisi munitis castris, uetuerat*. Sic Cicero lib. 2. LL. *Video sapientissimorum fuisse sententiam, legem nec hominum ingeniis excogitatam, nec scitum aliquod esse populorum, sed æternum quiddam, quod uniuersum mundum regeret, imperandi, prohibendiqu sapientia, ita principem legem illam, & ultimam mentem esse dicebant, omnia ratione, aut cogentis, aut uetãtis Dei, ex qua illa lex, quam Dij humano generi dederunt, rectè est laudata.* Et Liuius lib. 2. cap. 5. *De bonis regiis, quæ reddi ante censuerant, res integra refertur ad Patres: illi, uicti ira, uetuere reddi, uetuere in publicum redigi, diripienda plebi sunt data, ut contacta Regia preda, spem in perpetuum cum his pacis amitteret.* Et ita nunc sumitur, vt: Quis vetat, sic

Quis impedit, aut prohibet ne hoc faciam. Aude autem sumitur comminatoriè, quasi diceretur, Si prohibere ausus fueris, vel impedire tentaueris, malum non effugies. Audere fere semper in malam partem accipitur, pro exercere actum, seu habere animum in altero extremo fortitudinis, timori contrario, ex quo est nomen audaciæ, & dicitur de illo, qui malum non metuit, etiam quum recta ratio dictat esse metuendum.

*VAE*, aliquando est cum aspiratione, aliquando sine ea cum diphtongo, distinguente ab enclitica coniunctiua, & est interiectio dolentis, vnde quum dico: Væ misero mihi, significo, malum me apprehendisse, vel mihi de proximo imminere. Sic Virgilius Ecloga 9. versu 28.

*Mantua uæ miseræ nimium uicina Cremonæ.*

Et hoc modo nunc sumitur, nam dicere vult: si impedire tentaueris, vel, nisi consenseris, malum ab ira Cæsaris incurres.

*CONNIVES* à verbo Niueo, vnde frequentatiuum Nictare, de quo Nonius: Inter nutare, annuere, & nictare, veteres hoc interesse voluerunt, quod nutare capitis, annuere, vel innuere narium, vel labiorum, nictare oculorum significantiam esse decreuerunt. Plautus Asinaria Actu 4. scena 1.

*Neq; illa ulli homini nutet, nictet, annuat.*

Sed annuere etiam pro oculorum signo ponitur: & vtcumq; fiat, certe conniuere est oculos genis integere, vel palpebris claudere, ne quidquam aspiciant, quod doleat, & sit prohibendum, vel reprehendendum. Hinc Plinius

nius lib.11. cap.37: *Oculi Caio principi fuere rigentes: Neroni, nisi quum conniueret, ad prope admota hebetes. Viginti gladiatorum paria, in Caii principis ludo fuere, in iis duo omnino, qui contra comminationem aliquam non conniuerent, & ob id inuicti: tantę hoc difficultatis est homini: plerisque uero naturale, ut nictare non cessent, quos pauidiores accipimus.* Frequenter sumitur pro dissimulare. Hinc Suetonius in Iulio c.67.ait: *Delicta neque obseruabat omnia, neque pro modo exequebatur, sed desertorũ, ac seditiosorum, & inquisitor, & punitor acerrimus, conniuebat in cæteris.* Et ita nunc sumitur, nam loquitur futuro hæredi, dolenti ob erogationem à se ex officio factam, ad subleuandam naufragi amici inopiam: cui dicit se velle expendere, ad ornandum Cæsaris triumphum, num ipse id prohibeat, malumq; minatur nisi de eò simulet saltem se gaudere. Malum autem, Casaubonus putat imminere ab ipso testatore, quasi maiores facturo expensas, sed imminebat ab ira Cæsaris, cui à vetante talia, iniuria irrogabatur.

*OLEVM, artocreasq; popello Largior. An prohibes? dic clarè. Non audeo, inquis, exossatus ager iuxta est* Dixerat de expensis, quæ facere posset in ornando Cæsaris triumpho; quæ occasio non fuit Persij temporibus: Caius enim necatus fuit, Persio pueritiam adhuc agente; nec sequentium Cæsarum triumphos, priuati instruebant: ideo transit ad aliud frequentius expensarum genus, sed nihilo minorum, consistentium in largitione munerum populo, meminitque olei, & artocrearum. Erat

autem artocrea genus farciminis facti ex pane, & carnibus minutim concisis, dicti ab ἄρτος καὶ κρέας pane,& carne. Consueuerant autem populo à ditioribus . hæc distribui donaria, ad captandum populi fauorem, & suffragia pro magistratibus consequendis, quando hi à populo conferebantur: & post translatum ius istud ad Patres, & Principem, saltē ad lętitiam, & auram popularem. Nec oportebat donaria esse ex carnibus ita concisis, vt sunt in artocreis; sed poeta vna composita voce intelligit substantiam eorum,quę donabantur,& per senecdochen exculenta omnia, quæ largiebantur, veniebantque nomine sportulæ: de quibus donatiis ait lexander ab Alexandro lib.5. cap.24. Has ergo donationes populo se velle facere ait, & hæredem interrogat num id velit prohibere: illo verò mussitante, nec clarè exprimente votum, instat vt clarè dicat. Cui hæres causam aperit, quare nequeat suam mentem aperire,ne videlicet lapidibus à populo obrueretur.

*NON audeo inquis.* Lectio ista communis ante Casauboni ætatem,ab eo mutata est, dū vult legere non adeo; eo motus argumento, quod audeo primam producat, contra quam postulet secunda dactyli; at adeo primam corripit, vt exigitur. Hinc tam Farnabius, quam Bond, & Stellutus, Casaubonum sequuntur, reclamantibus antiquis. Nec Casaubonus, & sequaces congruentem possunt, sua lectione, sensum aptare textui, vt patet consideranti, nam ipse Casaubonus vult esse verba Persij, quasi dicentis, sibi non de-

su-

futurū heredem, etiam si is ad quem de iure pertineret, hæreditatem nollet adire, quia iuxta habet agrum exossatum, id est probe cultum, & purgatum à lapidibus, quæ sunt ossa terræ. Vel si exossatū, idest ad ossa redactum, vel exhaustum iugi, & continua nouatione: nec sic tamen sibi defuturum hæredem, Manium saltem ex Aricia. Quæ est etiam expositio Farnabij dicentis: Non adeo inquis. Neque enim contradico, aut prohibeo inquit: Potest etiam nulla interposita distinctione, post *inquit*, continuari, vt hic sensus sit Agellus tuus inquis, ò testator, suburbanus, non adeo cultus, aut fertilis est, vt sufficiat huic profusioni, vt ego ita curem tibi hæres esse. Alij ex persona poetæ, intelligunt, quæ sequuntur, dicentis: Superest mihi suburbanus fundus probe cultus, & saxis expurgatus: alij, iugi cultura exhaustus est. Sic Farnabius. At Bond putat esse verba hæredipetæ dicentis testatori. Ager tuus suburbanus, quem mihi es relicturus, non est adeo fertilis, vt hanc possit sustinere profusionem, ideoque tuam non curo hereditatem. Sic etiam Stelluțus explicans magis sensum Bond, ait enim tò adeo non esse aduerbium, sed verbum; & ita hæres dicit: Non adeo, seu nolo adire tuam hæreditatē, quia ager est exossatus, nēpe assidua nouatione ad ossa redactus. In tot incidetūt Syrtes, nesciētes aliter saluare breuē quātitatē illius syllabę, quā mutando antiquā lectionē: Nos hāc custodiētes, dicimus, in legēdo non debere exprimi diphtongum au, cum quo scribitur audeo, sed pronunciandum adeo, sicut

cut in voce Dij, scribitur quidem duplex i, sed non pronunciatur nisi vnum, iuxta illud.

*Scribe Dij, lege Di, si vis vrbanus haberi:*

quod poeta hic seruauit dicens

*Dijs igitur, Genioque Ducis.*

Idemque passim fit in compositis ex particula de, & verbo, est, vt infra.

*Deest aliquid summæ? minui mihi.*

Sic Lucanius lib. 1. vers. 349.

*Nec Numina deerunt.*

Et lib. 5. vers. 185.

*Non modus Oceani, numerus nō deerat arenæ.*

Et ita non expressa diphtongo, syllaba manet breuis, vt conuenit dactylo, & sensus habetur clarissimus: Nam quum testator ad figendum auidum hæredipetam dixisset, se velle dare munus gladiatorium ob lætitiam de victoria Cæsaris, & quæsisset num id prohibere auderet, vt prohibebat officium erga amicum, vidissetq; illum id nō audere, metu iræ Cæsaris: subdit: Quid si populo epulum dare velim, num id prohibebis? Huic certè interrogationi, non rectè respondebitur per nō adeo, quocumque interpreteris modo, bene verò per non audeo, vt legerunt antiqui, Cornutus: Non te audeo prohibere quidquid velis de hæreditate tua, vt non facias, quia ager plenus lapidibus longè non est, quo, me contradicentem, obruas. Brixiensis: Non audeo prohibere, quo minus ex sententia tua viuas, vt innuat se ægrè ferre. Fontius: Non audeo, inquis, exossatus ager iuxta est, Prohibere inquis non audeo, ne saxis cædar, quorum plenus ager propinquus est. Plautius: Non audeo

deo prohibere, quin ex animi sententia viuas.

*EXOSSATVS* iuxta Casaubonum ex eorum numero est vocabulorum, quæ in contraria significatione sumi possunt, nempe tam pro eo, quod non habet nisi ossa, seu est ad sola ossa redactum, vt constat ex analogia aliorum in quibus ex, auget simplicis notionem, vt excelsus, exactum, excultum, exaltatum, exsatiatum, valde celsum, actum, cultum, altum, satiatum. Et ita ager exossatus erit, qui multa habet ossa, idest lapides, qui sunt ossa terræ, iuxta illud Ouid. 1. metam.

*lapides in corpore terræ*
*Ossa reor dici.*

Iuxta quam intelligentiam, sensus erit: Timeo prohibere ne largitionem populo facias, nam quum ager proximus, ossibus, idest lapidibus scateat, prompta, & ad manus populo essent tela, quibus me impeteret, & vita priuaret. Et hunc sensum innuunt Gorrutus, & Fontins hic: Quam pro eo, quod est omnino ab ossibus purgatum, vt accepit Terentius dicens Adelphis Actu 3. sc.4.

*pisces ceteros purga Dromo,*
*Congrum istum maxumũ in aqua sinito ludere*
*Tantisper, vbi ego rediero, exossabitur.*

Et Plautus Amphitruone Actu 1. sc.1.

*Exossatum esse oportet, quem probe percusseris.*

Et Pseudolo Actu 1. sc.3..

*Exoßabo ego illum similiter itidem, vt murenam coquos.*

Et Lucretius lib.3. vers.713.

*Semina præterea linquantur, nec ne animai*
*Corpore in exanimo? quod si linquuntur, &*
*insunt* *Haud*

*Haud erit, vt merito immortalis possit haberi*
*Partibus amissis, quoniam libata recessit.*
*Sin ita sinceris membris ablata profugit,*
*Vt nullas partes in corpore liquerit ex se,*
*Vnde cadauera rancenti iam viscere vermes*
*Expirant? atque vnde animantum copia tanta*
*Exos, & exanguis tumidos perfluctuat artus?*

Et ita sensus erit: Timeo prohibere munus in populi vtilitatem, nam video vicinum agrũ lapidibus purgatum, quia populus eos lapides iecit in illos, qui aduersus sua commoda locuti fuerant, ne quid simile mihi accidat. Et hunc sensum sequũtur Brixiensis, & Plautius. Quilibet ex his duobus melior erit, quam ille Casauboni, & sequacium.

*AGE, si mihi nulla iam reliqua ex amitis, patruelis nulla, proneptis nulla manet, patrui sterilis matertera uixit, deq; auia nihilum superest, accedo Bouillas, cliuumq; ad Virbi, præsto est mihi Manius heres Progenies terræ.* Ambigua est verborum constructio. Nam vel ordinabuntur ita: Age, si iam mihi nulla reliqua ex amitis, nulla patruelis, nulla manet proneptis, matertera patrui vixit sterilis, & nihilũ superest de auia, accedo Bouillas, & ad cliuũ, Virbi, Manius progenies terræ est mihi præsto hæres. Vel ita: Age, si iam mihi nulla reliqua ex amitis, nulla patruelis, nulla manet proneptis patrui, matertera vixit sterilis, & nihilum superest de auia, accedo Bouillas, & ad cliuum Virbi, Manius progenies terrę est mihi præsto hæres. Potior tamen videtur prima constructio, cognationem ad patrui materteram extendens. Indignatus fuerat hæres

ob

ob immodicas testatoris largitiones, quibus hæreditatem (quam integram animo deuorauerat) imminuerat, vnde eam videbatur repudiaturus. Hoc autem contumeliosum erat, decedere quemquam, cuius nullus vellet esse hæres. Et propterea testator, naturali hæredi ait: Nihil tuam curo contumeliam, nam licet tu meam qualemcumque nolis adire hæreditatem, non tamen mihi hæres deerit, nam etiam si sanguine propinquum non habeam, Manium saltem habebo terræ filium, qui eam gratanter adibit. De ijs, qui claros hæredes exquirunt, & animæ saluti, in vitæ saltem exodio, per eleęmosynas non consulũt, ait Saluianus ad Ecclesiam Catholicam lib 3. [ Si qui ex istis, morte appropinquante filios non habent, quærunt infidelissimè, quos aut propinquos, aut affines suos dicant. Aut si id, forte deest, quærunt saltem aliqua nouarum necessitudinum ficta nomina: nec interest, vt dixi, apud eos, quorum meminerint, dummodo sui obliuiscantur: non interest, quos diuites faciant, dummodo se ęterna mendicitate consumant. O infelicitas! ò insania! Quid tantum quæso de se, miserrimi omnium, mali promeruerunt, vt dum aliorum voluptatibus seruiant, se perpetuo persequantur? Videas enim à quibusdam, infelicissima vanitate inuestigari quosdam nouos, ac nobiles propinquos: videas incognitarum agnationum pudenda nomina, & recentium, ac præpotentiũ affinitatum ridicula commenta, quum dicat quis de aliquo adoptiuo, ac subitaneo propinquo: Illum hæredem facio parentem meum,

meum ;· aut quæcumque sanctæ professionis vidua, vel puella: Illum heredem scribo proximum meum. Ac sic quosdam, quos in omni vita quasi extraneos, alienosque habuerant, subito in extremis propinquos habent; & qui extranei semper fuere viuentium, parentes esse incipiunt mortuorum: introducunt enim repente in testamentum, quos numquam introduxere in affectum, & hoc maximè, vt dixi, locupletes, aut nobiles, aut honoratos, & qui, nisi potentes essent, parentes forsitan non fuissent. Ridicula miseri testatoris ambitio, dans censum propriæ facultatis ad comparandum mendacium propinquitatis : emens pretio hæreditatis nomen hæredis, & totis patrimonij sui viribus hoc elaborans, ne se ille qui hæres scribitur, parentem neget, & vt testator infelicissimus, stultissima, ac miserrima vanitate, facto hærede nobili, qui in vita sua humilior esse visus est, honoratior in morte esse videatur. O cęcitas! ò insania! quanto studio infelicissimi homines id efficitis, vt miseri in æternitate sitis? Quanto minore cura, minore ambitu id vobis prestare potuistis, vt semper beati esse possetis? Cuius rei quidem causam aliam omnino inuenire non possum, nisi solam tantummodo incredulitatem atque perfidiam, idest quod aut iudicandos se à Deo homines esse non putent, aut resurrecturos omnino esse non credant. Nemo est enim, qui resurrecturum se, & iudicandum à Deo de operibus bonis, ac malis certus sit, qui non vel spei, ac beatitudini suę præstet, vt pro bonis operibus perennia bona

ca-

capiat: vel timori atque discrimini, ne pro malis mala æterna patiatur.] Et infra eodem lib.3. subdit; Causa grandis est, qua Deum audire non possis. Circumstant ægrotantem cognati, atque agnati tui, circumstant locupletes matresfamilias, circumstant nobiles viri, adsidet lectis infirmitatis tuæ, sericis, atque auratis vestibus circumfusa numerositas. O quantus fructus æternitatis est, talibus bona propria erogare mendicis, digna videlicet causa, & satis iusta est, vt tua, animæ tuę auferas, quod egenis talibus derelinquas &c.] Quod autem ait Age, aduerbium est excitantis, aut consentientis. Sic Terent. Heautontimorumeno Actu 4. scena 2.

*Age, age traducatur Bacchis*;

est etiam adhortantis, & hoc modo nunc sumitur, potius quam permittentis, vt volebat Bond.

*AMITIS*. Amita soror patris, sic dicta quod sit à me tertia, nam pater est à me secũdus, soror verò patris tertia in linea transuersali, seu collaterali; nam in recta, tertia à me est auia, idest mater matris, vel patris mei. Vel amita, quasi auita, vt patris frater dicitur patruus, quasi alter pater, & matris soror matertera, quasi altera mater, sic patris soror amita, quasi auita a patris, & aui nomine, quasi altera auia; sicut matris frater dictus auunculus, quasi alter, & minor auus. Vel amita dicta ab amore, quo à fratre est dilecta, plus enim sorores à fratribus, quã fratres diliguntur ob personarum, & sexuum dissimilitudinem, qui minus habent dissensionis, quia

quia minus ęmulationis. Vel ab amore, quo fratris liberos diligere solet, vt enim à fratre magis dilecta, ita filios illius magis, quam sororis amare est verisimile. Hinc Plinius ait lib.4.epist.19. *Quum sis pietatis exemplum, fratremque optimum, & amantissimum tui, pari charitatè dilexeris, filiamque eius vt suam diligas, nec tantum amitæ eius, verum etiam patris a[illegible] ipsi affectum repręsentes, non dubito tibi maximo gaudio fore, quum cognoueris dignam patre, dignam te, dignam auo euadere.* Maior vero amita erat aui, vel auię amita, sicut maior auunculus, auus aui, vel auię; vel potius frater matris auiæ. Ait ergo nunc, si nulla superfit amita, id est, si decesserint omnes patris mei sorores.

*PATRVELIS*, seu patrui, hoc est fratris patris filius, vel filia, itaut duorum fratrum filij, mares, aut fœminę, sint ad inuicem patrueles. Hinc Aiax Telamonius apud Ouidium 13.metamorph. Inquit.

*Nos inhonorati, & donis patruelibus orbi.*

Cui Vl.sses ibidem.

*Nec minus est isto Teucer patruelis Achilli.*

Sic Plaut. penulo Actu 5. sc.2.

*Pater tuus is erat frater patruelis meus.*

Vnde quod hic ait, nullam manere patruelem, fœminam intelligit patrui filiam.

*PRONEPTI*, est in tertio descendentium gradu, quarta à stipite, est enim nepotis filia Mas vero in eodem descendentium gradu dicitur pronepos. Sic Ouid.13.metam.

*sed enim, quia retulit Aiax*

*Esse Iouis pronepos, nostri quoq; sãguinis au[illegible]*

Inp-

*Iuppiter est, totidemque gradus distamus ab illo.*

*MANET.* Manere est firmum consistere, vel morari, locoq; aliquo contineri, & transfertur ad multa, vt ad esse superstitem, nam qui superest, cæteris abeuntibus, firmus in vita videtur consistere, atque ad eo manere. Dicimus etiam aliquem manere fatum, significantes, illum mortem expectare; & manere vitam, pro, non fuisse ablatam. Sic Cicero Philipp. 2. *Neque eram indoctus, ignarusque rerum, vt frangerer animo propter vitę cupiditatem, quæ me, manens, conficeret angoribus, dimissa, molestijs omnibus liberaret.* Et ita nullam manere proreptem, est, illas omnes iam obijsse.

*PATRVI.* Patruus est frater patris, quasi alter pater. Sic quum Agarostocles comperisset Hannonem fuisse fratrem Iacchonis patris sui, sic eum salutat apud Plautum Penulo Actu 5. scena 2.

*Mi patrue salue.*

Et ibidem scena 4.

*O patrue mi patruissime.*

Sterilis autem dicitur mulier, quę genitale semen non concipit; quod nomen nunc tertię, antiquis primę erat declinationis, vnde Lucretius lib. 2. v. 833.

*Et sonitu sterila, & succo ieiuna feruntur.*

Transfertur sterilitas ad alia; vt ad marem apud Plinium lib. 11. cap. 39. *Pubescit homo solus, quod nisi contingat, sterilis in gignendo est, seu masculus, seu fœmina.* Deinde ad agros, & plantas fructus non ferentes. Sed nunc propriè

priè dictum de matertera.

*MATERTERA*, vt dictum ad satyræ 2. versum 31. est soror matris, quasi mater altera. Sic Mercurius Hersam ducere volens, ait Aglauro Hersæ sorori apud Ouidium 2. metamorphoseos:

*Tu tantum fida sorori*
*Esse uelis, prolisque meę matertera dici.*

De Auia vero, quæ dicatur, vide ad satyræ 2. v. 31. De ijsdē cognationis nominibus Concil. Duziacense secundum, celebratum aduersus incesta coniugia, anno 874. sub Ioanne Papa VIII. & Carolo Caluo sic ait; *Propinqui filij, vel filię ex parte patris, agnati vocantur, ex parte autem matris, cognati appellantur: & patris frater, vel soror, patruus & amita; patrui vel amitæ filius, patruelis; patrui, vel amitæ filia, amitina; & sic agnatio ex parte patris, usque ad septimam generationem uadit. Frater matris, auunculus dicitur; soror matris matertera; auunculi, uel materteræ filius, consobrinus; auunculi, uel materteræ filia, consobrina, consobrinę filius, sobrinus; consobrini, uel consobrinæ filia, sobrina; & sic cognatio ex parte matris usque ad septimam generationem procedit. Patris pater, auus; aui pater, proauus; proaui pater, abauus; abaui pater. atauus; ataui pater, tritauus; tritaui pater. pater tritaui uocatur. Matris mater, auia; auiæ mater, proauia; proauiæ mater, abauia; abauiæ mater, atauia; atauiæ mater, tritauia; tritauiæ mater, mater tritauiæ dicitur. Aui frater, propatruus; propatrui filius, propatruelis; & sic ex parte aui cognatio, usque ad septimam uadit generationem. Auiæ frater, maior*

au-

*auunculus; auiæ soror, matertera magna; auunculi filius, proprius sobrinus; matertere magnæ filia, propria sobrina; & inde sobrini, & sobrine, & sic usque ad septimam generationem cognatio ex parte auiæ uadit. Proinde necesse est, ut unusquisque fidelis huiusmodi incesta coniugia caueat.*

*BOVILLAS*. Bouillæ appellatę à bubus, quasi boum hillę, quod bos vulnerata, hillas, hoc est intestina sua trahens, illuc vsque deuenerit. Hinc Cornutus ait: Bouillæ sunt vicus ad vndecimum lapidem Appię viæ; quia aliquando in Albano monte, ab ara fugiens taurus non consacratus, ibi comprehensus est. Et Plautius ex Nonio: Bouillæ, quasi Bohillæ, ab eo, quod bos illuc aduenerit, intestina ex vulnere trahens, quæ veteres dixerunt hillas. Locus situs inter Ariciam, & Romam, Clodij cęde per Milonem factę, nobilitatus, quum ille Aricia Romam rediret. Inde etiam Anna illa Perenna, de qua Ouidius 3. Fastorum ait:

*Orta suburbanis quædam fuit Anna Bouillis*
*Pauper, sed multæ sedulitatis anus.*

*CLIVVMQVE* collem molliter arduum, vt erat mons Capitolinus, passim Capitolinus cliuus nuncupatus, ἀκλιτός, vel κλίνω importante montis deuexitatem. Et licet tam de ascensu dici possit, quam de descensu, magis tamen propriè dicitur de ascensu. Vnde Plautus Asinaria Actu 3. scena 3.

*Nam iam calcari quadrupedem agitabo aduorsum cliuom.*

Nam cliuos dixere res difficiles. Hinc Festus

Cliuia auspicia dicebant, quæ aliquid fieri prohibebant: omnia difficilia cliuia vocabant, vnde & cliui loca ardua: & hoc ideo, quia difficilis est per cliuum ascensus: à vertice verò descensus, facilis, vnde procliuis pro facili: sic mollem, seu facilem, quia in descensu, cliuum, dicit Virg. Eclog. 9. v. 7.

*Certè equidem audieram, qua se subducere colles*

*Incipiunt, mollique iugum demittere cliuo.*

Sic Cicero Philipp. 2. *At etiam ausus es cliuũ Capitolinum, dicere, me Consule, plenum seruorũ armatorum fuisse*. Talis erat collis Aricinus, à Martiali etiam dictus cliuus l. 12. epigr. 32.

*Migrare cliuum crederes Aricinum*.

*VIRBI*. Hippolyti iuxta Euripidem, & alios, Hippolytæ, at iuxta Senecam in Hippolyto, Anthiopes, Amazonum Reginæ, & Thesei filij, qui ab ineunte ætate cultui Dianæ addictus, colendæ castitati intentus, à fœminarum abhorrens commercijs, venationis studio tenabatur. Sed quum Phædra Minois Cretæ Regis filia, & Ariadnes soror, ipsius nouerca, ad incestum stuprum eum sollicitasset, ipseq; vt par fuerat, illam à se reiecisset, hæc, siue repulsæ indignatione, siue indicem formidans, ipsum apud virum detulit, quasi ipsius pudicitiæ vim intulisset. Theseus Phædræ dictum verum existimans, Hippolytum necare parabat, quod ille cauens, fugæ se commisit ideoque Theseus siue Neptunum auum, siue Ægæum patrem (iam inter maris Numina receptum) rogauit, vt se de filio vlcisceretur ille vero phocam, siue marinum immisit vitulum,

lum, cuius aspectu exterriti jugales currus, quo Hippolytus fugiebat, cum ( frustra illos detinere conantem) distraxerunt, discerpseruntque. Ex quo creditur Hippolyti nomen illi factum fuisse, quia ab equis fuerat laceratus: Diana vero, cuius ille assiduus, & perpetuus fuerat cultor, per Æsculapium fratris filium, vitæ, ac sanitati eum restituit, secumque Ariciam duxit, atque Ægeriæ Nymphæ commendauit, & sic vixit in luco, Dianæ sacro. Quo quum deinceps appulisset Iphigenia cum Dianæ simulachro ex Thaurica exportato, templo ei Numini constituto, ipse sacerdos est consacratus. Nam quum Agamemnon profecturus cum alijs Græcis ad Troiam euertendam, in Aulide, imprudens, Dianę ceruam occidisset, indignata Dea, per Eolum ventos cohibuit, ne ille nauigare posset: Oracula vero, vatesque consulti, responderunt Agamemnonio sanguine placandam Dianam: ideoque per Vlyssem à Clytemnestra abducta Iphigenia, tamquam Achilli desponsata, ante aram Dianæ mactanda constituitur. Dea vero illius innocentis miserata, ceruā pro illa supposuit, Iphigeniā vero abduxit in Tauricā, suisque sacris ( quæ ex Thoantis Regis præcepto, humano hospitum sanguine fieri instituta erant) præfecit. Et quum præcedente tempore illuc appulisset, furijs matris agitatus, Orestes Iphigeniæ frater, vna cum amico Pylade, & à sorore Dianæ foret immolandus, casu ab ea agnitus, à morte liberatus, adiutusque, Thoanta Tyrannū necauit, & cū eadem ac Pylade, Dianæ simulachrum in lignorum
 fasce

fasce (vnde Diana fascelides dicta) abscondi-tum asportantes, fugerunt, veneruntque in Italiam, & ad Aricinum Dianæ lucum, vbi constructo templo, Deæ simulachrum deposuerunt. Lucus ergo Aricinus erat is, cui præfuit Virbius, etiam prius quam ibi ab Oreste, & Iphigenia Dianæ Fasce'idi templũ foret constructum. Retinebat nihilominus adhuc nomen collis, siue Cliui Virbii, quia primus celebrẽ eũ reddiderat, vtpotè quũ bis vir, ideſt quia à mortuis reuocatus creditus fuit. De eo loco sic l.5. loquitur Strabo: Secũdum Albanum montem in via Appia Vrbs eſt Aricia, centum sexaginta stadiis à Roma, situ concauo, arce tamen natura loci munita. Supra eam sita eſt Lauinium Vrbs Romanorũ in dextro viæ Appiæ latere, vnde & mare, & Antium conspici poteſt. Dianæ autem, quod vocatur nemus, in sinistra viæ parte eſt, qua Ariciam ascenditur. Fertur autem Dianæ Tauricæ sacrorum similia ibi esse dicata. Nam & barbaricus, ac Scythicus mos apud id Templum obtinet. Perfuga enim sacerdos ibi constituitur, quæ sacerdotem priorem sua trucidauerit manu, strictoque semper gladio, parata ad insultus propulsãdos circumspicit. Fanum in luco eſt.

*PRÆSTO*, ideſt promptum, præsens, & præ manibus: iungiturque verbo subſtantiuo, aut eius compositis. Terent. Eunuch. Act. 5. sc. 9.

*Vbi eſt frater? Præſto eſt.*

*MANIVS* in primis erat prenomen Romanorum, illis imponi solitum, qui primo mane nascerentur, sicut Lucii cognominabantur,

qui

qui nascebantur orto iam sole. Quo Manii prænomine celebris fuit Marcius ille Manius de quo refert Plinius lib. 18. cap. 3. quod quum esset ędilis, in summa annonæ caritate, singulos frumenti modios, populo in singulos asses distribuit. Sed non est sermo de Manio in hac acceptione. Vt nec etiam intelligit de Manio illo, Marci Antonij Triumuiri procuratore, satore, & incentore belli ciuilis, inter Lucium Antonium Consulem, Triumuiri fratrem, & Octauium Cæsarem, qui propterea ab eodem Antonio Triumuiro necatus fuit, vt refert Appianus 5. bellorum Ciuilium: cuius etiam Manij meminit Augustus in quodam Hexastico, adhúc extante inter erroneos Veneris, & quod Martialis decastico inserit lib. 11. epigr. 20. Quidam existimant Manium istum fuisse conditorem templi Dianæ Aricinæ; sed quum id falsum esse aduertissent, dixerunt fuisse Dianę Aricinæ Sacerdotem, vt virum fortem, strenuum, ac bellicosum, nam sacerdotium illud virtute parandum erat, pugnando, occidendo, aut debellando competitorem: Sed ex contextu apparet non esse sic accipiendum. Nos Manium interpretamur dictum pauperem, seu Mendicum, cuiusmodi multi erant prę foribus illius templi, & in toto cliuo, stipem à transeuntibus rogantes, vnde erat prouerbium: Multi Manii Aricia. Hinc Iuuen. sat. 4. v. 116.

*dirusque à ponte satelles*
*Dignus Aricinos, qui mendicaret ad asses*
*Blandaque deuexæ iactaret basia rhedæ.*

Et Martial. lib. 2. epigr. 19.

*Debet Aricino conuiua recumbere cliuo,*
*Quem tua felicem Zoile cœna facit.*

Sed quare mendici, pannosi, membris capti, aut debilitati, Manii dicuntur? Puto à Maniis: id est laruis, seu personis deformibus, & monstruosis, quas nutrices pueris obiicere solent, quum eos, terrore, inducere ad obediētiam volunt. Vnde etiam Maniæ, seu Maniolæ dicuntur imagunculæ ex farina formatæ: dictę fortè à Mania laruarum matre. Sic Manii erant deformes, pedore, palloreque obsiti, vt sunt mendici, plagis, vlceribus, fameque confecti, vel alioquin morbis grauati.

*PROGENIES* à progignendo, seu generando, est stirps. Sic Cicero Philipp. 9. *Cn. Octauij clari, & magni viri, qui primum in eam familiam, quę postea viris fortissimis floruit, attulit Consulatum, statuam videmus in rostris: nemo enim tum nouitati inuidebat, nemo virtutem non honorabat. At ea fuit legatio Octauij, in qua periculi suspicio non subesset: nam quum esset missus à Senatu ad animos Regum perspiciendos, liberorumque populorum, maximèque vt nepotem Antiochi Regis, qui cum maioribus nostris bellum gesserat, classes habere, eliphantos alere prohiberet, Laodicęæ in gymnasio à quodam Leptine est interfectus. Reddita est ei à maioribus statua pro vita, quæ multos per annos progeniem eius honestaret, nunc ad tantę familiæ memoriam sola restaret.* Sic Virg. 7. Æneid. vers. 95.

*subito ex alto vox edita luco est*
*Ne pete connubiis gnatam sociare Latinis*
*O mea progenies.*

Quę

Quæ vox credita fuit Fauni, Latinum filium alloquentis. Vnde progenies terræ, est terræ filius, alludens fortè ad Empedoclis opinionem, affirmantis, omnia ex terra nata. Vnde sicut sequaces Thaletis, putantis vniuersa orta ex aqua, siue humore, eos, quorum nesciuntur parentes, ad communem reducebant, eos Neptuni filios appellantes; ita Empedoclis discipuli, ignotos, terræ dicebant filios. Eosdemque ignotos, si ex imis sordibus ad aliquod dignitatis fastigium emergerent, lumbrices appellabant, nam & lumbrici è terra madefacta nascuntur. Eosdem etiam viles, atque ignotos, gigantum dixere fraterculos, siquidem gigātes terrę filij habiti fuere, & ita Iuuenalis satyra 4. vers. 96. ait:

*—— Olim*

*Prodigio par est in nobilitate senectus,*

*Vnde fit vt malim fraterculus esse gigantis,*

Idest terræ filius, obscurus, & ignotus, & propterea non notatus à Domitiano, nec ab eodē necandus. Idem docuit in Apologetico Tertullianus his verbis cap. 11. *Si homo Saturnus, vtique ex homine, & quia ab homine, non vtiq; de Cęlo, & terra: sed cuius parentes ignoti erāt, facilè fuit eorum filium dici, quorum & omnes possumus videri: quis enim non Cęlum, et terram matrem, ac patrem venerationis, & honoris gratia appellet? vel ex consuetudine humana, qua ignoti, vel ex inopinato apparentes, de cælo superueniße dicuntur? Proinde Saturni repentino adduentu, vbique cælitem contigit dici: nam & terræ filios vulgus vocat, quorum genus incertū est.* Sic etiam loquitur Cicero lib. 7. epist. 9.

*Cn. Octauius tuus familiaris, summo genere natus, terræ filius, is me, quia scit tuum familiarem esse, crebro ad cœnam inuitat, adhuc non potuit perducere, sed mihi tamen gratum est.* Et eodem lib.7. epist.16.inquit: *Cn. Octauio familiari tuo non defuissem, cui tamen dixi, quum me aliquoties inuitaret: Oro te, quis tu es?* Ex quo vides, hunc, vtpotè ignotum, supra, Terræ filium appellatum. Et idem Cicero ad Atticum lib.1. epist.10. ait. *Hæc ad te scribam aliàs subtilius, nam neque mihi adhuc satis nota sunt, & huic terræ filio, nescio cui, committere epistolam, tantis de rebus non audeo.* Liquet ergo Terræ progeniem, vel Terræ filios appellatos ignotos, quorum nescirentur parentes. Et tales plerumque sunt mendici, æruscatores, saniosi, debilitati, & vlceribus pleni? Quos præterea ideo Terræ filios dictos autumo, quia terræ assidentes, eiq; continuè adhærentes, ab ea videntur progeniti, à qua numquam separari, vel auelli possunt. Vel quum terra elementum sit opacissimum, & obscurum, quidquid quouis modo obscuritatem habet, siue naturalem, siue metaphoricam, è terra ortum videtur. Et quia huiusmodi saniosi, nullū nataliū, aut diuitiarum, dignitatis, potentiæ, sapientię, eruditionis, aut clientelæ habent splendorem, obscuri remanent, & ideo Terræ filii: & talis erat hic Manius.

*QVÆRE ex me, quis mihi quartus sit pater, haud promptè dicam: tamen adde etiam vnum, vnum etiam: terræ est iam filius, & mihi ritu Manius hic generis, propè maior auūculus exit.*

Ordo

Ordo est: Quære ex me quis sit mihi quartus pater, haud dicam promptè, tamen adde etiã vnum, etiam vnum, iam est filius terræ, & ritu generis hic Manius prope exit mihi maior auunculus. Quibus ostendit, qua ductus ratione velit Manium scribere hæredem, quando hęreditas sanguine coniunctioribus est relinquenda, quia videlicet, quum Manius sit filius terrę, est, ritu generis, suus maior auunculus, idest frater tritaui sui. Id vero sic probat. Si ex me quęras quis fuerit meus quartus pater, idest meus abauus, esto fortasse possim eum nominare, non tamęn facilè. Quod si interrogando addideris vnum, & alterum supra abauum, quæsierisque de quinto, & sexto patre, idest de atauo, & tritauo, iam saltem hic tritauus erit mihi omnino obscurus, & incognitus, & ita terræ filius, ac consequenter frater Manij: vnde Manius erit maior auunculus meus, & talis, vt ad eum ritu generis mea debeatur hæreditas. De his gradibus agnationis vide à nobis dicta sup. ad vers. 54. ex Concilio Duziacensi, Quibus adde Petrũ Damianum Opusculo de parentelæ gradibus cap. 4. dicentem: Miror saltem legis peritos ita potuisse desipere, vt subiecta figura oculis videantur in supputandis gradibus caligare. Qui nimirum dum quartum generis gradum octauum faciunt, quid super hac parte etiam suę leges definiant, non attendunt. Sed vt ad exitum faciliùs valeat peruenire quod dicimus, sacros Canones cum ipsis mundanis legibus conferamus. Habet autem hoc Meldense Concilium. De affinitate, inquit, sanguinis

per gradus cognationis placuit vsq; septimam generationem obseruare. Nam & hæreditas rerum per legales definitiones sancitur vsque ad septimum gradum prętendere hæredum successionem: non enim succederent, nisi eis de propagine cognationis deberetur. Secundum hoc igitur sententiæ Synodalis Edictū, cui competit ius hęreditatis, competit etiam propinquitas generis. Neque enim, vt dicitur, in hęreditatem succederent, nisi ad cognationis propaginem pertinerent. At hic forsitan respondetur, quia quod his verbis septem generationes obseruari præcipitur, nequaquā illis attinet, qui ex latere veniunt, sed ad eos potius, qui recta linea à supremo progenitore descendunt. Sed si huiusmodi personis, vel ad succedendum, vel ad coniugandum terminum scriptura pręfigeret, profecto rem infinitam angustis limitibus coarctaret, Iustiniano teste, qui dicit *Instit. Ciuil. lib. 1. Titul. de Nuptys*, §. *Sed non omnes*. Inter eas personas, quę parentum, liberorumque locum inter se obtinent, contrahi nuptiæ non possunt, veluti inter patrem, & filiam, vel auum, & neptem, vel matrem, & filium, vel auiam, & nepotem, & vsque in infinitum. Restat ergo vt intelligamus, quia in his personis, quæ altrinsecus veniunt, septem generationes obseruare debemus. *Et sequitur cap. 5.* Nunc igitur inquiramus à duobus germanis fratribus descendentes, quoto gradu sibi inuicem possunt in hęreditatem succedere? Vos denique Iudices alloquor, vos de lege vestra conuenio. Vos inquam legis periti, qui iura scrutamini, qui cau-

causas peroratis, inquiro, verum is, qui sexto loco ab vno fratre descendit, iure vocetur in hęreditatem illius, qui ex alio fratre sexta rursus generatione procedit? Sed certè negari omnino non potest, quia si alter eorum, quos proposuimus, intestatus moritur, quum nulla extat persona propinquior, alter in hæreditatẽ eius, legibus admittatur: atq; vt ipsi debeatis approbare, quod dicimus, de vestris rursus Institutis testimonium proferamus *Instit. Ciuil. lib. 3. Tit. de legit. agnat. successione §. Cęterum.* Inter masculos agnationis iure hęreditas, etiam si longissimo gradu sint, vltro citroque capitur; quod ad fœminas vero attinet, ita placebat, vt ipsę consanguinitatis iure tantum capiant hęreditatem, si sorores sint, vlterius non capiant: masculi autem ad earum hęreditatem, etiam si longissimo gradu sint, admittantur. Si ergo longissimo gradu, non infra, vel supra, sed vltra, citraque, hæreditas capitur, & sicut pręmissum est, non potest quis in hęreditatem defuncto succedere, nisi quem constiterit ad eamdem progeniem pertinere, valde pręposterum est, atque confusum, vt ij, qui quarto gradu à germanis fratribus prodeũt, iam inter se matrimonium contrahant, quum ij, qui post eos sunt, nec dũ ius hęreditarię successionis amittant. Vnũ quippe ius alterum tollit, vt videlicet, cui potes hęredis iure succedere, eam, nefas sit, coniugali tibi fœdere copulare: & è diuerso in quam competit ius coniugii, cessat nomen hęredis. At fortasse dicitis, quia longissimus gradus non incongruè etiam quartus (qui

apud vos octauus est) possit intelligi. Quapropter ad vestros codices quæso recurrite, & vtrum hoc limite sit contenta progenies, quia forsitan excidit, in memoriam reuocate. Ait namque vbi supra *lib.3.Tit.de succ. cogn.* §. *Hoc loco*, idem Iustinianus. Hoc loco,& illud necessario admonendi sumus, agnationis quidem iure admitti aliquem ad hęreditatem etiam si decimo gradu sit. Quum ergo constet, quia in hęreditatem intestati nullus admittitur, nisi affinitatis illi iure iungatur, quo pacto decimus in hęreditatem agnationis iure succedit, quum iam quartus,vt dicitis, cum huiusmodi personis licitè matrimonium contrahit? nimirum tamquam decimus sit propinquus, & quartus videatur extraneus. Quod si iam per hęc, quæ superiùs comprehensa sunt, constat quia ij, qui vltro citroque in quarto reperiuntur gradu,cognati sunt,atq; propinqui, audiamus etiam quid Romanum censeat de cognatione Concilium. Si quis, inquit, de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, in coniugio duxerit, anathema sit. *Et statim subdit cap.6.* Debuerant quidem iam hęc pauca sufficere, si ij cū quibus ago,vtpotè litibus assueti,scirent in controuersiam pauca mouere. Illud itaque sub oculos reuocemus, quod causidicos nostros ex suis legibus nobis obiecisse supra retulimus, videlicet quod neptem fratris, vel sororis ducere quis nō potest,quamuis quarto gradu sit: quumq; in adstruendis propriis allegationibus sæpius verba hæc iterarent, deinde ratiocinando, assumendo, colligendo,

mul-

multimoda cauillationum argumenta componerent, in arcto positus, hac, quę eo loci occurrere potuit, voce respondi: Hanc inquā, supputationē, quæ fratris, vel sororis neptem à patruo, vel auunculo magno, quarto constituit gradu, filium vero eiusdem patrui, vel auunculi, sicut dicitis, quinto, nepotem se pronepotem autē eius ab eadē, quę præmissa est, nepte, septimum numerat, forenses quidem leges habere, quia ad id tantopere insistitis, possunt, sed eam sacri Canones non admittunt. Et reuera eas progenies, quæ per diuersas lineas ab vno generis autore procedūt, nequaquam diuina lex dupliciter numerat, sed licet plures hinc inde profluant geniti, ab vno tamen genitore, si generaliter colligantur, sub vna reperiuntur generatione concludi. Sed quia cum legisperitorum faceta urbanitate confligimus: legisperitum quoq; in nostræ partis Testimonium producamus, Moysen scilicet, non improbandum sanè iurisconsultum, sed siue ad depromendos iudicialis sententiæ calculos, siue etiam in ipsis legibus promulgandis non vulgariter eruditum: in magistro siquidem discimus quid de non contemnendæ indolis discipulo sentiamus. Veniat ergo & litē inter nos, quæ versatur de generatione definiat: ait namque de Ioseph. Vixitque centum annos; deinde subiunxit: Et vidit Ephraim filios vsq; ad tertiam generationem. Qui nimirū si in generationibus supputandis cum nostris iudicibus concordaret, ad Manassen quoque respiciens Ephraim progeniem non iam tertiam, sed sex-

tam potius astruxisset. Nam & mox sequitur dicens: Filij quoque Machir, filij Manasse, nati sũt in genibus Ioseph. Quũ igitur tertia progenies, Ephraim itemq; tertia Manasse nequaquam propter alterutram inter se habitudinem tenditur, sed simpliciter vtrumque tertia testante sacro eloquio perhibetur, qua auctoritate, qua nouitate doctrinæ affinitas sic moderna diuiditur, vt duorum fratrum pronepotes, octo iam differre inter se gradibus doceantur? Abrahæ quoque de filijs eius Ægyptum postmodum profecturis, eodem Moyse teste, Dominus dicit: Generatione, inquit, quarta reuertentur huc. Enimuero si omnes generationes, quæ sub Moyse de Ægypto in terram Canaan reuersæ sunt, iuxta sententiam nostrorum Iudicum, vox diuina diuideret, non generationem quartam, sed millesimam potius, vel vlteriorem certè numerum protulisset. Illud etiam, quod per Psalmistam dicitur: Memor fuit verbi sancti sui, quod mandauit in mille generationes, non ad illarum refertur generationum multitudinem, quę sub vno tempore in hac vita subsistunt, sed ad illas potius, quæ sibi inuicem per secula prolixiora succedunt. Nam si generationes singulorum parentum hoc loco propheta voluisset intelligi, nullus est dies quo in populo Dei mille generationes non valeant reperiri: atque ideo nihil plus esset mandare verbum in mille generationes, quam dare legẽ illi populo vbi essent mille patres. De B. quoque Iob legitur, quia vidit filios suos, & filios filiorum suorum, vsq; ad quar-

tam generationem. Nam quum Scriptura non dicat, Vidisse scilicet Iob filios filij sui, ab vno nimirum progenitore simplicem lineam descendentem, sed filios filiorum suorum, atque eos omnes non ad quartas generationes, sed ad quartam singulariter generationem venisse, eo viuente, pronunciet, patet profecto, quia auctoritate diuini eloquij generationes, quę à fratribus veniunt, non diuisę, sed simpliciter numerantur. De Tobia etiam sic dicitur: Viditq; Tobias quintam generationem filios filiorum suorum. Videtis itaque, ò Iudices, quæ dicũtur videlicet, & generationem, & filios filiorum suorum. In filios igitur filiorum plures descendentium lineas consequenter attendite, in generationem autem, quæ dicitur, omnes simul tamquam vnius successionis ordinem deputate. *Et ibidem cap. 7.* Post illam autem vix enarabilem Iustiniani sentẽtiam, qua videlicet neptis fratris quarto dicitur gradu, quidam promptulus, cerebrosus, ac dicax, scilicet acer ingenio, mordax eloquio, vehemens argumento, Florentinus, puto verbis me B. Gregorii insolenter vrgebat: quibus nimirum præcipit, Anglos iam quarta vel quinta debere generatione coniungi. Licet inquies sanctus ille vir hoc Neophytæ genti dispensatione concesserit, tamen si consanguinitas tantopere esset in matrimoniali copulatione cauenda, nequaquam inter tam propinquos, conueniendi licentia fuisset indulta: constat vtique quia super hoc coniunctionis articulo temperantius sensit, qui licet rudibus, quartæ generationis coniugium
non

non negauit. Nos autem vtramque sententiā, Iustiniani scilicet, & Gregorij conferamus, & tamquam duos lapides, qui in nos ex hostili acie iaculati sunt, inuicem collidamus, quatenus ex eorum repercussione igniculus exeat, qui eisdem nostris Aduersarijs, non dicam cęcutientibus, vtpotè reuerentia seruata iudicibus, tamen lippientibus, & caligantibus, lumen ostendat. Audite igitur Iudices, vtriusque Doctoris verba diligenter attendite, atq; illud tumultuātium murmur quo in foro, vel tribunalibus assueti estis, hic in Ecclesia fieri prohibete. Litigium nostrum non confusa partium loquacitas augeat, sed intenti cordis ratio sequestra componat. Clamemus ergo simul ad Dominum, atque illi pars vtraque dicamus: Surge Deus iudica causam tuam. Age igitur. Dicit nempe Iustinianus vester, vt sæpe superius dictū est, quia neptis fratris tui quarto iam à te gradu diuiditur, nimirum tu vnus, frater tuus secundus, filius eius tertius, neptis autem eius quarto à te distinguitur gradu. Ergo si ita est, non iam longius fatigemur, vtpotè qui propius inuenire possimus, quod ad hanc rem necessarium iudicamus. Quum igitur tu, sicut dictum est, à filio fratris tui sis tertius, consequenter etiam filia tua ab eodem filio fratris tui quartus est gradus, saluo scilicet eo, sicut asseritis, quod gradus, & generatio idem sit; quod profectò si verum est, totum illud, quod Gregorius permittit quarta generatione coniungi, nihil est aliud, nisi quia duorum fratrum germanorū, vel duarum sororum filios, & filias censet in

matrimonio copulari. Sed vbi est, quod idem Gregorius omnino prohibet, ne duorum fratrum, vel sororum filius, & filia misceantur? An censendum est ipse sibimet extitisse contrarius, vt quod prohibuit fieri, illico decreuisset impleri? sed quis hoc de Gregorio credat, nisi qui alienata mente prorsus insaniat? Verumtamen ipse Gregorianus stilus ad medium veniat, & vtrum sibimet constet ex ipso lectionis ordine clarius innotescat. Quædam, *inquit Registro lib.* 12. *epist.* 31. *interr.* 6. terrena lex in Romana Rep. permittit, vt siue fratris, siue sororis, seu duorum fratrum germanorum, vel duarum sororum filius, & filia misceantur. Sed experimento didicimus ex tali coniugio sobolē non posse succrescere. Et sacra lex prohibet cognationis turpitudinē reuelare. Vnde necesse est vt iā tertia, vel quarta generatio fidelium licenter sibi iungi debeat; Nam secunda, quam diximus, à se omnimodo debet abstinere. Ecce ipsa scripturæ series comprobat, quia filij germanorum fratrum in quarta generatione non sunt, dum qua illi prohibentur auctoritate connubere, eadem isti, qui in quarta generatione sunt conceduntur in matrimonij fœdera conuenire. Nam si germanorum filij in quarta generatione consisterent, quid esset aliud dicere, filij germanorum fratrum non iungantur, & tertium in quarta generatione homines socientur, nisi tamquam sic sermo procederet: consobrini inuicem & non iungantur, & iungantur, quod vtique ridiculosum potius, quam authenticum haberetur. Vnde

idem

idem venerabilis Doctor postquam præmisit. Necesse est, vt iam quarta; vel quinta generatione fideles licenter sibi iungantur, protinus intulit. Nam à secunda, quam prædiximus, omnimodo debet abstineri. Et de legitima successione agnatorum, sic loquitur legislator Instit. Ciuil. lib. 3. *Si nemo suus hæres, vel eorum, quos inter suos hæredes Prætor, vel constitutiones vocant, existat, qui successionem quoquo modo amplectatur, tunc ex lege duodecim tabularum ad agnatum proximum pertinet hæreditas. Sunt autem agnati (vt 1. quoque libro tradidimus) cognati per virilis sexus personas cognatione coniuncti, quasi à patre connati. Itaque ex eodem patre nati fratres, agnati sibi sunt, qui & consanguinei vocantur; nec requiritur an etiam eamdem matrem habuerint. Item patruum fratris filii, & inuicem is illo agnatus est. Eodem numero sunt fratres patrueles, idest qui ex duobus fratribus procreati sunt, qui etiam consobrini vocantur. Qua ratione etiam ad plures gradus agnationis peruenire poterimus. Ij etiam, qui post mortem patris nascuntur, iura consanguinitatis nanciscuntur. Nec tamen omnibus simul agnatis dat lex hæreditatem, sed ijs, qui tunc proximiores gradu sūt, quum certum esse cœperit aliquem intestatum decessisse. Per adoptionem quoque agnationis ius consistit, veluti inter filios naturales, & eos quos pater eorum adoptauit: Nec dubium est, quin impropriè consanguinei appellētur. Item si quis cæteris agnatis suis, veluti frater, aut patruus aut denique is, qui longiori gradu est, adoptauerit aliquem, agnatus inter suos hæredes esse* non

*non dubitatur. Ceterum inter masculos quidem agnationis iure hereditas, etiam si longissimo gradu sint, vltro citroque capitur. Quod ad fœminas vero attinet, ita placebat, vt ipsæ consanguinitatis iure tantum capiant hæreditatem, si sorores sint, vlterius non capiant. Masculi autem ad earum hereditatem, etiam si longissimo gradu sint, admittantur. Qua de causa fratris tui, aut patrui tui filiæ, vel amitę tuæ hæreditas; ad te pertinebat, tua vero ad illas non pertinebat. Quod ideo ita constitutum erat, quia commodius videbatur ita iura constitui, vt plerumq; hæreditates ad masculos confluerent. Sed quia sanè iniquum erat in vniuersum, eas, quasi extraneas, repelli, Prætor eas ad bonorum possessionem admittit ea parte, qua proximitatis nomine bonorum possessionem pollicetur: ex qua parte ita scilicet admittuntur, si neque agnatus vllus, neque proximior cognatus interueniat. Et hæc quidem lex duodecim tabularum nullo modo introduxit, sed simplicitatem legibus amicam amplexa, simili modo omnes agnatos siue masculos, siue fœminas, cuiuscunque gradus ad similitudinem suorum inuicem, ad successionem vocabat. Media autem iurisprudentia, quæ erat quidem lege duodecim tabularum iunior, Imperiali autem dispositioni anterior, subtilitate quadam excogitata, præfatam differentiam inducebat, & penitus eas à successione agnatorum repellebat omni alia successione incognita, donec Prętores paulatim asperitatem iuris ciuilis corrigentes, siue quod deerat adimplentes humano proposito alium ordinem suis edictis addiderũt, & cognationis linea proximitatis nomine introducta,*

*ducta, per bonorum possessionem eas adiuuabant, & pollicebantur ijs bonoram poßessionem, quæ Vnde cognati appellatur. Nos vero legem duodecim tabularum sequentes, & eius uestigia in hac parte conseruantes, laudamus quidem Prętores suę humanitatis, non tamen eos in plenum huic causæ mederi inuenimus. Quare etenim vno eodemque gradu naturali concurrente, & agnationis titulus tam in masculis, quam in fœminis æqua lance constitutis, masculis quidem dabatur ad successionem venire omnium agnatorum, ex agnatis autem mulieribus nulli penitus, nisi soli sorori ad agnatorum successionem patebat aditus? Ideo nos in plenum omnia reducentes, et ad ius duodecim tabularum eamdem dispositionē exęquantes, nostra constitutione sanximus, omnes legitimas personas, idest per virilem sexum descendentes, siue masculini generis, siue fœminini sint, simili modo ad iura successionis legitimę ab intestato vocari, secundum sui gradus pręrogatiuam, nec ideo excludendę, quia consanguinitatis iura, sicut germanæ, non habent. Hoc etiam addendum nostrę constitutioni existimauimus, vt transferatur vnus tantummodo gradus à iure cognationis in legitimam successionem, vt non solum fratris filius, & filia (secundum quod iā definiuimus) ad successionem patrui sui vocentur, sed etiam germanę consanguineę, vel sororis vterinæ filius, & filia soli, & non deinceps personæ, vna cum his ad iura auunculi sui perueniant, & mortuo eo, qui patruus quidem est sui fratris filij, auunculus autem sororis suæ sobolis, simili modo ab vtroque latere succedant, tamquam si omnes ex masculis descendentes, legitimo iure*

*iure veniāt, scilicet vbi frater, & soror superstites non sunt. His etenim personis præcedentibus, & successionem admittentibus, cæteri gradus remanent penitus semoti: videlicet hereditate non in stirpes, sed in capita diuidenda. Si plures sint gradus agnatorum, apertè lex duodecim tabularum proximum vocat. Itaque si V.G. sint, defuncti frater, & alterius fratris filius, aut patruus, frater potior habetur. Et quamuis singulari numero vsa lex duodecim tabularum proximum vocet, tamen dubium non est, quin si plures sint eiusdem gradus, omnes admittantur. Nam & propriè proximus ex pluribus gradibus intelligitur, & tamen non dubium est, quin licet vnus sit gradus agnatorum, pertineat ad eos hæreditas. Proximus autem (siquidem nullo testamento facto quisquam decesserit) per hoc tempus requiritur quo mortuus est is, de cuius hereditate quæritur. Quod si facto testamento quisquam decesserit, per hoc tempus requiritur, quo certū esse cœperit, nullum ex testamento heredem extiturum. Tunc enim propriè quisque intestatus decessisse intelligitur. Quod quidem aliquando longo tempore declaratur. In quo spatio temporis sæpe accidit, vt proximiore mortuo, proximus esse incipiat, qui, moriente testatore, non erat proximus. Placebat autem in eo genere percipiendarum hæreditatum, successionem non esse, idest vt quamuis proximus, qui, secundum ea, quę diximus, vocatur ad hæreditatem, aut spreuerit hęreditatem, aut antequam adeat, decesserit, nihilo magis legitimo iure sequentes admittantur. Quod iterum Pretores imperfecto iure corrigentes, non in totum sine adminiculo relin*

*quebant, sed ex cognatorum ordine eos vocabant, vtpotè agnationis iure eis recluso. Sed nos nihil perfectissimo iuri deesse cupientes, nostra constitutione, quam de iure patronatus humanitate suggerente protulimus, sancimus, successionem in agnatorum hæreditatibus non esse eis denegandam, quum satis absurdum erat, quod cognatis à Prætore apertum est, hoc agnatis esse reclusũ, maximè quũ in onere quidem tutelarũ, & primo gradu deficiente, sequens succedit: & quod in onere obtinebat, non erat in lucro permissum. Ad legitimam successionem nihilominus vocatur etiam parens, qui, contracta fiducia filium, vel filiam, nepotem, vel neptem, ac deinceps emancipat, quod ex nostra constitutione omnino inducitur, vt emancipationes liberorum semper videantur quasi contracta fiducia fieri: quum apud veteres non aliter hoc obtinebat, nisi specialiter contracta fiducia parens manumisisset.* Vult ergo hic testator se posse suam hæreditatem iure Manio legare, quum eum in eodem fere gradu attingeret, ac suum trauum, qui erat ei similiter incognitus, & terræ filius, non minus quam Manius suus maior auunculus, agnatusque.

*MAIOR auunculus* est auiæ maternæ frater, ita colligimus ex Suetonio, qui in Octauio cap. 7. ait: *Caij Cæsaris cognomen assumpsit ex testamento maioris auunculi*. Et in Iulio c: 83. inquit: *Nouissimo testamento tres instituit hæredes, sororum nepotes, C. Octauium ex dodrante, & L. Pinarium, & Q. Pedium, ex quadrante reliquo: in ima cera C. Octauium etiam in familiam nomenque adoptauit*. Et alioqui

scir

scimus Octauium Augusti patrem, natum fuisse Atia, quam peperat Iulia, C. Cæsaris soror. Sic enim scribit Suetonius in August. cap. 4. *Octauius morte obijt repentina, superstitibus liberis, Octauia maiore quam ex Anthæria, & Octauia minore, item Augusto, quos ex Atia tulerat. Atia M. Atio Balbo, & Iulia sorore C. Cæsaris genita est.* Caius ergo Cæsar auunculus erat Atiæ, hæc autem Augusti mater: Iulia vero Cæsaris soror, sed Augusti auia, & ita Cæsar dictus auũculus maior Augusti. Auunculus enim est frater matris, est enim tertius à nepote non minus, quam auus: sed quia, vtpotè in linea collaterali, non habet idem ius in nepotem, sicut auus, inde diminutiuè dicitur auunculus potius, quam auus. Et hinc vides auũculum eũdem erga nepotem seruare gradũ, ac patruũ, sed in eo differt, quod patruus sit frater patris, auũculus vero sit matris frater. Verũ in hoc Persij loco Manius dictus est maior auunculus, quamuis non sit descriptus in tertio ascendentiũ gradu, sed potius collaterali, & consequenter in gradu multo remotiori. Non enim intendit hic poeta, nisi Manium aliquo quocũq; gradu suam attingere progeniem, etiam si collateraliter, & vltra tertiũ, vsq; ad sextũ gradum, vt veniretur ad parentes omnino ignotos, & terræ filios, vt erat Manius, vt in defectu proximiorũ, posset eũ scribere hæredem, vt aliquo agnationis gradu ad se pertinẽtem. Non enim iste testator vtpotè Ethnicus de eleemosynis pauperũ, nec de largitione in Deũ cogitabat, vt fideles monet Saluianus dicens ad Ecclesiam

Catholicam: *Adquiescamus hoc ita esse, nec ex contemptu Dei res suas quempiam alij magis, quam Deo tradere, sed vel honore hæredis sui se adhoc trahi, uel certè amore compelli. Sed quid facimus, quod hoc ipso magis incursa Dei probatur, atque contemptus? Si enim, tu quisquis es ille, per id, quod hæredibus tuis, vel quibuscunq; res proprias das, & honorare te eos indicas, & amare; Deum vtique cui non relinquis, nec honorare te indicas, nec amare. Ac per hoc quidquid pro te dixeris, contra te est: & ad contemptum, atque ad contumeliam Dei pertinet amor, & honorificentia cæterorum. Quum enim alijs ideo relinquas, quia eos honoras; Deum, cui non relinquis, utique non honoras. Quum alijs ideo relinquas multa, quoniam amas, Deo ideo nun relinquis profectò, quia non amas. Ecce enim adstitit tibi morienti, atque testanti, homo pariter, ac Deus. Res aperta est. & non dubia, quem elegeris, pertulisti. Si in uno est honor solo, necesse est in alio inueniatur despectio. Si homo, qui præfertur gaudet se à te diligi, necesse est, vt se doleat Deus, qui prætermittitur non amari. Sed putas Deum uidelicet munificentia hominis non egere, & ideo quid necesse est, inquis, ab homine ei quidpiam tribui, qui ipse cuncta omnibus dedit? Vtrum egeat munificentia nostra Dominus, aut non egeat, aut quomodo uel egeat, uel non egeat, iam uidebimus. Interim, quia ab eo cunctis cuncta præstari, etiam tu negare non ausus es, hoc dignior est absque dubio largitate nostra, quia nobis ipse ante largitus est: hoc iustius ei officijs respondere tenemur, quo beneficijs illius magis impares sumus. Nam & natura*

ipsa

*ipsa hominis consuetudoque communis, hac quasi generali cunctos lege constringit, vt a quibus aliquid liberalitatis accepimus, plus ei gratiæ debeamus. Arctat quippe nos ad retributionem dati accepta largitio. Ante vsum enim, & munificentiam liberalitatis alienæ, liber est quispiã, beneficiorum fœnore non grauatus. Coguntur autem omnes ipsa conscientia sua ad repensationem vicissitudinis, postquam esse cœperint debitores. Ita ergo & Deo hoc maiora debemus, quod ab eo cuncta percepimus: & hoc respondere beneficijs illius minus possumus, quod ei, etiam si quod debemus redhibere cupiamus, tamen de suo reddimus. Ac per hoc non est, quod placere sibi quisquã largitione sua debeat. Sicut sua non sunt cuncta, quæ à domino suo accepit, sic sua nõ sũt cuncta, quæ reddit. Et ideo perfidię quidem pœna debetur ei, qui negauerit Deo, quę sunt sibi ab eodem commodata: imputare autem largitionem non potest, qui reddiderit accepta, nihil minus quam vt non egeat. Sed Deus, inquis, non eget retributione. Non eget enim iuxta potentiam suam, sed eget iuxta præceptionem suam: Non eget secundum maiestatem suam, sed eget secundum legem suam: & in ipso se quidem non eget, sed in multis eget: non quærit in se munificentiam, sed in suis quærit. Et ideo non eget quidem iuxta omnipotentiam, sed eget iuxta misericordiam: non eget Deitate pro semetipso, sed eget pietate pro nobis. Quid enim dicit ad pios, ac largos dispensatores Deus? Venite benedicti, possidete regnum patris mei, quod vobis paratum est à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare &c. & alia in hunc modum. Et ne hoc causæ de qua nunc*

loquimur, parum forsitan videretur. adiecit rerum diuersitatem auaris, & infidelibus dicens: Ite maledicti in ignem æternum, quem parauit pater meus diabolo, & angelis eius. Esuriui enim & non dedistis mihi manducare, &c. Vbi ergo illi sunt, qui dicunt; Dominum officio nostro uel munerum non egere? Ecce & esurire se, pariter & sitire, & algere commemorat. Respondeat quilibet horum si non eget, qui esurire se queritur: si non eget qui se sitire testatur? Ego plus addo aliquid, Christum non solum egere cum cæteris, sed plus multo egere quam ceteros: in omni enim pauperum numero, non est vniuersorum vna paupertas. Sunt enim quidam quibus etiam si vestimenta desint, alimenta non desunt: multi sunt hospitio egentes, vestibus non egentes: multi domo carentes, sed non substantia. Sunt denique quibus etsi desint multa, non desunt omnia. Christus tantummodo solus est cui nihil est, quod in omni humano genere non desit. Nullus seruorum suorum exultat, nullus frigore, ac nuditate torquetur, cum quo ille non algeat. Solus cum esurientibus esurit, solus cum sitientibus sitit. Et ideo, quantum ad pietatem illius pertinet, plusquam cæteri eget: omnis enim egestuosus pro se tantum, & in se eget: solus tantummodo Christus est, qui in omnium pauperum vniuersitate mendicat. Et quum hæc ita sint, quid ais, o homo, qui Christianum te esse dicis, quum Christum egere videas, tu facultates tuas quibuscumque non indigentibus derelinquis? Christus pauper est, & tu opes diuitum cumulas. Christus esurit: & tu delicias affluentibus paras. Christus etiam aquam sibi deesse queritur, & à te apo-

thecæ

*thecę ebriosorum vino replentur. Christus rerum omnium egestate conficitur, & à te luxuriosis copiæ congregantur. Christus tibi pro muneribus à te datis, premia sempiterna promittit, & tu nil præstaturis cuncta largiris. Christus tibi et pro bonis, bona immortalia: & pro malis, mala æterna proponit: & tu nec bonis cœlestibus flecteris, nec malis perennibus commoueris. Et credere te Domino tuo dicis, cuius nec remunerationem desideras, nec iracundiam contremiscis?*

*QVI prior es, quur me in decursu lampada poscis?* Hoc est: Quare facem à me petis, quum ipse sim adhuc in cursu, & nondum defessus. Verba sunt testatoris ad hæredipetam: & est locutio prouerbialis, & metaphorica, translatione ducta à ludis, siue agonibus λαμπαδηδρομίας. Habemus autem ex interprete Aristophanis in Ranis, in tribus Græcorum certaminibus constitutum, vt ardentes lampades, siue faces gestarentur, & has illi λαμπαδουχεῖν nominabant, nimirum in Prometheis, in Vulcaneis, siue Ephesiis, & denique in Panathenaicis. Fabulabantur autem, Prometheum primum instituisse horum ludorum genus, & tali ritu peragebantur. Multi currentes, singuli facem ardentem gestabant, quam prior, defatigatus, tradebat in manua proximè sequenti. Quod si etiam iste deinceps defessus fuisset currendo, sequēti porrigebat, & sic deinceps alius alii: fabulę Promethei representantes simulachrū, quemadmodum videlicet ille, ferulam, qua Cœlestem exceperat ignem, in terram deportauerit, &, ne extingueretur, perpetuo motu ia-

instauerit; quod Lucretius innuit dicens l. 2. vers. 76.

*Inq; breui spatio mutantur secla animantum,*
*Et quasi cursores vitai lampada tradunt.*

Sic Q. Cornificius, vel quis alius fuerit au-ctor Rhetoricæ ad Herennium lib. 4. inquit: *Non enim quemadmodum in palestra, qui tędas candentes accipit, celerior est in cursu continuo, quã ille qui tradit: ita melior imperator nouus, qui accipit exercitum, quam ille, qui decedit, propterea quod defatigatus cursor, integro face, hic, peritus imperator, imperito exercitum tradit.* Vsus etiam Varro hac prouerbiali locutione, dicens lib. 3. RR. cap. 16. *Sed ò Merula Axius noster, ne dum hæc audit, physicam addiscat, quod de fructu nihil dixi, nunc cursu lampada tibi trado,* hoc est tibi sermonis vices commendo. Ferunt fuisse Athenis in Academia, Promethei aram, à qua homines, accensas lampades ferentes, in Vrbem currebant. Certamen in eo consistebat, vt lampades conseruarentur accensæ, itaut si alicuius lampas, seu fax esset extincta, is victoriam successori tradebat, nõ minus, quam si quis currendo fuisset defessus: & eadem ratione secundus tertio, & sic deinceps. Quod si nulli contigisset ardentem lampadem ad metam vsque perferre, palma, seu victoriæ præmium in medium relinquebatur, nec vlli dabatur. Verum hic lampadis nomine intelligitur hęreditas. Et ita testator interrogat illum, ad quem naturali iure, & ab intestato sua deuenire deberet hęreditas, quia erat sanguine, & agnatione proximior: Tu qui prior es, quare

in

in decursu lampada me poscis, idest iuxta Casaubonum: Tu qui cognatione proximior es, quam Manius, quem dixeram me scripturũ hęredem, quare poscis me lampada in decursu, idest dum adhuc curro viuendo, sed, me adhuc viuente, meam poscis hæreditatem, illius rationes computando. Nam quemadmodum lampas non tradebatur sequenti, nisi quum prior defessus, amplius currere noluisset: ita hæreditas non est tradenda hæredi, & successori, nisi post testatoris mortem. Sed iuxta Bond, prioris nomine, quum dicitur: Qui prior es, intelligitur ætate maior, quasi diceretur: Tu qui me præcedis ætate, & es æuo antiquior, quare meam poscis hæreditatem, quum ego potius tuam deberem expectare?

*SVM tibi Mercurius, uenio Deus huc ego, ut ille pingitur, an renuis? Vin tu gaudere relictis? Deest aliquid summę? Minui mihi, sed tibi totum est, quidquid id est: Vbi sit fuge quærere, quod mihi quondam legarat Staius, neu dicta repone paterna: Fœnoris accedat merces, hinc exime sumptus, Quid reliquum est?* Construe sic. Sum tibi Mercurius: ego venio huc, vt pingitur ille Deus. An renuis? Vin tu gaudere relictis? Deest aliquid summę? minui mihi; fuge quærere vbi sit, quod mihi quondam Staius legarat, neu repone dicta paterna: accedat merces fœnoris, exime hinc sumptus, quid reliquum est? Verba testatoris Mercurius, Hermes Gręcis dicitur, Iouis ex Maia filius, Atlantis nepos, eloquentiæ præses, Deorum, & ipsius Iouis nuncius, &

interpres, Mercatorum tutelaris, vt propterea Mercurius dictus credatur, videlicet à mercibus siue mercimoniis, vt diximus ad sat. 5. versum 112, nisi mauis sic dictum, quia medius currat inter ementes, & vendentes, vt eorumdem nuncius. Sumitur plerumque pro lucro insperato: & propterea quod hic dicitur: *Sum tibi Mercurius* tantumdem valet, quantum si dictum fuisset: Hanc meam hæreditatem, licet exilem, tamen quanta quanta fuerit, accipere debes pro lucro indebito, & insperato. Sic Horat. 2. ser. sat. 3.

—— *An magis excors*
*Reiecta præda, quam præsens Mercurius fert.*
Et Macrobius lib. 1. cap. 12. Contendunt alii Maiam Mercurii matrem, Mensi Maio nomen dedisse, hinc maximè probantes, quod hoc mense, Mercatores omnes Maiæ, pariter, Mercurioque sacrificant.

*VENIO Deus huc ego vt ille pingitur.* Diuersimode Mercurium pinxit antiquitas: vnde Macrobius lib. 1. cap. 19. ait: Mercurium pro Sole censeri, multa documēta sunt: Primū quod simulachra Mercurii pennatis alis adornantur, quæ res monstrat Solis velocitatem: tum quia mentis parentem Mercurium credimus, appellatumque ita intelligimus ἀπὸ τοῦ ἑρμοῦ σῦειμ (?) & Sol mūdi meus est, summa autem est velocitas mentis, vt ait Homerus ὡσεὶ πτερὸν ἠὲ νόημα, ideo pennis Mercurius qsi ipse natura Solis ornatur. Hoc argumentū lucidius Ægyptii absoluunt, ipsius Solis simulacra pennata fingentes, quibus color apud illos non vnus est; alterum enim cærulea spe-

ſpecie, alterum clara fingunt: ex his clarum ſuperum, cęruleum, inferum vocant: inferi autem nomen Soli datur, quum inferiore hemiſpherio, ideſt hyemalibus ſignis curſum ſuum peragit: ſuperi, quum partem Zodiaci ambit ęſtiuam. Eadem circa Mercurium ſub alia fabula fictio eſt, quum inter ſuperos, & inferos Deos, adminiſter & nuncius exiſtimatur. Argiphontes pręterea cognominatur, non quod Argum peremerit, quem ferunt per ambitum capitis multorum oculorum luminibus ornatum, cuſtodiſſe, Iunonis imperio Inachi filiam, eius Deæ pellicem, conuerſam in bouis formam; ſed huiuſmodi fabula, Argus eſt Cęlum ſtellarum luce diſtinctum, quibus ineſſe quędam ſpecies cœleſtium videtur oculorum: Cœlum autem Argum vocitari placuit à candore, & velocitate παρά τό ἀργὸν καὶ ταχύ, & videtur terra deſuper obſeruari, quam Ægyptij hyerogliphicis litteris, quum ſignificare volunt, ponunt bouis figuram. Is porro ambitus Cœli, ſtellarum luminibus ornatus, tunc exiſtimatur enectus à Mercurio, quum Sol diurno tempore oberrando, ſidera veluti enecat, vi luminis ſui conſpectum earum auferendo mortalibus. Pleraque etiam ſimulachra Mercurij quadrato ſtatu figurantur, ſolo capite inſignita, & virilibus erectis; quæ figura ſignificat, Solem mundi eſſe caput, & rerum ſatorem, omnemque vim eius, non in quodam diuiſorum miniſterio membrorum, ſed in ſola mente conſiſtere, cuius ſedes in capite eſt. Quatuor latera eadem ratione finguntur,

qua & tetrachordon Mercurio creditur attributum, siquidem significat hic numerus, vel totidem plagas mundi, vel quatuor vices temporum, quibus annus includitur, vel quod duobus æquinoctijs, duobusque solstitijs, Zodiaci ratio distincta est, vt lyra Apollinis chordarum septem, tot Cœlestium sphęrarũ motus præstat intelligi, quibus Solem moderatorem natura constituit. In Mercurio Solem coli, etiam ex caducęo claret, quod Ægyptij in specie draconum maris, & fœminæ coniũctorum figurauerũt, Mercurio consacrandum. Hi dracones parte media voluminis sui, inuicem in nodum, quem vocant Herculis, obligantur, primæque partes eorum, reflexæ in circulum, pressis oculis ambitum circuli iungunt, & postmodum caudæ reuocantur ad capulum caducęi, ornaturque alis ex eadem capuli parte nascentibus. Argumentum caducęi ad genituram quoque hominum, quæ genesis appellatur, Ægyptij protendũt.] Caducæum dicunt, Mercurium ab Apolline habuisse pro lyra septicorde, & eo recõciliasse duos dracones in Arcadia pugnantes, quũ illam in eorum medio posuisset, indeque intellexisse, illi vim inesse dirimendi prælia, pacemque conciliandæ: & propterea oratores caducæum ferunt. Sed quum alij multi forẽt modi Mercurium fingendi, de nullo aliorum est hic sermo, nisi de eo, quo pingitur à mercatoribus, cum sacculo pecunijs turgente. Inde Cyraldus lib. de Dijs Gentium syntagmate 9. relatus à Scoliaste D. Gregorij Nazianzeni ad orationem 1. in Iulianum n 156. ait:

ait: Vidi in libro Antiquitatum, Mercurij imaginem hoc modo effictam: filo quidem corporis iuuenili, facie imberbi, cum alis supra aures. Nudus vero totus, prӕterquam quod in dorso palliolum habere videatur. Dextera marsupium tenebat, quod supra caput hirci iacebat: sinistra vero caduceũ prӕferebat. Ad pedes illius gallus, & hircus suberant. Et paulò post. Huic Deo Romani mense Maio rem diuinam faciebant, eiusque statuӕ plerique marsupium adhibebant. Nazianzenus vero ibi dixerat: *Quomodo Lucifer ipsis Mercurius constituetur, & Marsupium proijcietur, & furax Dei vis, atque facultas honorabitur?* vt sensus sit: Venio ad te eo modo, & forma, quo à Mercatoribus pingitur Mercurius, videlicet cum sacculo pecuniarum, in quo mea consistit hӕreditas, quę, vt gratis tibi offertur, quũ potuerim illam distrahere, vel alteri quã tibi legare, ita gratãter accipe.

*AN renuis?* Renuere propriè est, nutu capitis significare dissensum; sed per metaphoram vel senecdochen est, modo quocumque negare, vel recusare, voce vel alio signo. Sic Martialis lib. 2. epigr. 14.

*N. in thermis iterũ cunctit, iterumq; lauatur*
*Omnia quum fecit, sed renuente Deo*
*Lotus ad Europes tepidӕ buxeta recurrit*
*Si quis ibi serum carpat amicus iter.*

Et Plinius lib. 1. epist. 7. *Ego quoque simili nutu, ac renutu, respondere voto tuo possum.* Vnde, quod hic ait est, An recusas, negasque me venire tibi, vt Mercurium, meamque repudias hӕreditatem, quam non debitam

tibi offere, quia maiorem fortè sperauerras?

*VIN tu gaudere relictis?* Vin pro Vis ne per apocopen auferentem à fine, quasi testator diceret: Visne tu gaudere bonis, quæ tibi sum legaturus. Et sunt verba copulanda antecedentibus, quibus dixerat *Sum tibi Mercurius*: vtpotè qui tibi indebitum adfero lucrum, quæsieratque num suam esset repudiaturus hereditatem, & sequentibus: dans modum quo gaudere possit de suę hæreditatis lucro, & quomodo hęreditatem lucrari posset.

*DEEST aliquid summæ.* Expositores communiter interpretantur verba ista esse hæredipetæ querentis sibi non obuenisse integram hęreditatem, immo satis largitionibus imminutam: Cornutus nihilominus rectius intelligit verba ista esse testatoris, monentis hæredipetam de conditionibus, quibus stantibus, suam ei legaturus esset hæreditatem, nimirum, dummodo ne quereretur de eiusdem hæreditatis imminutione, vel quod non foret adeo pinguis, vt ipse testator eam à maioribus acceperat Et hanc intelligentiam in iuimus, & sequimur.

*MINVI mihi* ait testator, respondens querelę hæredipetæ, & excusans factum in admonitione memoratum. Ait ergo: Ne sollициteris de hęreditatis tibi indebitę, diminutione, si ego eam quomodocumque ad libitum meum imminui. Idque rationabiliter dicit, siquidem quum absunt tam dolus malus, quā lata culpa, res perit illi, cuius erat secundum dominium, & proprietatem: bona autem hæreditatis, ante mortem testatoris, quoad domi-

minium, & proprietatem, illius erant: ideo quidquid eorum consumptum fuit ipso viuente, & volente, illi perit, nec futurus hæres quidquam habet, vnde iuridicè queri possit. Non enim amisit, quod nondum acquisierat, & liberum erat testatori illud sibi, vel alteri legare: si ipse hæres erat extraneus, ad quem hęreditas venit ex insperato: nam si heres fuisset naturalis, & hæreditas subdita fideicommisso, tunc aliter foret iudicandum, & hęreditas, seu illius pars consumpta, repetendi à detentoribus.

*VBI sit fuge quærere, quod mihi quondam legarat Statius*, siue Stadius, aut Tadius, vt in alijs exemplaribus legitur. Quibus verbis testator, futurum monet hęredem, quatenus si suis frui bonis, & suam possidere velit hæreditatem, abstineat ab exigenda ratione eorum quæ testator, siue iure legati, siue aliter à Statio habuerat. Legare autē quādoq; est oratorē mittere. Sic Cic. Verr. 5. ait: *Aratores Centuripini (qui numerus in agro Leontino maximus est) vnum in locum conuenerunt, hominem suæ Ciuitatis, in primis honestum, ac nobilem, Andronem Centuripinum, legarunt ad Apronium, eumdem quem hoc tempore ad hoc iudiciū legatum, & testem Centuripina Ciuitas misit, vt is apud eum causam aratorum ageret, ab eoque peteret, vt ab aratoribus Centuripinis ne amplius in iugera singula, quam terna medimna exigeret*. Al quando vero legare est, loco sui alterum negotio præficere. Sic Plautus Casina Actu 1. scena 1.

*Quin potius, quod legatum est tibi negocium*

*Id curato, atque vrbanis rebus te abstines.*
Sed neutro ex his modis nunc sumitur. Non numquam legare, est, testamento, siue totam hæreditatem, siue illius partem alteri donare. Sic Liuius lib. 1. cap. 3. *Proca deinde regnat, is Numitorem atque Amulsum procereat: Numitori, qui stirpis maximus erat, Regnum vetustum Siluię gentis legat.* Et hoc modo nūc accipitur, pro eo quod sibi obuenerat ex hæreditate Staij, per illius vltimam voluntatem. Quis autem fuerit hic Staius, nullibi inueni, & potuit nomen esse confictum.

*NEV dicta repone paterna.* Monet testator hæredipetam, vt si suam velit possidere hæreditatem, abstineat à reponendis verbis paternis, id est caueat ne erga se paterna vsurpet verba castigatoria. Reponere autem aliquando est iterum ponere, seu restituere. Sic Martialis lib. 1. epig. 37.

*Vllus si pudor est, repone cœnam,*
*Cras te Cæciliane non vocaui.*

Et Virg. 3. Æneid. v. 229.

*Rursum in secessu longo sub rupe cauata*
*Arboribus clausi circum, atque horrentibus vmbris*
*Instruimus mensas, arisque reponimus ignem.*

Inde Mimi, & fabularum repræsentatores, quū ante placitas, iterum edere volebant fabulas, eas reponere dicebantur. Sic Horatius ad Pisones ait:

*Neue minor, neu sit quinto productior actu*
*Fabula, quæ posci vult, & spectata reponi.*

Aliquando vero reponere est recordari. Et ita Virgilius ait 1. Æneid. v. 30.

*—— Manet alta mente repostum*
*Iudicium Paridis, spretæq; iniuria formæ,*
*Et genus inuisum, & rapti Ganymedis honores.*

Sic Cicero pro P. Sestio. *Cum Armeniorum Rege Tigrane graue bellum, perdiuturnumque gessimus, quum ille iniurijs in socios nostros inferendis, bello prope nos lacessisset. Hic & ipse per se vehemens fuit, & acerrimum hostem huius Imperij Mithridatem pulsum Ponto, opibus suis regnoq; defendit, & à Lucullo summo viro, atq; Imperatore pulsus, animo tamen hostili cum reliquis copijs suis in pristina mente mansit. Hunc Cn. Pompeius, quum in suis castris supplicem, abiectumq; vidisset, erexit, atq; insigne Regium, quod ille de suo capite abiecerat, reposuit, & imperatis certis rebus, regnare iussit.* Vnde reponere dicta paterna, erit, vel memoriam refricare eorum, quæ pater dicere consueuerat: vel patris, castigandi libertatem vsurpare.

*FOENORIS accedat merces.* Hæc sunt dicta paterna, à quibus reponendis, seu recensendis submouet heredipetam. Nam pater talibus verbis ei præcipere consueuerat, vt de vsurarum viueret fructibus, adeout nedum nihil vnquam de sorte decideret, sed quotannis hæc augeretur, & ideo ferè quotidie, lucri, expensarũq; exigebat rationem. Prohibet ergo ne futurus hæres hanc eamdem computationem à se exigat, dum ait: *Fænoris accedat merces, hinc exime sumptus, quid reliquum?* Est autem fœnus propriè, vsura, seu lucrum vltra sortem, Vnde Ouid. 1. Fastor. ait:

Tri-

*Triticeos fœtus, passuraq; farra bis ignem,*
*Hordeaq; ingenti fœnere reddat ager.*

Et Gellius lib. 16. cap. 12. Fœnerator enim, sicut M. Varro in l.3.de sermone Latino scripsit, à fœnore est nominatus: fœnus autem dictum à fœtu, & quasi à fœtura quadam pecuniȩ parientis, atque increscentis, & idcirco & M. Catonem, & cœteros ætatis eius, fœneratorem sine à littera pronunciasse ait, sicut fœtus ipse, & fœcunditas appellata est.] Sic etiam Festus inquit. Fœnus appellatur naturalis terræ fœtus, ob quam causam, & nummorum fœtus, fœnus est vocatum, & de ea re leges fœnebres, fœnus, & fœneratores, & lex de credita pecunia, fœnebris à fœtu dicta, quod crediti nummi alios pariant: vt apud Græcos eadem res τόκος dicitur. Fœnum quoque pratorum ab hac causa est appellatum, quando id ipsum manens, quotannis nouum parit. Idem docet Salmosius dum ait: Fęnus à Græco antiquo φοῖνος venit, quę est merces, vel pretium, vel etiam pœna: idcirco sic propriè appellarunt pecuniam creditam ea conditione, vt pro eius vsu medii temporis, quamdiu maneret apud accipientem, soluesetur aliquid mercedis nomine, quę est vsura, omnino legibus prohibita, nedum Ecclesiasticis, sed etiam ciuilibus, & naturalibus, quum pecunia ex se naturaliter non fructificet, & non restituatur eadem secundum speciem, sed secundum valorem, & estimationem. Et de fænore hoc modo nunc loquitur.

*ACCEDAT merces.* Accedere propriè est appropinquare, seu motu corporis proximum al-

alteri fieri. Sic Terentius Adelphis Actu 4. scena 4.

*Ad illas ibo, vt purgem me accedam ad foris.* Sed nonnumquam sumitur pro adiungere, siue augere, vel multiplicare, sicut dicimus: Tibi a nobis accedent disciplinæ, vel munera, vel dignitas, aut quid simile. Sic Cicero pro Sexto Roscio Amerino. *Ego si quid liberius dixero, vel occultum esse propterea, quod nondum ad Remp. accessi, vel ignosci adolescentiæ meæ poterit: tametsi non modo ignoscendi ratio, verum etiam cognoscendi consuetudo iam de ciuitate sublata est. Accedit illa quoque causa, quod à cæteris forsitan ita petitum sit, vt dicerent, vt vtrumuis saluo officio facere posse arbitrarentur; à me autem ij contenderunt, qui apud me, & amicitia, & beneficijs, & dignitate plurimum possunt.* Et infra eadem oratione: *Huc accedit summus timor, quem mihi natura pudorq; meus attribuit, et vestra dignitas, et vis aduersariorũ.* Et hoc modo nunc sumitur, exigitur enim augumentum sortis fœneratitiæ pecuniæ.

*MERCES* est stipendium, vel præmium datum, vel saltem meritum pro opere, vel labore, ita dicta à merendo, hoc est dignum fieri. Iuuen. sat. 7. v. 167.

*Nosse velint omnes, mercedem, soluere nemo.* Aliquando etiam merces sumitur pro annuo fœnore, seu prouentu. Sic Cicero ad Atticũ lib. 12. epist. 31. *Ciceroni velim hoc proponas, ita tamen, si tibi non iniquum videbitur, vt sumptus huius peregrinationis, quibus, si Romę esset, domumque conduceret, quod facere cogitabat, facilè consensus futurus erat, accom̃odes ad merce*

des

*dis Argileti, & Auentini; & quum ei proposueris, ipse velim reliqua moderere quemadmodum ex his mercedibus suppeditemus ei, quod opus sit. Præstabo, nec Bibulum, nec Acidinum, nec Messalam, quos Athenis futuros audio, maiores sumptus facturos, quam quod ex eis mercedibus recipietur. Itaque velim videas primum conductores qui sint, & quanti, deinde vt sit, qui ad diem soluat.* Et de mercede hoc secundo modo nunc intelligit.

*HINC exime sumptus*. Eximere propriè est deducere, liberare, auferre, extrahere, vt etiã ex aliquo toto partem capere, aut rem alicubi existentem: à particula *ex*, & verbo *emo*. Sic Plautus Mercatore Actu 1. sc. 2.

*Numquam ædepol omnes balneæ mihi hanc lassitudinem eximent.*

Sic Cato de RR. c. 112. *Vbi compleueris doliũ, operculo operito, relinquito qua interspires: vbi triduũ præterieris, eximito de dolio, & in torculario calcato.* Sic Columella lib. 12. cap. 29. *Antequam prælo vinacea subijciantur, de lacu quam recentissimum addito mustum, in amphorã nouam, eamque oblinito, & impicato diligenter, ne quidquam aquæ introire possit: tunc in piscinam frigidę, & dulcis aquæ totam amphoram mergito, ita ne qua pars extet: deinde post dies quadraginta eximito, & sic vsque in annum dulce permanebit.* Verum hic eximere est deducere de summa; vult enim, sumptus, & expensas necessarias, faciendas esse ex fœnore, siue fructibus, salua sorte principali pecuniæ fęnebris, immo ipsorum fructuum quærit reliquias dum ait.

QVID

*QVID reliquum est? Reliquum? Nunc, nunc impensius unge, vnge puer caules. Mihi festa luce coquatur vrtica, & fissa fumosum sinciput aure, vt tuus iste nepos olim satur anseris extis, quum morosa uago singultiet, inguine uena, patricię immeiat uuluę. Mihi trama figurę sit reliqua, ast illi tremat omento popa uenter.* Ordo est: Quid reliquum est? reliquum? Puer nunc nunc vnge, vnge caules impensius. Mihi luce festa coquatur vrtica, & sinciput fumosũ aure fissa, vt olim iste nepos tuus satur extis anseris: quum vena morosa singultiet inguine vago, immeiat vulvę patricię? mihi sit reliqua trama figuræ, ast illi venter popa tremat omento. Verba sunt testatoris indignantis, quod hęredipeta à se exigeret rationem expensorum, & vellet reliquias fructuum, per illa verba: quid reliquũ est. Vnde ipse cũ indignatione repetit Reliquũ? Exigẽte namq; hærede à testatore rationes expensarum, & reliquias fructuum hæreditatis, indignatione testator excandescit, ideoque seruis præcipit, apparatiorem, lautioremque sibi cœnam præparent, vt hæreditatem, quam hæredi legare statuerat, reddat in dies minorem. Et interuenit hic duplex Epizeuxe, seu iteratio eiusdem vocis in eadem significatione, nam dicit: Nunc nunc, &, vnge vnge: quod facere ad vehementem indignationem, diximus in Instit. Orat. lib. 3. Tract. 3. cap 2. Impensius autem idem nunc valet, ac multo magis, nam vox impensa, propriè conuenit pecuniæ, quum expẽditur in aliquem vsum: pecunia autem ab initio non numerabatur, sed pendebatur: inde im-

impensius pro valde, & multo magis, quandoquidem, quod in lance propendet, id est abũdantius. Hinc in hac significatione vsus hac voce Sallustius de bello Iugurthino dicens: *Inter hęc negotia, Iugurtha impensius modo Legatos supplices mittere, pacem rogare, præter suam liberorumq; vitam, omnia Metello dedere.* Sic Columella lib. 3. cap. 21. *Ad omnem rationem vitæ, non solum agricolationis, sed cuiusque disciplinæ, prudentem delectant impensius, ea quæ proprijs generibus distinguuntur, quam quæ passim velut abiecta, & quodam aceruo cõfusa sunt.* Sic Plinius lib 6 epist. 4 *Impensius rogo, vt timori meo quotidie singulis, uel etiam binis epistolis consulas.* Et ita nunc sumitur, quando nunc vult multo magis expendere.

*CAVLES* Græcè καυλὸς. At καυλὸς est omne genus plantarum, caulis vero Latinè dicitur tantum de herbis, & ad summum extenditur ad frutices, nullatenus vero ad arbores. Vnde Isidorus lib. 17. cap. 10. ait: Caulis est generaliter herbarum, & olerum medius frutex, qui vulgo thyrsus dicitur, quod à terra sursum conscendat ex quo deriuatum est, vt specialiter quoddam genus olerum caulis diceretur, quia thyrsus ipsius amplius cæteris oleribus coalescit, idest crescit. Est autem generale nomen, omnis enim frutex, caulis: sed specialius, & appropriatè sumitur pro brassica, vnde quum Plinius dixisset de vite lib. 17. cap. 24. *Odit, & caulem, & omne olus, odit & corylum, ni procul absint tristis etq; ęgra* l. 24. c. 1. ait: *Perniciralia, & brassicę cum uite odia: ipsumq; olus quo uitis fugatur, aduersum cyclamino*

*mino & origano areſcit*. Sic etiam Mart. l. 13. epigr. 17.

*Ne tibi pallentes moueant faſtidia caules*
*Nitrata uiridis braſſica fiat aqua*.

Eſt autem caulis propriè ſcapus, ſiue thyrſus, aut illa herbę, ſeu fruticis pars, vnde folia, ſeu ramuſculi pendent. Plantæ ſiquidem radix, eſt terræ affixa: indeq; ſugit alimentum: rami verò dicuntur, qui à caudice, ſeu trunco exeunt: ſurculi verò, qui è ramis oriuntur: caules tandem ſunt illi, vnde folia manant. Sed hoc loco, caulis nomine, per ſenecdochen ſpeciei pro toto genere, intelliguntur quæcũque olera eſculenta, vt etiam apud Iuuenalẽ ſatyra 1. v. 134. Scio Virgilium etiam dictamo nomen caulis tribuiſſe dicens 12. Æneid. verſu 411.

*Hic Venus indigno gnati concuſſa dolore*
*Dictamnum genitrix Cretæa carpit ab Ida*
*Puberibus caulem folijs, & flore comantem*
*Purpureo*.

Plinium vero etiam fabis dum ait l. 18. c. 7. *Fabę caulem emittunt, nullis diſtinctum interdijs*. Sed loquuti metaphoricè, nam caulis propriè eſt olus eſculentum, & ſpecialiter braſſica.

*VRTICA* herba notiſſima, ita dicta, quod eius folia, etiam ſi ſpinis careant, leuiter tacta, ipſa lanugine pruritum excitẽt, cauſentq; puſtulas, aduſtorum ſimiles. Affirmant plerique vrticam coctam, cibum eſſe vtiliſſimum, & ſalubrem, conferreq; lieni, ventris duriciei, laborantibus podagra, vel morbo articulari, aut tuſſi; purgare etiam ſtomachum, vrinam

eijcere, & in alijs multis morbis ad sanitatem conferre. Nihilominus vix inuenitur, qui eam velit in cibum assumere, & propterea testator iste nunc indignatur aduersus futurum hæredem, quod adeo suum defraudauerit genium, vt vrticam etiam esitauerit cum alijs vilioribus, quo ditiorem relinqueret hæredem, qui bona taliter parta, & conseruata, in ganeis, popinis, & lustris breui esset dilapidaturus, ideoque nunc in se reuersus, præcipit sibi delicátius obsonari, innuens quod expressit deinde I. uenalis dicens, sat. 14. v. 136.

*Sed quo diuitias hæc per tormenta coacta,*
*Quum furor haud dubius, quum sit manifesta phrenesis,*
*Vt locuples moriaris egentis uiuere fato.*

Et reliquere hæredi, quæ breui cōsumat æuo. Sic Horatius lib. 2. carminum ode 14.

*Absumet hæres cæcuba dignior*
*Seruata centum clauibus, & mero*
*Tinget pauimentum superbum*
*Pontificum potiore cœnis.*

Testator autem iste, nedum profestis, sed ipsis etiam festis diebus, vrticam, & alias viliores escas edere consueuerat, etiam si alij, quamuis pauperes festis saltem diebus pretiosiora absumerent, vnde Tibull. lib. 2. eleg. 1.

*Vina diem celebrent: non festa luce madere*
*Est rubor, errantes, & malè ferre pedes.*

Et ita testator nunc suam exaggerat sordidam abstinentiam, & simul hæredis ingratitudinē, & cupiditatem. Nunc de vrtica Plinius audiendus, qui sic ait l. 21. c. 15. [ Vrtica maximè noscitur, acetabulis in flore purpuream la-

lanuginem fundentibus, sæpe altior binis cubitis; plures eius differentiæ, siluestris quam fœminam vocant, mitior: & in siluestri, quæ dicitur cania, acrior, caule quoque mordaci, fimbriatis folijs: quæ vero etiam odorem fundit, herculanea vocatur. Semen omnibus copiosum, nigrum. Mirum, sine vllis spinarum aculeis, lanuginem ipsam esse noxiam, & tactu tantum leni, pruritum, pustulasq; confestim, adustio similes existere. Notum est, & remediũ olei. Sed mordacitas non protinus cum ipsa herba gignitur, nec nisi solibus roborata: incipiens quidem ipsa nasci vere, non ingrato, multis etiam religioso in cibo est, ad pellendos totius anni morbos. Siluestrium quoque radix, omnem carnem teneriorem facit, simul cocta.] De vtilitatibus vero eiusdem vrticæ ad morbos pellendos, sic loquitur idem Plin. l. 22. cap. 13. [Vrtica quid inuisius esse potest? At illa præter oleum, quod in Ægypto ex ea fieri diximus, vel plurimis scatet remedijs. Semen eius, cicutæ contrarium esse Nicander affirmat: item fungis, & argento viuo. Apollodorus, & salamandris, cum iure decocta testudinis: item aduersari hyoscyamo, & serpentibus, & scorpionibus. Quin illa ipsa amaritudo mordax, vuas in ore, procidentesque vuluas, & infantiũ sedes, tactu resilire cogit. Lethargicos expergisci tactis cruribus, magisq; fronte: eadem canis morsibus addito sale medetur: sanguinem, trita naribus indita, sistit, & magis radice: carcinomata, & sordida vlcera, sale admixto: item luxata sanat, & panos, parotidas, carnesq; ab ossibus recedentes.

res. Semen potum cum sapa, vuluas strangulantes aperit, & profluuia narium sistit, impositum. Vomitiones in aqua mulsa sumptum à cœna faciles præstat, duobus obolis: vno autem, in vino poto, lassitudines recreat. Vuluę vitijs tostum, acetabuli mensura: potum in sapa, resistit stomachi inflationibus; Orthopnoicis, prodest cum melle, & thoracem purgat eodem ecligmate: & lateri medetur cum semine lini. Difficilem ventrem, tostum c[illegible], emollit. Hippocrates, vuluam purgari poto eo, pronunciat Dolores leuari, tosto acetabuli mensura dulci poto, & imposito cum succo maluæ. Intestinorum animalia pelli cum hydromelite, & sale. Defluuia capitis, semine illito, cohonestari. Articularibus morbis, & podagricis, plurimi cum oleo vetere, aut folia cum adipe vrsino trita imponunt. Ad eadem radix tusa cum aceto, non minus vtilis: item l[illegible]eni. Et cocta in vino, discutit panos, cum axũgia vetere salsa, eadem psilothrum est sicca. Condidit laudes eius Phanias physicus, vtilissimam cibis coctam, conditamue professus arteriæ, tussi, ventris distillationi, stomacho, panis, parotidibus, pernionibus: cũ oleo, sudorem, coctam cum conchulis ciere aluum, cum ptisana pectus purgare, mulierumque menses: cum sale, vlcera quæ serpunt cohibere. Succus quoq; in vsu est: expressus, illitusq; fronti, sanguinem narium sistit: potus vrinam ciet, calculos rumpit, vuam, gargarizatus, reprimit.] Ad omnia hęc, & mitiores quidem tenerræq; efficaces, sed præcipuè siluestris.

*FISSA* à verbo findo, scindo, seu diuido cũ qua-

quadam violencia, quamuis & sine ea dixerit Ouid 4. metamorph.

*Fissus erat tenui rima, quam duxerat olim,*
*Quum fieret paries, domui communis utriq;*

Sic Cicero 2. de Diuinat. *Ab aqua, aut ab igni pericula mouent, tum hæreditates, tum damna denunciant: fissum familiare, & uitale tractant, caput iecoris ex omni parte diligentissimè considerant si uero id non est inu ntum, nihil putant accidere potuisse tristius* Et paulò inferius: *Nũ etiam si fissum cuiusdammodi fuerit in iecore, lucrum ostenditur, qua ex cognatione naturæ, & quasi concentu atque consensu, quam sympathiã Græci appellãt, conuenire potest, aut fissum iecoris cum lucello meo, aut meus quæsticulus cum cęlo, terra, rerumq; natura.* Et ita nunc auris fissa erat diuisa, vel scissa, cuiusmodi fuisse esse solent, & salitæ conseruari.

*FVMOSVM* aliquando denominatur id, quod fumum emittit, vel fumo emittendo est idoneum, vt lignum viride, herba, aut fœnum igni apposi ũ, vt nos interpretabamur ad satyræ 1. vers. 72. Sed nonnumquam fumosum dicitur, quod est fumo tinctum, & coloratum; & ita Virgil. ait 2 Georg. v. 241.

*—— tu spisso uimine qualos,*
*Colaq; prælorum, fumosis deripe tectis.*

Sic Horatius 2. serm. s. t. 2.

*—— uides metato in agello*
*Cum pecore, & gnatis fortem mercede colonum*
*Non ego narrantem temere edi luce profesta*
*Quidquam præter olus fumosæ cũ pede pernę.*

Sic Petronius rbiter in atyrico: *Enothea mensam ueterem posuit in medio altari, quam*

*uinis implenit carbonibus: & camellam etiam uetustate ruptam, pice temperata, refecit. Tum clauum, qui detrahentem secutus cum camella lignea fuerat, fumoso parieti reddidit. Mox incincta quadrato pallio, cucumam ingentem foco adposuit, simulq; pannum de carnario detulit furca, in quo faba erat ad usum reposita, & sincipitis uetustissima particula, mille plagis dolata.* Antiquæ etiam imagines, metaphoricè fumosæ sunt appellatæ, quia vetustate quasi fumo tinctæ videntur. Et sic Cicero in Pisonem ait: *Obrepsisti ad honores errore hominum, commendatione fumosarũ, imaginũ, quarũ simile habes nihil præter colorem.* Verum hic absque vlla metaphora fumosum ponitur, nam dicere intendit: Egone pascar vilissimis, & palato ingratissimis cibis, oleribus scilicet, & vrticis cum suillo capite salito, & ad fumum siccato, vt hęres deinde meus, bona, tot laboribus, & abstinentia quæsita, breui, helluando absumat!

*VT tuus iste nepos.* Testator ad seipsum quasi ad aliam personam loquitur, significans indignationem ortam ex eo, quod bona relicturus erat hęredi nedum ingrato, sed qui illa breui consumpturus erat. Sic Salianus ad Ecclesiam Catholicam l.4. ait: [Sed videlicet magna causa est, qua tibi abstinentia, ac ieiunio tuo placeas, qui ad hoc ieiunasti, ad hoc parcè exiliterque vixisti, non vt post mortem tuam egenos facultatibus tuis pasceres, sed vt censum, cuiuscumque hęredis diuitijs amplıares: magnos videlicet abstinentiæ fructus capis. Minus enim panis tu manducasti, vt

aurum

aurum alius haberet: Tibi venter frugalitate decreuit, vt cuiuscunque hominis, fortasse vitiosi, thesaurus cresceret. Quum ergo ad iudiciũ Dei veneris, iure imputare ei iudicium tuum poteris, dicens: Ieiunaui Domine, & abstinui, ac diu me ab omnium deliciarum fruge suspendi, & res hoc probat. Ecce enim nunc hæredes mei, de meo affluunt immensarum diuitiarum copijs & abundant. Et vt aliquid etiam de Euangelica lectione præsumas, hoc quod Saluator dixit de perditissimo illo diuite, potes & forsitan de hæredibus tuis dicere. Induuntur purpura, & bysso, & epulantur splendidè, incubant defossis à me talentis, premunt argenti, & auri congestas strues: materiam quoque his voluptatum omnium præparaui: distenduntur delicijs à me relictis. Ego diu abstinui, vt nunc illi ebriarentur: crapula est illorum frugalitas mea; natant tricliniorum redundantium pauimenta vino; falerno nobili lutum faciunt: mensæ eorum, ac tereumata mero iugiter madent, semper vdæ sunt; luxuriant in peristromatis, quæ ego feci. fornicantur in sericis, quæ reliqui. Et quum hæc omnia pro te dixeris, quomodo non æternam à Christo remunerationem mereri poteris, cui in talibus sanctis, tantarum deliciarum copiam præparaueris? O quanto melius, quæcumque illa es, quanto melius, & salubrius pauper fueras, & egestuosa, quam diues! paupertas enim te Deo insinuare potuisset, diuitiæ ream esse fecerunt. Rectius ergo per indigentiam salua fieres, quam per opes tuas, te, & alios prægrauasses: te scilicet

dum malè alijs relinquis; alios, dum à te relicta, & ipsi inhumanissimè male possident, & post se malè alijs derelinquunt. Si vis ergo, quæcumque illa es, si vis tibi esse consultum, si vis æternam habere vitam, & cupis videre dies bonos, relinque substantiam tuam indigentibus sanctis, relinque claudis, relinque cæcis, relinque languentibus, sint facultates tuæ alimenta miserorum, sit opulentia tua pauperum vita, & illorum refrigeria præmia tua sint, vt illorũ refectio te reficiat. Si enim illi de tuo edent, tu saturaberis: si illi de tuo bibent, tu sitis tuæ æstum, ardoremque restingues: te illorum vestitus vestiet, te illorũ apricitas delectabit. Non ergo vile, ac despicabile putes, si substantiam tuam miseris, atq; egentibus derelinquas: Christum in illis facies hæredem. Et quid dicam de Christi nomine? Christum quidem hæredem facis, sed hæreditatis emolumenta percipies: quæcumque enim Christo reliqueris, per Christum omnia possidebis.

*NEPOS* propriè est filius filij, vel filiæ. Sic accepit Cicero dicens pro Rege Deiotaro: *Crudelis Castor qui, nepos, auum in discrimen capitis adduxit*. Sed in numero multitudinis nepotes dicuntur posteri omnes eiusdem stirpis. Sic Virg. 6 Æn. v. 681.

*omnemque suorum*
*Fortè recensebat numerum, charosq; nepotes.*

Sed quum alia multa hoc nomine significentur, frequentius eo importantur luxuriosi. Sic Horatius 1. ser. sat. 8.

*Hoc miseræ plebi stabat commune sepulchrum*

*Pan-*

*Pantolabo scurræ, Nomentanoq; Nepoti.*

Et lib. 2. sermon satyra 1. inquit:

*Quanto rectius hoc, quam tristi lædere versu*
*Pantolabum scurram Nomentanumq; nepotẽ.*

Et idem Horat. eod lib. 2. ser. sat 3.

*Nunc age luxuriam, & Nomentanum arripe mecum,*
*Vincit enim stultos ratio insanire nepotes.*

Sic Cicero, oratione prima in Senatu pro lege agraria contra P. Seruilium Rullum Tribunum plebis, ait: *Videte nunc proximo capite, vt impurus helluo turbet Remp. ut à maioribus nostris possessiones relictas, disperdat, & dissipet, vt sit non minus in populi Romani patrimonio nepos, quã in suo.* Dicti autem nepotes, vel ideo, quia pueri parentibus orbati, si in auorum sint potestate, dissoluti & nequam plurimum euadunt: nam aui patribus plerumque sunt indulgentiores, &, si velint morosi esse, aut seueri, a pueris, parentum metu solutis, facilè contemnuntur, & irridentur. Vel ideo, quia sicut illi solent esse frugi, qui experientia nouerunt labores exantlatos in acquisitione diuitiarum, sicut filij, qui, vtpotè ætate prouectiores, & iudicio pollẽtes, æstimare potuerunt parentum suorum labores in facultatibus comparandis; Nepotes, dum talia non attendant, facilè auorum congesta dilapidãt. Vel quia nepos sit dictus à nepa, nempe scorpione, vt vocat Cicero in Phœnomenis Arati dicens:

*Dum Nepa, & Arcitenens inuisant lumina Cæli*

*Non secum medium pandet Nepa, tollere vero*

*In Cælum totum exoriens conabitur arcus.*

De Scorpione vero Plin. ait lib. 11. cap. 25. *Quidam & ab ipsis fœtum deuorari arbitrantur, vnum modo relinqui solertissimum, & qui se ipsius matris clunibus imponendo, tutus & à cauda, & à morsu, loco fiat: hunc esse reliquorum vltorem, qui postremo genitores supernè cōficiat.* Ab hac ergo nepa, nempe scorpione, siue suos fœtus deuorante, siue genitores conficiente, nepotum nomine intelliguntur helluones, & luxuriosi. Et sic nunc sumitur nepos.

*OLIM*, aduerbium ad omnia se tempora extendit. Ad præteritum apud Terent. Hecyra Actu 4. scena 1.

*Sed nunc mihi in mentem venit*
*De hac re, quam locuta es olim, quum illum*
*generum cepimus.*

Sic legimus sculptum in quodam lapide sito in turri posita in faucibus, & ostio fluuij Liris, seu Gariliani,

*Hanc olim terram vestauit gens Agarena*
*Scandens hunc fluuium. fieri ne postea possit*
*Princeps hanc turrim Pandolphus condidit*
*hero,*
*Vt sit structori decus, & memorabile nomen.*

De præsenti ait Virgil. Eclog. 10. v. 34.

*Vestra meos olim si fistula dicat amores.*

De futuro vero legitur sculptum tetrastico supra portam Campanam Neapolim respiciētem, sic:

*Sub muro quondam tripedali, & pene labanti*
*Campani assueti Regum bene iura tueri,*
*Vt melius sit res olim defensa Philippi*
*Muniri firmis curarunt arcibus vrbem.*

Sic etiam Virgil.1.Æneid.v.290.

*Nascetur pulchra Troianus origine Cæsar*
*Imperium Oceano, famam qui terminet astris*
*Iulius à magno demissum nomen Iulo:*
*Hunc tu olim Cælo, spolijs Orientis onustum*
*Accipies.*

Et 10. Aeneid. vers.11.

*Adueniet iustum pugnæ (ne arcessite) tempus*
*Quum fera Carthago Romanis arcibus olim*
*Exitiũ magnum, atq; Alpes immittet apertas*
*Tum certare odijs, tum res rapuisse licebit.*

Et hoc modo nunc sumitur pro tempore futuro. Vult enim dicere, quod quando hæres hæreditatem fuerit adeptus, eam in ganeis, lustris, popinisque pessumdabit.

*SATVR* idem est, ac plenus: & hinc Plin. inquit l.37. c.10. *Ion apud Indos violacea est, sed raro saturo colore lucet*. Vbi color saturus proculdubio idem est, ac plenus, siue abundans: verum in hoc loco Plinij, vox ea posita metaphoricè, nam propriè saturus dicitur de eo, qui cibo est plenus. Sic Terent. Hecyra Actu 5. scena 2. inquit:

*Sed quum tu satura, atque ebria eris, puer vt satur sit facito.*

Sic idem Terent. Adelphis Actu 5. sc.1.

*– sed postquam intus sum omniũ rerũ satur,*
*Perambolare hunc lubitum est.*

Sic Virgil. Ecloga 10. v.77.

*Ite domũ saturæ, venit Hesperus, ite capellæ.*

Et hoc modo nunc sumitur propriè, pro eo, qui cibo erat satur.

*ANSERIS extis.* Exta sunt viscera in corpore animantis, ex quibus aruspices futura

prædicebant; & vt ait Plin.l.11.c.37. *Exta homini ab inferiori viscerum parte separantur membranis, quę præcordia appellant.* Ibidemq; inquit: *Iecur in dextra parte est, in eo, quod caput extorum vocant, magnæ varietatis.* Et hic extorum nomine specialiter intellexisse puto ipsorum caput, nempe iecur, quod erat in mensarum delicijs, ingentique veniebat pretio: & ad hūc finem pastores conducebantur, qui anseres dulcibus pascerent, quibus horū iecora fierent maiora, vt Horat. innuit dicens 2. serm. sat. 8.

*Pinguibus, & ficis pastum iecur anseris albi:* ficis enim, & alijs huiusmod: pasti anseres, intantum eorum crescebant iocinora, vt dixerit Iuuenalis sat. 5. v. 114.

*Anseris ante ipsū magni iecur, anseribus par.* Et Martial. lib. 13, epigr. 52.

*Aspice quā tumeat magno iecur ansere maius*
*Miratus dices, Hoc rogo creuit ubi?*

Et hinc Plinius ait l. 10. c. 22. *Nostri sapientiores, qui eos anseres iecoris bonitate nouere. Fartilibus in magnā amplitudinem crescit, exēptum quoque lacte mulso augetur. Nec sine causa in quæstione est, quis primus tantum bonum inuenerit, Scipio Metellus uir consularis, an M. Sestius eadem ętate eques Romanūs. Sed, quod constat, Messalinus Cotta, Messalæ Oratoris filius, palmas pedum in his torrere, atq; in patinis cum gallinaceorum cristis condire reperit. Tribuetur enim à me culinis cuiusq; palma cum fide.* Columella etiam sic loquitur l. 8. c. 14. *Mox ubi quatuor mensium sunt anseres farturæ, maximus quisq; destinatur, quoniam*

*tenera ætas precipuè habetur ad hanc rem aptissima; & est facilis harum auium sagina, nam præter pelentam, & pollinem, ter die, nihil sanè dari necesse est, dummodo largè bibendi potestas fiat, ne vagandi facultas detur, sintq; calido, & tenebroso loco: quæ res ad creandas adipes multum conferunt: hoc modo duobus mensibus pinguescunt: & ea propter etiam tenerrima pullities sæpe quadraginta diebus redditur opima.* Sed hic nõ de totis anseribus sermo est, sed de extis, vel iecoribus eorũ, quæ magno venibant pretio, erant enim in deliciosorum voluptatibus, & propterea mensæ huius nepotis proportionata.

*MOROSA*, videlicet curiosa, & difficilium morum, & cui ferè nulla famulantium diligentia satisfacere possit. Sic accepit Cicero dicens 1. de Oratore: *Vsq; adeo morosi sumus, ut nobis non satisfaciat ipse Demosthenes.* Sic etiam Suetonius dicens in Iulio c. 45. *Circa corporis curam morosior, ut non solum tonderetur diligenter, ac raderetur, sed uelleretur etiã, ut quidam exprobrauerunt.* Et hoc modo nũc sumitur, pro fastidiente habita, & possessa, nouaq; quærente.

*VAGO*, à verbo vagor: hoc autem quibusdam placet esse à ve pro valde, & agor, siue ferori alijs esse à vi agor. Vtcumq; sit, conuenimũt in significatu, nam sumitur pro oberrare, seu esse instabilem, nec diutius in eodem loco cõsistere. Sic Virg. 4. Aeneid. v 68.

*Vritur infelix Dido, totaq; uagatur*
*Vrbe furens, qualis coniecta cerua sagitta.*

Sic Cicero pro M. Fonteio: [ An vero dubita-

tis Iudices, quin insitas inimicitias istę Gétes omnes, *Galli*, & habeant, & gerant cum populi Romani nomine? Sic existimatis eos hic sagatos, bráchatosq; ac versari animo demisso, atque humili, vt solent ij, qui affecti iniurijs, ad opem Iudicum supplices, inferioresq; confugiunt? Nihil vero minus: hi contra vagantur læti, atq; erecti, passim toto foro cum quibusdam minis, & barbaro, atque immani terrore verborum.] Eodemque modo idem Cicero inquit l.2.de natura Deorum; [ Tum Balbus, eumdem inquit mallem audire Cottam, dum, qua eloquétia falsos Deos sustulit, eadem veros inducat. Est enim & Philosophi, & Pontificis, & Cottæ, de Dijs immortalibus habere, non errantem, & vagam, vt Academici, sed vt nostri, stabilem certamq; sententiã.] Et ita hic, vagum, instabile significat, inconstans, seu desultorium, quod numquam præsentibus sit contentum, sed, his spretis, ad non habita adspiret.

*SINGVLTIET*. Singultire est singultus emittere: & est quędam species conuulsionis, quæ accidit ex nimia spirituum suppressione, siue ob exinationem, siue ob nimiam repletionem, vel etiam ob ventriculi erosionem factam humoribus acrioribus, quos quum facultas expultrix nequeat proprijs viribus expellere, motricem in auxilium arcessit, à qua spiritus illi, seu humores noxij pelluntur, nec sine violentia & sonitu: & ita in ventriculo cietur genus illud conuulsionis, quod singultum appellant. Itaque Plin.l.23.c.1.ait: [Quod ad febrium valetudines attinet, certũ

est

est non dandum in febre vinum, nisi veteribus ægris, nec nisi decl nante morbo: in acutis vero periculis, nullis nisi, qui manifestas remissiones habeant, & has noctu potius: dimidia enim pars periculi est noctu, hoc est spe somni, bibentibus: nec a partu, abortuue, nec à libidine ægrotantibus, nec in capitis doloribus, nec quorum accessiones cum frigore extremitatum fiant, nec in febri tussientibus, nec in tremore, neruorumque doloribus, vel faucium, aut si vis morbi circa illa intelligatur, nec in duritia præcordiorum, venarum vehementia, neque in opisthotono, tetano, nec singultientibus.] Et idem Plin. infra eodem cap. 1. subdit: [Vini vitium transit in remedia: aceto summa vis est in refrigerando, non tamen minor in discutiendo: ita fit, vt infusũ terrę spumet. Dictum est sæpius, diceturque quoties cum alijs prosit. Per se haustum, fastidia discutit, singultus cohibet, sternutamẽta olfactu: vim in balineis, æstus arcet si contineatur ore.] At Celsus lib. 2 cap. 7. inquit: *Frequens singultus, & præter consuetudinem continuus, iecur inflammatum esse significat.* Virgil. hoc verbo vius frequentatiue 9. Aeneid. vers. 332.

*Tũ caput ipsi aufert domino, truncumq; relinquit*
*Sanguine singultante.*

Horat. vero aduerbialiter dicens 1. ser. sat. 6.

*Vt ueni coram singultim pauca locutus.*

singultim dixit, hoc est interruptè, & pausando per morulas, more singultientium. Et hoc modo nunc accipitur meiere singultiendo: loquitur enim de illo actu meiendi, qui

exercetur per pausas; & morulas, ad modum singultientium.

*INGVINA* quamuis multoties sumantur pro pudendis vtriusq; sexus, iuxta illud Martialis lib. 7. Epigrammate 17.

*Mixtisque mouemur inguinibus!*

Nihilominus secundum vocis proprietatem, sunt partes vtrimque pubi vicinæ tam in viro, quam in fœmina. Et hinc Plinius l. 27. c. 5. *Aster ab aliquibus bubonion appellatur, quoniam inguinum præsentaneum remedium est: cauliculus folijs oblongis duobus, aut tribus, in cacumine capitula stellæ modo radiata: bibitur aduersus serpentes: sed ad inguinum medicinam, sinistra manu decerpi iubent, & iuxta cinctus alligari.* Horatius etiam ait l. 1. ser. sat. 8.

*fures dextra coercet*
*Obscænoq. ruber porrectus ab inguine palus.*

Et Virg. Eclog. 6. versu 74.

*Quid referam, aut Scyllam Nisi? aut quam fama secuta est.*
*Candida succinctam latrantibus inguina monstris.*
*Dulichias uexasse rates?*

Sic Celsus lib. 7. cap. 20. [ Per ea, quæ supra scripta sunt, leuato malo, si quando alias dolor reuerterit, eadem erunt facienda. Sine dolore quoque, si multa intestina prolapsa sunt, secari superuacuum est, non quod excludi à scroto non possint, nisi tamen id inflammatio prohibuit, sed quo repulsa inguinibus immorentur, ibiq; tumorem excitent, atque ita fiat mali non finis, sed mutatio. At in eo, quem scalpello curari oportebit, simul

atq; ad mediam tunicam vulnus in inguine factum peruenerit, duobus hamulis ea iuxta ipsas oras apprehendi debebit, dum eductis omnibus membranulis, medicus eam liberat. Neque enim cum periculo leditur, quæ excidenda est, quum intestinum esse, nisi sub ea non possit. Vbi deducta autem erit, ab inguine vsque ad testiculum incidi debebit, sic ne ipse lædatur, tum excidi. Ferè tamen hanc rationem pueriliis ætas, & modicum malum recipit. Si vir robustus est, maiusq; id vitium est, extrahi testiculus non debet, sed in sua sede permanere. Id hoc modo fit: inguen eadem ratione, vsque ad mediam tunicam scalpello aperitur, eaque tunica eodem modo duobus hamis excipitur, sic vt à ministro testiculus eatenus contineatur, ne per vulnus exeat. Tum ea tunica deorsum versus scalpello inciditur, sub eaq; index digitus sinistræ manus ad imum testiculū demittitur, eumq; ad plagam compellit. Deinde dexteræ manus duo digiti, pollex atque index, venam & arteriam, & neruum, tunicamque eorum à superiori tunica diducunt. Quod si aliquæ membranulæ prohibent, scalpello resoluuntur, donec ante oculos tota iam tunica sit. Excisis, quæ excidenda sunt, repositoq; testiculo, ab ora quoq; eius vulneris, quod in inguine est, demenda habenula paulo latior est, quo maior plaga fit, & plus creare carnis possit.] Et ita nūc sumitur pro partibus pubi vicinis.

*VENA* propriè est conceptaculum sanguinis, mixti etiā spiritibus vitalibus. Vnde Plin. l. 11. c. 37. inquit; [Vbi sunt nerui, inferiores

conducunt membra,superiores reuocant. Inter hos latent arteriæ, ideſt ſpiritus ſemitæ. His innatant venæ,ideſt ſanguinis riui. Arteriarum pulſus in cacumine maximè membrorum euidens,index ferè morborum,in modulos certos legeſq; metricas, per ætates ſtabilis,aut citatus, aut tardus,deſcriptus ab Herophilo medicinæ vate miranda arte,nimiam propter ſubtilitatem deſerto.Obſeruatione tamen crebri,aut languidi ictus,gubernacula vitę temperat. Arteriæ carent ſenſu, nam & ſanguine,nec omnes vitalem continent ſpiritum: præciſiſque torpeſcit, tantum pars ea corporis.Aues nec venas,nec arterias habẽt, item ſerpentes,teſtudines, lacertæ, minimũq; ſanguinis.Venæ in pęrtenues poſtremo fibras ſubter totam cutem diſperſæ,adeo in anguſtã ſubtilitatem tenuantur, vt penetrare ſanguis non poſſit,aliudue,quam exilis humor ab illo qui cacuminibus innumeris ſudor appellatur. In vmbilico venarum nodoſo coitu. ] Metaphoricè etiam venæ aliarum rerum dicuntur, vt aquarum,& mineralium in viſceribus terræ, vnde legimus Iob 28. *Habet argentum venarum ſuarum principiũ, & auro locus eſt in quo conflatur.* Et vlteriori etiam metaphora lapidum dicuntur venæ, immo & lignorum quædam colorum varietas,à natura impreſſa, illorum vena dicitur, qua maximè commendabantur menſę citreę,vt diximus ad ſaty.1. verſ.53.Sumitur etiam nonnumquam vena pro virili pudẽdo,in quo ſenſu dixit Martial. lib.6. epigrammate 49.

*Non ſum de facili dolatus vlmo,*

Nec

*Nec quae stat rigida supina vena*
*De ligno mihi quolibet columna est.*

Sic etiam in Priapedia epigr. 33.

*Naiades antiqui, Dryadasq; habuere Priapi,*
*Et quo tenta Dei vena subiret, erat.*

Et hoc modo nunc intelligitur vena, est enim virile membrum luxuriosi hęredis.

· *PATRICIAE.* Patricij erant digniores inter Senatores: non enim quicumq; Senatores, quantumuis nobilissimi, ij continuo Patricij: immo hi, Principis, vel Dictatoris legebantur arbitrio. Hinc legimus apud Tacitum 11. Annal. c. 7. *Iisdem diebus in numerũ Patriciorum adsciuit Cæsar vetustissimum quemque è Senatu, aut quibus clari parentes fuerunt: paucis iam reliquis familiarum, quas Romulus, maiorum, & L. Brutus, minorum Gentium appellauerant: exhaustis etiam, quas Dictator Cæsar lege Cassia, & Princeps Augustus lege Senia, sublegere.* Itaque pluris fiebat esse Patricium, quam Senatorem, atque adeo isti erant omniũ nobilissimi, ab omnibus culti, quasi Patres populi, & etiam Senatus. Ex quo conijcere potes quantos addant tumentes spiritus abũdantes diuitiæ, siquidem hæres iste, noua auctus hæreditate, nedum vulgarem, atque plebeiam, sed Senatoriam etiam incipit Venerem fastidire, & pecuniarum profusione, in patriciarum, idest omnium nobilissimarum thalamos irrumpere: vnde narrat Tacitus 4. Annalium c. 1. Seianum, etiam Drusi Cæsaris vxorem corrupisse. Vt non fiet mira, quæ Horatius refert tam l. 1. serm. satyra 2. quam lib. 2. satyra 7. ad hanc rem facientia. Immerito-

re

re autem est intus meiere, sicut immergere, est intus mergere, & innatare, est intus natare. Meiere autem propriè est reddere lotium, siue vrinam emittere. Loquitur autem hoc modo Euphonismi, vel modestiæ causa: sed lotij voce sperma intelligit.

*TRAMA* à trameando dicta, idest transeũdo, quia transit inter filum, & filum, videlicet inter stamen, & subtegmen, mutua superequitatione, propriè est filum, quod stamini ex aduerso intertexitur. In pannorum siquidem textura tria plerumq; veniunt, stamen scilicet, substamen, siue subtegmen & trama: quorum, stamen, & substamen, filo constant duriori, & magis retorto: trama vero, filo molliori, minusq; torto: quo molliori filo, & ita laxo, opus est, ad hoc, vt spina fullonia in traiectione villos excitare possit, & ita panni mollescant. De hac re sic loquitur Seneca epistola 90. *Ecce Possidonius, vt mea fert opinio, vnus ex ijs, qui plurimum philosophiæ contulerunt, dũ vult describere primum quemadmodum alia torqueãtur fila, alia ex molli, solutoque ducantur, deinde quemadmodum tela, suspensis ponderibus rectum stamen extendat, quemadmodum subtegmen insertum, quod duritiam vtrimque comprimentis tramæ remolliat, spata coire cogantur, & iungi, textrini quoq; artem à sapientibus dicit inuentam.* Verum hic tramæ nomine in primis per senecdochê vnius speciei pro alia, intelligit stamen, vel subtegmen: alioquin trama etiam in noua, & recenti veste apparet, quod est contra intentum poetæ hic, volentis apparere tantum ossa, vt subtegmen in veste

de-

detrita, & vsu, seu vetustate consumpta. Deinde tramæ, seu staminis, vel subtegminis nomine, per metaphoram, intelligit habitum corporis extenuatissimi, adeo vt in eo omnia possent ossa numerari: vt erat in illis, de quibus ait Aurelius Prudens apotheosi aduersus phantasmaticos, ideſt Manichęos.

*Vanescat sanguis perstabilis, ossa liquescant*
*Mollia, neruorum pereat textura volantum.*

Vnde trama figuræ illorum eſt, in quibus tam ossa, quam nerui, & venæ præ macie, & pulposæ carnis defectu, eodem apparent modo, sicut trama in consumpta, & detrita veste.

*TREMAT omento.* Tremere quamuis frequenter accipiatur per metonymiam effectus pro causa, pro metuere, siquidem formido eſt causa tremoris: nihilominus hic ponitur propriè pro concuti, seu vacillare ad quemcumque etiam leuissimum impulsum, aut tactum: immo nonnumquam ad tactus suspicionem, quod videmus accidere in supradictum obesis, pinguibus & sagiaatis, vt etiam in pulposas carnes habentibus, concutiuntur enim ad tactus suspicionem: & id vult testator euecaturum hæredi, si sua augeatur hæreditate. Omentum vero ad satyrę 2. verſ. 47. diximus esse pinguem tenuemq; membranam, quæ ventris inferiores partes integuntur, & quod ad quemcumque leuissimum tactum concutitur, ac vacillat ob tenuitatem. Et hoc etiam modo nunc sumitur.

*POPA venter.* Popa dicebatur victimarius, siue sacerdos, qui videlicet victimas cædebat, & immolabat in Deorum sacrificium: nam

quum

quum ei omnium immolatorum cederent exta, ijs probè suum curabat corpus, & propterea plerumque abdomen pinguedine tremulum habebat. Vnde Propertius inquit lib. 4. elegia 3.

*Illa dies hornis cædem denunciat agnis,*
*Succinctiq; calens ad noua lucra popæ.*

Sic Suetonius in Caligula c. 32. *Admota altaribus victima, succinctus poparum habitu, elato alte malleo, cultrarium mactauit.* Verum hic venter popa dictus, lurco, & gulosus, cupediarum receptaculum: sicut popinæ sunt tabernæ, in quibus cupediæ, & escæ gulosæ venales habentur.

*VENDE animā lucro, mercare, atq; excute sollers omne latus mundi, ne sit præstantior alter Cappadocas rigida pingues pauisse catasta.* Ordo est: Vende animam lucro, mercare, & excute sollers omne latus mundi, ne sit alter præstantior pauisse Cappadocas pingues catasta rigida. Hæc est huius Satyræ coronis, qua manifestatur, & præ oculis ponitur diuitiarum inexplebilis cupiditas: ex qua inferendum relinquit, fatuè, perperamque illos facere qui, congestis parcunt, & quotidie student thesaurorum aceruationi, quum nihilominus plura habendi famem explere non possint, immo iuxta Iuuenalem sat. 14. v. 138.

*Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit.*

Et minus hanc requirit, qui minus habet, minusq; indiget pauper, quam diues, iuxta illud Ausonij epigr. 131. quod idem adfert Io. Ouuen in monostichis Ethicis, & politicis 38.

Non

*Non est diues opum diues, nec pauper inopsq;*
*Infelix, alio nec magis alter eget.*
*Diues eget gemmis, cereali munere pauper:*
*Quum egeant ambo, pauper egens minus est.*

Quod autem hic ait; *Vende animam lucro*, Bond, & alij nonnulli, existimant esse verba Manij. Alij vero credunt verba esse hæredis, volentis, vt testator, quo plura relinquere sibi posset, animam, hoc est vitam, lucro venderet, videlicet mortis exponeret periculo, pro lucro faciendo, vt Charmides ille apud Plautum Trinummo Actu 4. sc. 1. ait:

*Quibus ærumnis deluctaui, filio dum diuitias quæro.*

At fortè melius dicetur, esse verba testatoris, monentis cupidum hæredem, vt si velit ditescere, ipse per se mercaturam exerceat, suoq; vitæ periculo diuitias curet aceruare; ita namque expertus quantis laboribus partæ fuerunt, diligentius eas asseruabit, nec in lustris, & popinis cum dedecore absumet. Sed certè meo videri, verba ista Catholicum, scilicet vniuersale, aut generale continent præceptum, à singularibus personarum circumstantijs abstractum, prorsus vt coronidem decet. Quod autem hic dicitur *Mercare*, verbum istud exprimit speciale genus lucri, cui anima sit vendenda, seu pro quo periculis exponenda vita, nimirum mercatura. Et similiter, quod ait: *Excute sollers omne latus mundi*; Excutere significat tum alia multa, tum diligenter inuestigare. Et sic accepit etiam Cicero pro Sexto Roscio Amœrino, dum ait: *Nihil est, Glaucia, quod metuas, non excutio te*

*si quid ferri habueris*, hoc est. Non istud de te inquiro. In quo etiam sensu Quintilianus ait lib. 7. cap. 2. *Excussæ sunt illius vestes, & aurum in sinu eius inuenerunt.* Vnde horum verborũ sensus erit, vt præcipiatur nauigatio in omnẽ mundi regionem, & quocumq; lucri spes inuitauerit: & diligens inuestigatio formæ ditescendi. Vt etiam, quod additur: *Ne sit præstantior alter.* Præstans, ex quo venit comparatiuum præstantior, idem est, ac excellens, seu melior cęteris eiusdem generis, in quo quis præstare dicitur, vt in proposito, excellens in quærendis, emendis, pascendis, distrahendisque seruis Cappadocibus, is in hoc genere mercaturæ præstantior iudicatur.

*CAPPADOCAS* è Cappadocia quæ est Prouincia Asiæ minoris, quam describit Plin. l. 2. c. 2. & 3. Et teste Solino, læuo latere vtramq; tangit Armeniam, atque Comagenam, dextero vero multis Asiæ populis circumfusa, vsque ad Tauri iuga, & Solis ortum attollitur. Verum alij arctius eam describunt, dicentes eam esse Ponti regionem, Armeniæ ex Orientali parte conterminam: ex Boreali, Pontico, siue maiori alluj mari · ex meridionali, coniungi Ciliciæ: ac denique ex Occidentali, Galatiæ, atque Pamphiliæ. Huius regionis incolæ, & naturales, suis Regibus, vt serui, aut mancipia Dominis seruiebant, adeo vt quum Romani, memores eorum fidei, & amicitiæ, quã erga eorum nomen conseruauerant, eis libertatem obtulissent, hanc ipsi repudiauere, professi, malle se Regem habere, quem sibi à Romanis ipsis dari, rogauerunt. Romani vero

mi-

mirati, quod homines inuenirentur, qui libertatem seruituti posthaberent, eisdem Cappadocibus permiserunt, vt quem mallent sibi Regem eligerent: vnde ipse Ariobarzanem popoſcerunt, & obtinuerunt. Sic Strabo Geographiæ lib. 12. in 1. Asiæ Tabula ait: Quum genus defeciſſet regium, Romani ratione fœderis, & initæ cum Cappadocibus amicitię, ijs permiſerunt vt, liberè ſuis viuerent legibus: hi autem, miſſis Legatis, libertatem repudiauerunt, vt, quam ſibi dicerent eſſe intolerabilem, Regem ſibi dari poſtulauerūt. Romani mirati homines eſſe, qui adeo de libertate animum deſpondiſſent, permiſerunt ipſis, vt de ipſorum corpore Regem ſuis, quem vellent, ſuffragijs crearent. Ita Rex ab ijs factus eſt Ariobarzanes: cuius in tertia ſtirpe genus defecit. Exinde Archelaus ab Antonio Rex eſt conſtitutus, nulla propinquitate eam familiam attingens.] Quum igitur ab incunabulis ſeruituti forent aſſuefacti, deportati, & venditi apud exteras nationes, miniſteria ſeruilia libenter, fideliterq; obibant, ideoq; in magna erant extimatione, & pretio. Maximè ſi verum ſit, quod de eis Cornutus hic aſſerit, eos ſtuduiſſe falſis reddēdis teſtimonijs: à pueritia namq; in tormētis nutriti, equuleis etiam ſe inuicem torquebant, & quum in tormentis fortes perſeuerare ſe poſſe videbātur, tum ad falſa teſtimonia ſe venditabant. Sed nunc non eſt ſermo de tali Cappadocum miniſterio; teſtes enim non producebantur niſi liberi, exceptis quibuſdam caſibus, in quibus etiam ſerui ad teſtimonium cogebantur,

tur, hic vero intelligit de Cappadocum fideli s. mulatu. Denominantur autem Cappadocæ pingues, vel quia apud Mangones opiparè victitabant, vt habiliores forent. & ita facilius magni vænirét: vel pinguedo refertur ad pretium, vt illi pinguiores censeantur, qui maiori constarent pretio. Et hoc modo serui Cappadoces, erant, cęteris paribus, pinguiores, quam quarumcumque aliarum nationum, quia altiori pretio venundabantur.

*RIGIDA* propriè dicitur res, quę frigore obduruit. Rigor enim est vnus ex frigoris effectibus, vt etiám durities, horror, stupor, horripilatio, idest capillorum erectio, & multa alia huius generis. Sic Virgilius libro 2. Georgicor. vers. 315.

*Nec tibi tam prudens quisquam persuadeat auctor*
*Tellurem Borea rigidam spirante mouere.*

Sed metaphori è transfertur ad significãdam rem quamcumq; duram, siue asperam; sic idem Virgil. ecloga 6. vers. 27.

*Tum vero in numerũ, Faunósq; ferasq; videres*
*Ludere, tũ rigidas motare cacumina quercus.*

Transfertur etiam longius ad denotandam animi constantiam, siue seueritatem. Inde ait Martial. lib. 10. epigr. 18.

*Quum regnat rôsa, quum madent capilli.*
*Tunc me, vel rigidi legant Catones.*

Et idem Martial. eodem libro 10. epigram. 64. inquit

*Tam dispar aquilæ columba non est,*
*Nec dorcas rigido fugax leoni.*

Sic Plin. lib. 2. epist. 9. *Sunt tamen, vt in Sena-*

*natu, ita in Ciuitate, in duas partes hominum iudicia diuisa: nam quibus sententia Cæpionis placuit, sententiam Macri vt duram, rigidamq; reprehendunt; quibus Macri, illam alteram dissolutam, atque etiam incongruentem vocant.* Et hoc modo nunc catasta rigida propriè dicta est aspera, atq; dura, vel etiam sæua.

*PAVISSE*, alicubi legitur Clausisse, in alijs vero Pausasse. Has lectiones reijcit Casaubonus: quum tamen earum quælibet melior sit ea, quam ipse amplectitur, legēs Plausisse. Prudentum enim erat Mangonum, seruos, maximè venales, diligenti mandare custodiæ ne effugerent, & ita catasta eos claudebant, vt videmus fecisse Hegionem apud Plautum Captiuis Actu 1. sc. 2. & Act. 2. sc. 2. Vt etiam in eadem catasta eosdē seruos pausare, seu quiescere sinebant, quousq; emptores inuenirent; siquidem corpora quieta pinguiora euadūt. Quod vero Casaubonus contra codicum omnium fidem, mauult legere Plausisse, nullatenus arridet. Nec moueor ad hanc lectionem respuendam, eo quod verbū plaudo, non recte quarto casui iūgi videatur, hunc enim scrupulum, sedaret Statii testimonium, qui, lib. 1. Siluar. in Epitalamio Stelliæ, & Violantillæ vers. 49. ait.

*Claraq; gaudentes plauserunt limina Cycni.*

Et earumdem Siluar lib. 5. canens Epicedion in patrem ait vers. 139.

*—— non toties victorem Castora gyro,*

*Nec fratrem cæstu, videres plausere Terapnæ.*

Sed quia textui non consonat. Quid enim plaudat diligens mango pinguedini seruorū, quos

quos habet in catasta? num pinguedo illa propria arcessita notatur diligentia? certè nullibi in textu habetur talis industria, vt de ea possit gloriari, si loco pauisse, legas plausisse. Et tamen Casaubonus sic loquitur. Ne sit alter paratior ad coemenda mancipia, quæ à te probe curata, & concinnata, quam plurimi vænire possint in catasta, te plaudente, & adhortante, vt motu corporis, ac saltatione, bonæ suæ habitudinis dent specimen mercatoribus empturientibus. Nisi quis malit plaudere hic interpretari, palma percutere, seu plana manu ferire, quod videntur fecisse mangones, ad ostendendam bene curatam cutem suorum mancipiorum. Hucusq; Casaubonus laborans pro inueniendo sensu côueniente praua lectioni; & quamuis frustra conatus, singularitatis tamen amator, non vult redire ad communem habentem, pauisse. Hanc vero nos amplectimur, quam rectè glossat Brixiensis dicens: Pauisse, aluisse; & reuera conueniens monitio ad nouum istum mangonem, vt venales seruos, etiam in ipsa catasta abundanter, lauteq; pascat, vel benepastos habeat, vt pinguedinem contrahant, ob quam plurimi veneant.

*CATASTA* aliquando est pegma, siue equuleus, vel machina in quam rei ad supplicium rapiebantur, vnde in legenda S. Dorotheæ legimus: *Dorothæam vero iussit Præses in catasta leuari: quæ dixit ad illũ: Numquam in tota Vita mea sic lætata sum, sicut hodie.* Talis etiam erat illa, de qua Prudentius in Peristephano, siue de coronis, hymno in

passione Romani martyris inquit.

*Audite cuncti, clamo longe, ac predico.*

*Emisso vocem de catasta celsior.*

Aliquando vero catasta dicebatur compes ligneus, quo seruorum malæ frugis pedes constringebantur, de qua intelligendus Tibullus dicens lib. 2. eleg. 6.

*Nota loquor, regnum ipse tenet, quem sæpe coegit*

*Barbara gypsatos ferre catasta pedes.*

Catasta quoq; dicebatur machina, in qua serui vęnales exponebantur, ita dicta à Græco verbo καθίσαμαι, colloco, seu statuo. Et hoc modo sumitur hic, vnde Cornutus ait; apud antiquos, gladiatores vęnales in catasta ponebantur, vt in eis possent singula membra conspici. De hac intellexit Martialis dicens l. 9. epigramm. 60.

*In septis Mamurra diu, multumq; uagatus*

*Hic ubi Roma suas aurea uexat opes*

*Inspexit molles pueros, oculisq; comedit*

*Non hos, quos primę constituere casæ,*

*Sed quos arcanæ seruant tabulata catastę,*

*Et quos non populus, nec mea turba uidet.*

Duplices siquidem fuere huiusmodi catastę; quædam videlicet publicę, in quibus senes, deformes, aut viles exponebantur vænales, alię arcanę, in quibus elegantiores seruabantur, qui, licet in publicum producti non essent, emptores nihilominus, & quidem altiori precio, facile inueniebant. Et talis erat ille, de quo ait idem Martial. l. 6. epigr. 29.

*Non de plebe domus, nec auaræ uerna catastæ.*

Con-

Constabat huiusmodi catasta tabulatis tacitè in sublime crescentibus: & in ea venales exponebantur serui, sed ita vt membris omnibus nudi forent, quo eorum defectus, si qui forent, facilè apparerent, & emptores, eorumdem suis oculis cernere possent integritatem, ne à mangonibus deciperentur. Id innuit Suetonius in Augusto cap. 69. dicens. *M. Antonius super festinatas Liuiæ nuptias, obiecit & fœminam consularem è triclinio uiri coram in cubiculum abductam; rursus in conuiuium, rubentibus auriculis, incomptiore capillo, reductã. Et dimissam Scriboniam, quia liberius doluisset nimiam potentiam pellicis: & conditiones quæsitas per amicos, qui matres familias, & adultas ætate virgines, denudarent, atque perspicerent, tamquam Thoranio mangone vendente.* Sic etiã Seneca Pater Controuersiarum lib. 1. controuersia 2. de sacerdote prostituta, & lege; Sacerdos casta è castis, pura e puris, ait: *Castam te putas, quia inuita meretrix es. Nuda in littore stetit ad fastidium emptoris, omnes partes corporis, & conspectæ, & contrectatæ sunt. vultis auctionis exitum audire? Vendit pirata, emit leno, excipitur nihil.* Quod autem in tali machina, quę catasta dicebatur, serui venales exponerentur, docet etiam his verbis Plinius lib. 35 cap. 18. *Quid hos refero aliquo litterarũ honore commendatos? Talem in catasta videre Chrysogonum Syllæ, Amphionem Q. Catuli, Heronem L. Luculli, Demetrium Pompeij, Augimque Demetrij, quamquam & ipsa Pompeij credita est: Hipparcum M. Antonij, Menam & Menecratem Sexti Pompeij, aliosque deinceps,* quos

*quos numerare iam non est, è sanguine Quiritum, & proscriptionum licentia ditatos.* Et de hac catasta nunc loquitur.

*REM duplica. Feci: iam triplex, iam mihi quarto, iam decies redit in rugam Depinge vbi sistam inuentus Chrysippe tui finitor acerui.* His etiam verbis auarorum innuit insatiabilitaté, eique remedium aliquod quærit. Auari namq; quo plura acquisierunt, & possident, eo maiora concupiscunt: vnde Nazianzenus. Orat. funebri in laudem Cęsarij, inquit: *Huiusmodi diuitiarum morbus est, vt finem appetendi plura nesciant, sed sitis medicinam, in perpetuo potu sitam esse arbitrentur.* Sic idem Nazianz. orat. in plagam grandinis inquit: *Quid ad hæc dicemus, qui quærendarum opum nec finem, nec modum vllum nouimus, qui aurum, & argentum, non secus atque illi olim Baal, & Astarten, & execrandum simulachrum Chamos adoramus, qui gemmarum luxus, & splendores consectamur, vestesq; molles, & diffluentes, quę à tineis absumuntur, & latronibus, ac tyrannis furibusq; reconduntur, qui seruorum, & quadrupedum gregibus gestimus, qui latifundijs, montibusq; dilatamur, & alia iam habemus, alia adiungimus, alia primo quoque tempore adepturi sumus, instar illius apud Salomonem sanguisugæ, cuius auiditas expleri nequit, quemadmodum nec inferni, nec terræ, nec aquę: nouũque orbem, quem possideamus, quærimus, ac Dei terminis succensemus, vt minoribus, quam cupiditas nostra, inexplebilisque auaritia postulet.* In quem locum sic Niceta. Sanguisugę tres sunt, filiæ charissimæ, non èam exsatiarunt. Sangui-

ſuga diabolus eſt, ſanguinis ſitiens; tres ipſius filiæ, tria capitalia vitia, libido, auaritia, & ambitio, à quibus ita ingurgitatur, vt tamen numquam fames ipſius expleatur. Et Hieron. lib. 1. aduerſus Iouinianum, vt & Beda in 30. Prouerb. Sanguiſuga diabolum ſignificare poteſt, qui verbum Dei, & ſpiritalia bona ab anima conatur auferre, qui ſiti peccandi, ac peccata ſuadendi inceſſanter accenditur: Cuius filiæ ſunt luxuria, & philargyria: Nam & luxuriæ, quo liberiùs frena laxantur, eo noxius delectatur. De auaritia vero ait poeta: *Creſcit amor nummi quantum ipſa pecunia creſcit.* Et idem Nazianz. ad Vitalianum nomine filiorum eiuſdem ex tranſlatione Iacobi Billij: *Tu ita animo obduruiſti, vt nec precibus, nec ſacrificijs flectis, & emolliri queas. Nec vero martyribus ipſis hoc beneficium concedis, quos tu profuſiſſima manu, quotannis & ſacrario, & donis, & epulis, & choris, multiſq; fragrantiſſimi vini poculis, multiſq; thronis honorans, Dei legẽ hac in parte contemnis, ac pro nihilo ducis. Atqui præſtat Deo cum exiguo munere victimam cordis offerre, quam cum impuro, ac ſordido animo ſacrificijs omnibus eum honorare. Nullum profecto Deo ſatis dignum munus offerri poteſt, nec ſi omnia quidem in vnum congeſſeris, quæ terra hæc & mare, ac cælum hominibus ferunt. Omnia quippe Dei ſunt; quid autem eſt, quod homo extra hęc inuenire poſſit? At vero ſolius animæ purum eſt ſacrificium, quo plerumque vſu venit, vt pauper aliquis, copioſum hominem, apprimeque locupletem antecellat.* Aſſimilantur hydropicis, qui quo magis biberint, eo an plus

sitiunt. Sic S. Nilus Abbas oratione 3. quæ est de Auaritia inquit: *Nec multitudine fluminum mare, nec diuitiarum copia auari animus expletur. Pecuniam duplicauit, & eam rursus studet duplicare, nec à duplicandi, augendique studio desistit, prius quam inane studium ipsius, mors interrumpat.* Narrat igitur ex persona auari, monitis & suasionibus, vel præceptis impulsi, ad hoc, vt si diues esse vellet, rem duplicare satageret, taliq; ratione habendi expleret cupiditatē; Ad quę auarus respondet referendo, se rem simplicem, seu tenue patrimonium, & hæreditatem à maioribus acceptam, nedum duplicasse, triplicasse, & quadruplicasse, sed etiam decuplo maiorem reddidisse, nec tamen propterea sedasse sitim plus habēdi: ideoque à Chrysippo inuentore rationis soluendi Soritem, (idest argumentum non habens terminum) consilium petit, quo possit remedio tali morbo mederi, & auaritiæ sitim extinguere.

*RVGAM.* Ruga propriè est cutis in plicas, & quasi sinus contracta, qualem videmus in senibus. De rugis in hoc sensu loquitur Cicero in Catone maiore, seu de senectute dum ait: *Ego magno quondam cum assensu omnium, dixi: miseram esse senectutem, quæ se oratione defenderet. Non cani, non rugę, repentè auctoritatem adferre possunt, sed honestè acta superior ætas fructus capit auctoritatis extremos.* Quia ergo propriè rugæ sunt plicæ, & sinus cutis in corpore hominis, hinc metaphoricè, plicæ in vestibus eminentes, rugæ sunt appellatæ, quemadmodum etiādem vestium caui-

tates, sinus dicuntur. Quapropter optimè poeta nunc dicit, rem decies in rugam rediisse, quia plicas expleuerat, tumefeceratque, easque inflatas, & eminentes, vt sinus reddiderat.

DEPINGE. In Casaubonum quadrat illud Ciceronis, dicentis 1. de Diuinatione: *Quæ est ista calliditas, res vetustate robustas, calumniando velle peruertere?* Siquidem etiam hic lectionem aliam nobis obtrudere conatur, vt pro Depinge, legamus Depunge, idest expunge, seu dele, aut subduc, vt fit in ratiociniis mercatorum, quum vltima calculatio fuit absoluta, tunc enim subductis rationibus, priores numeri, seu eorum notæ depunguntur, seu expunguntur, & delentur, quasi non sit amplius eorum habenda ratio. Et ita quum sit hic sermo de mercatore, existimauit ipse depungendi verbum congruere, quamuis ipsemet fateatur, non depunge, sed depinge in omnibus legi tam exemplaribus, quam codicibus impressis. Nec est vnde moueri debuisset, quum nec mercatores expungant, seu depungant, aut deleant priores numeros, sed intactos seruent ad cautelam rationum absolutarum. Retinemus ergo commune verbum Depinge, quod quamuis idem significet, ac simpliciter pingere, videlicet coloribus rem aliquam oculis representare, nihilominus, vt frequenter alibi, ita etiam hic sumitur, pro notare, constituere, &, apposita aliqua nota, designare; vt sit, sensus: Constitue, seu designa mihi ò Chrysippe, finitor, acerui tui, terminum quousq; procedere debeam in aceruandis

dis diuitiis, vt ibi sistam, & vbi tu notam? seu signum posueris, pedem figam, nec vlterius procedam superuacanea quærendo.

*CHRYSIPPE.* Chrysippus Apollonii filius, patria Solensis, vel, vt aliis visum fuit, Tharsensis, Zenonis primum, deinde Cleanthis auditor, quorum Zeno Princeps, & fundator, Cleanthes vero immediatus successor fuit in regenda Stoicorum schola. Quamuis dictionis laude caruerit, ingenio nihilominus adeo valuit, vt Cleanthi sæpe dixerit, se sola decretorũ eius indigere doctrina, cęterũ conclusionum rationes per se inuenturum: & nihilominus ab eodem præceptore suo Cleanthe sæpe dissenserit, vt etiam à Zenone. Laboris studiosus supra omnes fuit, innumerosque edidit libros, & in sola Dialectica volumina septuaginta quinque, vel etiam quinque & quingenta, sic enim interpretantur πέντε καὶ πεντακόσια Laertiiĵ, eosque libros, adeo accuratos fuisse volunt, vt pleriq; existimauerint, si apud Deos esset Dialectica, eam non aliam, quam Chrysippeam esse. Corpore erat admodum tenui, vnde ipsius statua in Ceramico, à vicino equite occultabatur, ex quo, locus iocandi Carneadi factus, dum pro Chrysippo eum κρύψιππον appellauit. Elatus fuit, & gloriosus adeo, vt quærente quodam ab eo, cui filium commendaret? non alteri, respondent, quam mihiĵ, nam si quem me potiorem existimasem, apud eum ego philosopharer. Ex eadem etiam animi elatione, & aliorum despicientia, factum videtur, quod quum tot sui publicé volumina, eorum nullum

alicui ex Regibus, aut Dynaſtis dedicauerit. Vixit annis octuaginta, vel, vt alii cum Laertio lib. 7. volunt ſeptuaginta tribus, obijtque Olympiade quadrageſima tertia. Erat vinolentus, & in ebrietate, etiam cętero corpore quieſcens, cruribus vacillabat, vnde eius ancilla dicebat: Chryſippi ſola crura ebria eſſe. De eius obitu quidam ferunt, quod quum in canentium choro otiosè ageret, à diſcipulis ad ſacrificium inuitatus, quum vinum dulce affatim bibiſſet, oculorum incidit vertiginem, anhelituſq; difficultatem, & intra quintum diem mortem. Alij volunt eum riſu defeciſſe, nam quum domum reuerſus, aſinũ oſtendiſſet comedentem ficus rure allatos, ancillæ extempore præcepit, vt aſino illi album miſceret vinum, ne ficus eidem nocumentum adferrent: huius dicti vrbanitate delectatus, in talem effuſus eſt riſum, vt eum ridentem mors occupauerit, riſu ipſo ſuffocatus. De eo Cicero 2. queſtionum Academicarum, refert, illum putatum Stoicorum fulcire porticum. Et lib. 1. de Finibus, dum interrogat. Quid eſt à Chryſippo prætermiſſum in Stoicis? meo videri firmat, nihil ab eo omiſſum, ſed omnia illius ſectæ placita abſoluiſſe.

*FINITOR acerui*. Finitor à fine, ille propriè dicitur, qui rem ad perfectionem ductam, vel ſaltem quo melius illam habere potuit, abſoluit, illiq; terminum impoſuit. Nonnunquam etiam finitor appellatur, qui rei naturam & eſſentiam, ex qua proprietates emanant, exponit, oratione dicente quid res ſit, quæ finis, ſeu definitio nominatur, vnde finitor

ror erit quasi d. finitor: atq; adeo Chrysippus dictus fuctor sui aceruì, potest intellig', quod eum definierit per orationem explicantem illius essentiam, & qualitates: vel quod inuenerit eiusdem aceruì videlicet soritis, vel syllogismi acerualis, finem: hunc enim naturaliter ille non habet, immo natura sua in infinitum gradatim procedit, nec vnquam in aliquo sistit termino, ideoq; vitiosum censetur argumétandi genus, iuxta illud Ciceron's l.4. de Finibus: *Iam ille Sorites, quo nihil putatis esse vitiosius, quod bonum sit, id esse optabile, quod optabile, id esse expetendum: quod expetendum, laudabile: deinde reliqui gradus. Sed ego in hoc resisto, eodem enim modo, tibi nemo dabit, quod expetendum sit, id eße laudabile.* Et clarius ad rem idem Cicero lib.2. quæstionum Academicarum innuit: *Hoc reprehendendum, quod captiosissimo genere interrogationis vtuntur. quod genus, minimè in philosophia probari solet, quum aliquid minutatim, ac gradatim additur, aut demitur: Soritas hos vocant, qui aceruum efficiunt, vno addito grano. Vitiosum sanè, & captiosum genus: sic enim ascenditis; Si tale visum obiectum est à Deo dormienti, vt probabile sit, quur non etiam vt valde verisimile? Quur deinde, vt non difficiliter à vero internoscatur? Deinde vt ne internoscatur quidem? Postremo vt nihil inter hoc, & illud intersit? Huc si perueneris, me tibi primum quidq; concedente, meumq; vitium fuerit; sin ipse tua sponte processeris, tuum. Quis enim tibi dederit, aut omnia Deum posse, aut ita facturum esse, si possit? Quomodo autem sumis, vt si quid cui simile*

*mile esse possit, sequatur, vt etiam internosci difficiliter possit? deinde, vt ne vix internosci quidem, postremo vt idem sit? vt si lupi canibus similes, eosdem dices ad extremum.* Et infra eodem lib. 2. quæstionum Academicarum subdit idem Cicero: *Venit ad Sorites, lubricum sanè, & periculosum locum; quod tu modo dicebas esse vitiosum interrogandi genus. Quid ergo istius vitij vitium nostra culpa est? Rerum natura nullam nobis dedit cognitionem finium, vt ulla in re statuere possimus, quatenus; Nec hoc in acervo tritici solum, unde nomen est, sed ulla omnino in re minutatim interroganti, diues, pauper, clarus, obscurus sit: multa, pauca, magna, parua, longa, breuia, lata, angusta, quanto aut addito, aut dempto, certum respondeamus non habemus. At uitiosi sunt Soritæ: frangite igitur eos, si potestis ne molesti sint: erunt enim, nisi caueatis. Cautum est, inquit: placet enim Chrysippo, quum gradatim interrogetur, uerbi causa, tria pauca ne sint, an ne multa, aliquanto prius, quam ad multa perueniat, quiescere; idest, quod ab iis dicitur* ἡσυχάζειν. *Per me uel stertas licet, inquit Carneades, non modo quiescas. Sed quid proficis? sequitur enim qui te ex somno excitet, & eodem modo interroget, quod in numero conticuisti. Si ad eum numerum unum addidero, multa ne erunt? Progredere rursum quoad uidebitur. Quid plura? Hoc enim fateris, neque ultimum te paucorum, neque primum multorum respondere posse. Cuius generis error ita manat, ut non uideam, quo non possit accedere. Nihil me lædit, inquit, ego enim, ut agitator callidus, priusquam ad finem ueniam, equos sustinebo,*

*eoq; magis, si locus is, quo ferentur equi, praeceps erit: sic me inquit, ante sustinebo, nec diutius captiose interroganti, respondebo. Si habes, quod liqueat, neq; respondeas, superbe; si non habes, ne tu quidem perspicis. Si quia obscura; concedo; sed negas te usq; ad obscura progredi, illustribus igitur rebus insistis. Si id tantummodo, ut taceas, nihil assequeris, quid enim ad illum, qui te captare uult, utrum tacentem irretias te, an loquentem? Sin autem usque ad nouem, uerbi gratia, sine dubitatione respondes pauca esse, in decimo insistis, etiam à certis, & illustrioribus cohibes assensum; hoc idem me in obscuris facere non sinis. Nihil igitur te contra Soritas ars ista adiuuat, quae nec augendi, nec minuendi, quid, aut primum sit, aut postremum, docet.* Sorites ergo iuxta rei naturam finem habere non potest. Vnde Casaubonus, quod hic dictum est, Chrysippum inuentum fuisse finitorem acerui sui, seu syllogismi acerualis, & Soritis, vult positum esse ad designandam rei impossibilitatem, nam sicut quum Horatius lib. 2. epist. 1. ait: *Nil intra est oleam, nil extra est in nuce duri*, non intendit dicere id, quod est intra oleam, vel extra nucem, non esse durũ, sed quod sit absurdum id affirmare, indeque colligendum relinquit, quod quemadmodum id est falsum, ita etiam solos Graecos, & antiquiores esse sapientes, non vero recentes Romanos; & ita vult Casaubonus, Persium nunc dicere, quod sicut fuit impossibile Chrysippũ inuenisse finem acerui sui, ita sit impossibile, quod acquirendi, & ditescendi cupiditas in auaris, possit ad quem finem, seu terminum

inuenire, iuxta illud Aristotelis 2. Politicorū cap. 5. *Improbitas hominum insatiabilis est: & primo quidem sufficere debent pauca, atq; minima; mox uero ubi illa sunt, consecuti, plura appetunt semper, quousq; in infinitum procedat; infinita est enim cupiditatis natura, ad cuius expletionem plurimi uiuunt*. Sensus iste Casauboni non consonat textui, nec intentus fuit à poeta: is enim verè voluit Chrysippum sui Soritis finem inuenisse, non illum quidem quem non habet, scilicet naturalem, nam id erat impossibile; sed alium voluntarium, eum videlicet in quo pausabat, & quiescebat, resistebatq;, vt modo ex Cicerone dicebamus. Itaq; dicere voluit: Tu ò Chrysippe, qui inuenisti finem syllog smi aceruali, naturaliter infiniti, volūtate abscindens, resistens, & quiescens vbi tibi libitum fuit, assigna, ac praescribe terminum meae cupiditati, ac desiderio ditescendi, putato infinito, sed qui reuera non est talis, nisi in malis; alioqui Aristotiles 1. Politicor. c. 5. ait. *Sufficientia possessionū ad uitam bonorum, non infinita est, ut Solon carminibus inquit, diuitiarum nullus est finis constitutus hominibus. Certè constitutus est, vt in alijs artibus; nullum enim instrumentum cuiusquam artis infinitum est, neq; multitudine, neq; magnitudine; diuitiae autem sunt multitudo instrumētorum rei familiaris, & Republicae* Hinc etiam Cicero 2. de Finibus sic loquitur de excindēdis, & totaliter finiendis, vt alijs passionibus, ita & desiderio acquirendi: *Illud non nimium probo, & tamen patior, philosophum loqui de cupiditatibus finiendis. An potest cupiditas finiri?*

*Tollenda est, atq; extrahenda radicitus. Quis est enim in quo sit cupiditas, quin rectè cupidus dici possit? ergo & auarus erit, sed finitè; & adulter, verum habebis modicè: & luxuriosus, eodem modo. Qualis ista philosophia est, quæ non interitum adferat prauitatis, sed sit contenta mediocritate vitiorum?* Itaq; si Sorites, naturaliter interminabilis, & infinitus, apud Chrysippum voluntarium inuenit finem; rectè ab eodem Chrysippo rogatur præscriptio, & designatio termini cupiditatis, siue eum habeat, vt volebat Aristoteles loco citato ex 1. Politicorum, siue nó habeat, vt idem dixit verbis allatis ex 2. eiusdem operis, ex Solone, & alijs passim. Nam etiam si non habeat naturalem, sufficit si habeat voluntarium, qualem Soriti dedit Chrysippus, quem ideo nunc appellat. Et hunc sensum sequuntur hic, subobscurè tamen, tam Io. Baptista Plautius, quam Antonius Foquelinus.

## SENSVS PARAPHRASTICVS TEXTVS SECVNDI, ET VLTIMI, SATYRÆ SEXTÆ, ET VLTIMÆ.

Qvia dixerat velle se viuere expendendo iuxta modum suarum facultatum, vt nec prodigus diceretur, nec sordidus, aut auarus; nunc consequenter asserit quosdam inueniri, qui opposito forent modo animati, quando Horoscopus, siue dixeris, Ascendens, etiam gemi-

nos dissonantibus inuicem, in lucem edit in-clinationibus, & moribus, adeo vt eorum vnus in tantum sit tenax, vt erga familiam parcior, sibi, in diebus festiuis, pro magnis lautitijs cōdiat olera muria in minuto vasculo empta; & suis ipse manibus cibis piper tamquam rem sacram inspergat parcissimè; Alius vero è contrà, in ętate adhuc ferè puerili, helluando, ingens, & copiosum absumat patrimonium. At ego, inquit, media incedam via, vt nec omnino vsu mearum abstineam facultatum, nec eas supra modum prodigendo, breui consumere velim. Vnde conuiuis meis, si vilioris fuerint conditionis, non apponi mandabo, rhombos, aut alios cibos pretiosiores; mihi vero, vt nec quotidie interdicam vsum turdorum, ita nec perpetuam eorumdem abstinentiam. Decet enim viuere iuxta mensuram suorum prouentuum, nec parcere supra modum, eorumdem erogationi, metuendo defectum, quum spes affulserit alterius proueatus de proximò venturi. Sed quum casus se obtulerit exercendi humanitatis officium erga amicū, circa Scyllęum fretum naufragum, qui bona sua omnia condidit Ionio, ipseque vix emersus, nudus Brutios scopulos apprehendit, tunc ad subleuandam talem amici necessitatem, ne ille rubore suffusus, casum pictum dorso gestans, stipem mendicare cogatur, non est respiciendum dumtaxat ad annuos fructus, redditus, siue prouentus, sed ad sortem etiam principalem, siue sint agri, siue fundi, domus, aut villæ, siue

alia

alia quæcumque res fructifera, eiusq; pars detrahenda, & vænundanda, vt amico posfis opitulari. Verum te ita faciente, distrahen eque hæreditatem, designatus hæres, qui spe, & cogitatione tuam integram deuorauerat hæreditatem, moleste ferens tantam tuam in extraneum largitatem, funebrem negliget cœnam apparere, tuaque ossa, siue tuos cineres, absque odoribus sepulturæ mandabit, quandoquidem tu nullo personali, aut reali pressus infortunio, facultates minores reddidisti; idemque philosophos accusabit, tamquam fatuos, & tantum garrulos, & loquaces, quasi qui, quum Romam cum peregrinis venissent mercibus, militaré vitam, moresq; corrupissét continentes. Hi tamen defectus ornatus funeris, & similium, curandi non sunt, nec metuendi. Verumtamen, tu mi hæres, audi quæso, quæ tibi soli quidem, vt nec Coricæus, (aut alius audiat arbiter) committere volo; Ignoras ne quemadmodum Cæsar Caligula noster Princeps, deuictis Germaniæ bellicosissimis populis, laureatas Senatui Populoque Romano dederit epistolas, iusseritque triumphum sibi apparari, magnificentissimum, qualem nullus duxerit præteritorum triumphantium, sed nulla sua, aut ærarij expensa, Ciuium tantum singularium spontanea, aut violenta contributione. Vndequum Cæsonia eiusdem Cæsaris Caligulæ vxor, captarum Gentium spolia, esseda, gausapas, chlamydes, & arma, suis disponat locis, decreui in Cæsaris gratiam.

&

& huius triumphi ornamentum, centùm dare gladiatorum paria; Num hoc audebis prohibere, vt largitionem in amicum naufragum? at si Cæsar rescierit, vel suspicari potuerit, te hoc tentare, aut saltem inuito ferre animo, malum non effugies, exacerbabitur enim in te, vt in non gaudentem de honoribus, & obsequijs sibi à me præstitis. Quid etiam si ego populo Romano plebique minutæ munuscula leguminum, vel frumentum, aut carnes largiri velim? An fortè id prohibebis? dic clarè quid sentias? Sed video te propterea non audere id prohibere, quia times ne plebs ipsa, Te, sua commoda impedientem, lapidibus impetat. Quid ergo? num tu hæreditatem ita largitionibus, siue in amicum calamitatibus oppressum, siue in Principis obsequium, siue in populi vtilitatem diminutam, adire renues? At si nullus ex mihi sanguine coniunctis supersit, qui meam adeat hæreditatem, non propterea hærede carebo; aderit enim Manius aliquis Aricinus, ignotus scilicet, & mendicus, quasi terræ filius, eumque instituam hæredem, quasi meum maiorem auunculum, & tritaui mei germanum fratrem. At tu qui es mihi sanguine coniunctior, caue ne, me adhuc viuente, rationes meæ computes, vel exigas hæreditatis, sed potius existima me tibi aduenire tamquam Mercurium, lucrum scilicet adferentem indebitum, & insperatum. Ita namque gaudebis pro quacumque parte tibi obuenerit meorum bo-

bonorum, cogitans, quod si quid detractum ex ijs fuerit, secundum meam voluntatem expensum fuerit, nec illius me voluisse te facere hæredem. Ne ergo quæras quid factum sit de bonis mihi à maioribus m[illegible]gatis, nec eorum exigas rationes, quæ tibi iure non debebantur. Si namque, vt acer paterfamilias dicere velis: annui prouentus tot fuerunt, expensæ vero erogatæ, tot esse debuerunt, de reliquis redditibus quid actum est, rationem à me exigens: ego indignabor, & profusiores faciam expensas. Non enim decet me parcè, sordidèque viuere, proproprimmque fraudare genium, vt plura tibi relinquam, quę tu helluando, nepotandoque breui absumas. Nec recta suadet ratio me pædore, squalore, inediaque macrescere, vt tu distento otieris abdomine, & alienas inconcessas, immo Patricias etiam, molás vxores. Hinc coronis imponitur operi, ironicè deprecando eum, qui ditescere concupiscit, quatenus si voti compos esse voluerit, animam, vitamque mortis exponat periculo, circumeundo, vel nauigando per vniuersa mundi climata, & regna, inuestigando regiones, & prouincias omnes, in quibus negotiationis, vel lucri spes affulserit, & prętertim diligentiam adhibeat, in eligendis emendis, pascendis, atque vendendis mancipijs, siue seruis Cappadocibus. Et ita monet, vt rem duplicare satagat. Ad quæ monitus respondet, se patrimonium,

& hæreditatem à maioribus acceptam, nedum duplicasse, triplicasse, & quadruplicasse, sed decuplo etiam reddidisse maiorem, quam à patribus acceperat, nec tamen extinxisse plura habendi, & possidendi sitim. Inde Chrysippus rogat, vt sicut sua sagacitate, & acumine, finem inueniat sui Soritis, seu syllogismi aceruahs, natura interminabilis, saltem voluntarium, in quo, respondens, pro libito quiesceret, nec vltra progrederetur, ita locum statueret, in quo pausam faceret à studio amplius ditescendi, quamuis appetitus iste sit etiam naturaliter infinitus, & interminabilis. Et tanta de his Persij Satyris.

# FINIS.

